UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

urn:nbn:de:hbz:466:1-66281

Visual Library

Th. 5178.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A QUODAM ANONYMO CONTINUATA,
ATQUE A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
PROVINCIÆ BAVARICÆ, OLIM S. THEOLOGIÆ
AC SS. CANONUM LECTORE
LATINE REDDITA, NOTISQUE CASTIGATA.
UNACUM
DISSERTATIONE PRÆLIMINARI
AD HISTORIAM SÆCULI XV.

CONTINUATORIS
TOMUS PRIMUS,
SEU IN ORDINE
TOMUS XXV.
Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415.

Collegii S. J.
Paderb.
1768



Cum Approbatione & Consensu Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Approbatio Censoris.

Historiæ Ecclesiasticæ Claudii Fleurii Abbatis Continuatoris tomum primum, & in ordine XXV. a R. P. Alexandro à S. Joanne de Cruce Ord. Carmelitarum Excalceatorum SS. Theologiæ Lectore latine redditum, ea qua licuit, attentione perlegi: quin orthodoxæ Fidei principiis, aut moribus quicquam adversum in eo deprehenderim; sed in hoc potius Author multum commendandus, quod præscriptam a Tullio Cicerone legem: *Nequid falsi Historicus dicere audeat, deinde nequid veri non audeat*, abunde impleverit. Est præterea Continuator Fleurii in hoc præcipue laudandus, quod serie non nimis interrupta ea referat, quæ unius anni historiam quoad præcipua capita, & facta complent. Accedit mira facilitas res obscuras dilucidandi, ignotasque factorum causas rationabili saltem conjectura assequendi.

quendi. Si quando Facultatis Parisiensis placita Sedis Apostolicæ sententiis præposuit, id potius patriæ, in qua scripsit, quam Scribentis animo imputandum videtur. In toto opere purioris doctrinæ momenta sequitur, Sedis Apostolicæ auctoritatem tuetur, nil bonis moribus dissonum, aut alienum a fide immiscet. Digniſſimum proin opus, quod typis evulgatum exspectationi Eruditorum propediem satisfaciat. Augustæ Vindelicorum die 25. Aprilis An. 1767.

(L.S.)

Henricus Sigismundus de Fercher,
SS. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Cathedralis Augustanæ Canonicus Capitularis, Sereniſſimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Episc. Augustani, Landgravii Hassiæ, Consiliarius Ecclesiasticus, & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimensis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

Josephus Herz,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Episc. Augustan. Consil. Eccles. Visit. per Diœcesim generalis, Reverend. Consiſt. Assessor, ac Libr. Censor.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Quantum unicuique emolumentum, quantosve fructus afferat notitia Hiſtoriæ, præprimis Eccleſiaſticæ, usque adeo omnibus notum, ac communi Suffragio comprobatum exſtat, ut impræſentiarum illius elogium fuſius texere, prorſus ſupervacaneum exiſtimemus. Sufficiat cum D. Abbate Fleurio (*) dixiſſe:

(*) *Diſſertat. I.*

xisse: *Nihil magis Christianum in fide roborat, quam si eandem Doctrinam, quam hodie tenemus, a principio Ecclesiæ tot miraculis, & Martyriis confirmatam legat.* Si in Sanctorum Historiis talia inveniat exempla, quæ verbis quibusvis efficacius, & solidam pietatem docent, & omnem nostram, qua corruptos mores palliare conamur, excusationem retundunt; dum perfectionem Christianam non modo possibilem, sed & facilem ostendunt, utpote quam tum Christus Dominus nobis præmonstravit, tum sanctissimi ejus Imitatores prosecuti fuere.

Præterea, ut ego arbitror, Historiæ Scopus is est, ut homines efformet prudentes, & humanæ societati aptos, dum eis exhibet illorum vitia, quorum mores redarguit, ut exinde suos corrigere addiscant. Non enim Historici studii summa in eo sita est, ut quis memoriam suam integris Chronologiæ Calculis, ac Hominum, rerumque Gestarum Centuriis impleat;

impleat; nec ſe multum profeciſſe (prout tamen non paucis uſuvenit) aut jamjam eruditi hominis laudem promeruiſſe autumet, dummodo lecta vel audita prompte & faciliter deblaterare ſciat. Sed verior, atque ſublimior ſtudii hujus uſus eſt, noſſe Homines, ſanum de illis poſſe ferre judicium, eorum agendi rationes, opiniones, atque paſſiones eo fine perſcrutari, ut harum radices, inſultus, artes, & fallacias detegat, illuſiones, quibus intellectum obfuſcant, & lenocinia, quibus incautam voluntatem depravant, agnoſcat. Demum ulterior ejusdem ſtudii fructus eſt, naturaliter quaſi, & ſine artificio ſecum notabiliora, quæ lecta fuere, attentius perpendere, eo conſilio, ut ex lectione eorum non ſolum viri prudentes, ſed & boni Chriſtiani efficiamur; hæ enim ſunt binæ illæ dotes, quæ genuinæ probitati individua ſocietate copulantur.

Quid enim ſolummodo in genere, atque in confuſo ſcire juvat, homines eſſe virtuoſos, atque vitioſos, multis paſſionibus, & enormibus ſceleribus obnoxios, horum quosdam adjutorio gratiæ ad meliorem frugem redactos, alios criminum ſuorum cœno usque ad mortem immerſos hæſiſſe, niſi ejusmodi cognitio nos ad horum deteſtationem, atque ad illorum imitationem incitet, quod plane aſſequi nullatenus poterimus, niſi ſedulo omnes inveſtigemus modos, quibus in ejusmodi vitia & tu cadere poſſes, & alii ordinarie cadunt, & quibus modis ex talibus inquinamentis tanquam vir Chriſtianus reſurgere valeas. Talis porro ſtudii materiam ſola nobis ſuppeditat Eccleſiæ Hiſtoria. Illa ſiquidem innumera, ac diverſa exhibet facta ferme omnia, vel ex vitiis, vel ex vera virtute progenita; in his igitur diſcreto ſtudio dignoſcendæ ſunt omnes noſtræ actiones tam laude, quam vituperio dignæ,

illæ

illæ a nobis imitandæ, hæ fugiendæ. Præterea conſiderare oportet illorum, qui talia geſſerunt, conditionem, ætatem, & ſtudia, item, quæ ejusmodi actiones præceſſerunt, quæve ſecuta ſunt; eſt quoque habenda temporis, & loci ratio, ac denique omnes aliæ etiam minimæ attendendæ ſunt circumſtantiæ, quas vel ideo probatiores Hiſtorici in caſibus occurrentibus quam ſolertiſſime referunt, ut lector multiplici harum luce, factaque deſuper matura reflexione, ſecreta cordium penetrare, qua intentione in tali vel tali caſu res peracta fuerit, cognoſcere, & clarum inde certumque judicium efformare valeat. Hic quoque præcipuus erat ſcopus D. Abbatis Fleurii, ſuam primorum quatuordecim ſæculorum Eccleſiæ Hiſtoriam concinnantis; quam ego pari quidem motivo ſtimulatus proſequor, impari tamen ſucceſſu: Quippe inter ea, quæ ipſe præſtitit, & quæ ego præſtare ca-

pax ſum, ingens intercedere diſcrimen ultro agnoſco.

Antequam vero lucubrationis meæ ſeriem exponam, piis manibus D. Fleurii parentaturus, præcipua vitæ ſuæ geſta omnium oculis exhibere aggredior.

Fleurius Abbas patria Pariſinus die ſexta Decembris Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primam lucem aſpexit, Patre cauſſarum Patrono longe ſagaciſſimo, Rothomagi oriundo. Adjecit primo Fleurius noſter animum forenſibus curis, ubi emenſo novem annorum curriculo Jurisprudentiæ, ac liberalioribus Muſis indefeſſam navavit operam. Verum ipſa ejus indole ad tranquillius vitæ genus propendente, cauſſidicum exuit, ac clericali militiæ nomen dedit, ſacro Presbyteratus ordine initiatus, ſacratioribus Theologiæ, S. Scripturæ, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Juris Canonici diſciplinis, præcipue vero Sanctorum Patrum ſtudio pro ſtatus ſui ratione

tione totum se sacravit, atque ingenii sui amplitudinem intra harum duntaxat scientiarum limites restrinxit, optime gnarus, intellectum nostrum, quo pluribus se impenderet, eo minore profunditate penetrare singula. His artibus sat excultus; Anno supra millesimum sexcentesimum septuagesimo secundo admotus est Juventuti Principum de Conti erudiendæ, quos Rex Delphino Filio suo educandos commiserat. In qua palæstra tanta solidæ virtutis, ac moderationis specimina edidit, ut ipse potissimum eligeretur, cui Anno millesimo sexcentesimo octuagesimo educatio atque institutio Principis Veromanduani Franciæ Admiralis Filii crederetur, quo fatis erepto Rex anno Domini millesimo sexcentesimo octogesimo quarto concessit Fleurio Loci-Dei Abbatiam Ordinis Cistercienſium, diœcesis Ruthenensis. Quinto expost anno, nimirum millesimo sexcentesimo octo-

gesimo

gesimo nono Ludovicus XIV. Rex eidem imbuendos tradidit Nepotes suos, Ducem nimirum Burgundum, Andegavensem, modernum Hispaniarum Regem, & Bituricensem. Tandem anno millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto Academia Parisiensis illum inter membra sua cooptavit; Dubium, an inde dignius præmium D. Abbatis Fleurii meritis, an Universitati major gloria accesserit. Cum altefati tres Principes Anno millesimo septingentesimo sexto studiorum curriculum emensi essent, regio beneficio Prior Argentelensis Ordinis S. Benedicti, Parisiensis Diœcesis creatus est. Hic vero religiosus sacrorum Canonum cultor, in quorum studio totus erat, rarum animi a proprio commodo penitus alieni specimen edidit, dum Loci-Dei Abbatiam dimisit. Tum vero aulæ tumultibus expeditus, quamvis & in aula veluti in solitudine inter libros, & pulpita, ac muneris sui curas toto reliquo tem-

tempore deliteſcens vixiſſet, præclaras ingenii ſui dotes, ac otium unice Eccleſiæ bono conſecrare decrevit. Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto *Hiſtoriam Juris Francici* non tamen ſub ſuo nomine imprimi fecit, quæ poſtmodum Inſtitutionibus Juris Gallici ab Argudo Parlamenti Cauſſidico compoſitis præfigebatur. Anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo primo edidit tractatum *de moribus Iſraelitarum*, qui ad ſacrarum literarum ſtudium veluti Iſagogen exhibet. Paulo poſt alium elucubravit *de moribus Chriſtianorum*, in quo primorum Chriſti Domini diſcipulorum, nec non aliorum, qui primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt, ſanctitatem inſigniter commendat. Jam An. milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono publicam lucem aſpexit ejusdem *Catechiſmus Hiſtoricus* complectens veram ideam Hiſtoriæ Religionis Chriſtianæ, a creatione Mundi usque ad adventum

ventum Christi, & demum a Nativitate Domini ad nostra usque tempora. Hoc idem opus sub vario idiomate postmodum prodiit. Typis quoque Anno supra millesimum sexcentesimum octogesimo quarto excusa habetur, *Vita Matris Arbuzæ* Reformatricis Monasterii de Valle Gratiæ. Dupinus tractatum *de selectu, & methodo studiorum* Anno MDCLXXXVI. editum, velut Regiam ceterorum Fleurii operum clavem commendat. Postquam enim cujuslibet scientiæ studia a primordiis Ecclesiæ usque ad præsens ævum Historice prosecutus esset, circa ipsam studendi methodum certas quoque Regulas, ac consilia diversis personis congrua insinuat. Anno sequente vulgavit *Institutiones Juris Ecclesiastici*, quæ quasi compendium sunt *Practicæ Juris Canonici ad usum hodiernum accommodatæ*; Anno Domini millesimo sexcentesimo octogesimo octavo publici juris fecit opuscu-

lum

lum de obligationibus Patrumfamilias, & Famulorum, cujus generalia monita ſolide ſtabilita tam his quam illis oppido proficua eſſe probantur.

Denique manum admovit viginti voluminum labori, ſcilicet *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, cujus primus tomus Anno MDCXC, ultimus vero An. milleſimo ſeptingenteſimo decimo nono publicam lucem aſpexit. In hoc ſuo opere ſtudioſius ea recenſet facta, quibus Eccleſiæ Doctrina, Diſciplina atque mores vel ſtabiliri, vel dilucidari queunt, præciſis iis, quæ vel levioris ſunt momenti, vel modicum inter ſe, aut cum principali Hiſtoriæ ſcopo nexum habent: ſolummodo coævorum adoptat Scriptorum teſtimonia, & inter hos ipſos duntaxat illos, quorum ſinceritas magis probata eſt. De ſuo nil niſi breviſſimas quidem, ſed prudentia ac judicio plenas adjicit reflexiones. Diſſertationes, diſcurſiones, atque notas criticas a ſua Hiſto-

Hiſtoria exulare jubet, nec Chronologiæ quæſtionibus moroſius ſe implicat; Ex operibus Sanctorum Patrum ſelectiora extraxit teſtimonia, quibus Eccleſiæ Doctrinam, Diſciplinam, atque mores haud parum comprobatos reddidit. Non niſi ea Sanctorum Martyrum acta ſelegit, quæ genuina magis eſſe agnovit. Imperatorum ſeriem, & ſpecialiores indicat eventus, præcipue illos, qui cum Hiſtoria Religionis noſtræ neceſſario connexi videntur. In Diſſertatione, quam primo ſuo præfixit volumini, certas, quas ſibi præſtituit, regulas exponit, easque fideliter ſequitur. Reliquæ Diſſertationes, quas quibusdam voluminibus præambulas adjecit, manifeſte materiarum ſelectum, eruditionem, & acre auctoris judicium teſtantur. In octavo tomo Diſſertationem reperies, quæ Chriſtianæ Religionis inſtitutionem Divinitus factam, nec non Eccleſiæ Regimen exhibet; In tomo decimo tertio

tio differit de Barbarorum incursibus, ac literarum neglectu, in sexto Decimo de mutatione, quæ facta est in disciplina Ecclesiæ, & modo injungendi pœnitentias Ecclesiasticas, de translationibus Episcoporum, de erectione Episcopalium Cathedrarum, & de appellationibus &c. Dissertatio tomo decimo septimo præfixa agit de Academiis atque literarum studiis; in tomo decimo octavo discurrit de expeditionibus cruciatarum, nec non de Indulgentiis: in decimo nono de Jurisdictione Ecclesiæ propria, ubi de Inquisitione agitur. Denique in vigesimo tomo, in quo Fleurius Historiam suam usque ad annum Domini millesimum quadringentesimum decimum quartum protraxit, habetur dissertatio de Origine, statu, atque Religiosorum ordinum relaxatione.

Hæc est summa totius Fleurianæ historiæ, quam dum ulterius prosequi meditabatur, mors ei calamum excussit die

14. Jul. Anno 1723. ætatis ſuæ 82. antea Regi Ludovico XV. anno 1716. a ſecretis conſcientiæ datus, verum ſenio confectus anno 1722. menſe Martio regii confeſſoris munus abdicavit. Cum autem docti hujus Abbatis hiſtoriam continuari literaria respublica ardentibus cuperet votis, hanc provinciam in me ſuſcepi, quamvis me ipſo judice ac teſte multum alienus ſim ab illo emphatico, nequaquam affectato, ſed connaturali, ac fluido hujus Auctoris ſtylo, tranſitionibus e re natis, efficacibus expreſſionibus, ac animadverſionibus, ſuccinctis equidem, ſed judicio plenis, per viginti illa hiſtoriæ ſuæ volumina ubertim diſſeminatis. Uno verbo cunctis hiſce dotibus me deſtitutum profiteor. Verumtamen veniam dabis Lector, ſi pro mea defenſione tibi dixero, quod me nusquam Fleurianæ hiſtoriæ continuatorem jactitare præſumpſerim, ſed quæ publici juris facere aggredior, non niſi exiguum mei laboris

boris fructum esse, quem in trium posteriorum sæculorum historia eo consilio impenderam, ut pro meo privato usu completum historicum opus præsto haberem, quod esset quasi supplementum eorum, quorum desiderium nobis doctissimus iste Abbas reliquit, quem etsi tam feliciter cursum suum consummasset, invida mors meritis graviorem, quam annis intempestive nimis literariæ reipublicæ sustulit. Itaque præsens hoc opus non nisi ad propriam meam instructionem composui, & si ita loqui fas est, legitimo desperationis æstro motus, quo hanc historiam ab alio continuandam diffidebam, vicit vero quorumdam amicorum importunitas, qui meam lucubrationem sub redundantis utilitatis obtentu publicam fieri urgebant. Cum ergo isti quodammodo invitum me hujus partus parentem esse voluerint, necesse est, ut propositi mei, ac modi, quo illud executus sum, rationem exponam.

Igitur digniora posteriorum trium sæculorum gesta tam Ecclesiæ, quam diversorum Europæ statuum in æqua, atque ad mensuram diffusa imagine exhibere, ac simpliciter colligere statui, quibus insuper illos viginti quinque annos, quos in præsenti decimo octavo sæculo jam jam retro egimus, subjungere cogito. In prima mea editione historicam hanc continuationem in annales dispertiri libuit, persuasus, Lectorem hac via intra cujuslibet anni decursum singula historiæ capita facilius, & quasi unico obtutu reperturum. Hæc ipsa methodus solemnis fuit Spondano Appamiarum Episcopo, & ante ipsum Cardinali Baronio, cujus annales idem contraxit, continuavitque, item D. Gadavio Venensi Episcopo, Genebrardo & pluribus aliis eruditioribus Chronologistis, quin imo ab ipso Fleurio hunc scribendi modum, si suam historiam prosecutus fuisset, adoptatum conjicio; Nam

in

in dissertatione præfationis loco ad primum volumen posita sequentia habet: (*) *Ordinem temporum observavi quidem* inquit ille, *sed non anxie: non cuilibet licet annales scribere; id quidem Tacitus potuit, quia scripsit facta sibi cum omnibus circumstantiis nota, sed & omnium gestorum utpote recentium diem noverat. Annales ergo illarum rerum scribi possunt, quæ nostro ævo acciderunt, ita quidem hodie hanc aliquis historiam Ecclesiasticam ex tempore Concilii Tridentini; vel etiam Constantiensis scripturus, posset eam in annales disponere, at siquis antiquissimorum temporum facta, de quorum die vel anno vix conjicere liceat, aliquorum autem tempus penitus ignoret, in annales redigere velit, is post immensum suum laborem ipse sæpissime falletur, & alios fallet.*

Verum hæc ipsa methodus suis non caret nævis, quod idem Abbas optime anim-

(*) *D. Fleurii Dissert. I. §. 24.*

animadvertit, ſubjungens: *Neque facta illa, de quibus annus diesque, quo contigerant, ſcitur, ſecundum exactum temporis ordinem ponere ſemper conſultum eſt; Nam ſi ſæpiſſime interrumpatur, valde arida erit narratio, fietque, ut facta non cohærentia ſine delectatione legantur, & ſæpe neceſſe erit ex oriente in occidentem, Roma Antiochiam commigrare, jam incæptum in Italia concilium abrumpere, & ad aliud converti in Africa celebrandum; jam una linea erit interſerenda ad notandam Pontificis vel Imperatoris mortem, & hæc omnia vel ſine nexu erunt ponenda, vel tranſitionibus longe quæſitis aſſuenda. Præſtat aliquot annos anticipare, vel ad jam præteritos retrocedere, ut factum notabile a principio ad finem narrando deducatur.* Ergo D. Abbatis Fleurii ordinem ſequor, & ſuo exemplo hiſtoriam meam in libros divido, hac ratione hæc continuatio a tædioſis interruptionibus erit immunis, ſimulque methodo in primis

mis viginti tomis obſervatæ magis conſona evadet. Hoc opus noſtrum non equidem eſt univerſalis omnium omnino geſtorum hiſtoria, neque tamen meram eorundem Chronologiam eſſe exiſtimes: media potius inceſſimus via, nec quæ neceſſaria judicavimus, negligentes, nec quæ ſuperflua, aut quæ ſcholaſticas altercationes ac controverſias ſapiunt, adducentes. Hiſtorici munus eſt factorum ordinem, & circumſtantias referre, non autem in quo temporis articulo evenerint, argumentis, rationibus ac teſtimoniis operoſius indagare, aut fuſius comprobare. Econtra Chronologia unice inſudat non ſolummodo in perquirendis principalioribus epochis, ſed & menſibus, diebus, imo non nunquam ipſis horis, quibus ejusmodi contigere fata, cum tamen hiſtoria nude ſimilia recenſeat, nequaquam diſcutiat. Quapropter Chronologia rerum præteritarum adeo obſcuram juxta, ac exſiccam ſuppeditat notitiam,

ut intellectus hominis plane jejunus relinquatur. Igitur animo constitui Historiam Chronologiæ ita conjungere, ut nobiliora facta cum suis circumstantiis, stilo historicis usitato, & longe magis diffuso, ac Chronologis usuvenit, complectar, indicaturus tamen, quantum potero, præcisum tempus, quo facta acciderunt, Chronologorum argumentis, & celebriorum ac fide digniorum Auctorum comprobatum testimoniis, quorum nonnunquam formalia verba in nostrum idioma translata referam. Historiæ Ecclesiasticæ intermiscui statuum Europæ historiam, ut hujus notitia planam sternat viam ad illius scientiam. Forsan Lector me quandoque nimiæ prolixitatis arguet: Attamen liberalius in politicis excurrentem duntaxat inveniet, quando vel historia Ecclesiæ in certis quibusdam annis parciorem suppeditavit materiam, vel quando Summi Pontifices aut per se aut suorum Legatorum ministerio in Principum

nego-

negotiis partem habuerunt. Sic in XXIII. volumine, in enarrandis diſſidiis inter Ludovicum XI. & Carolum Burgundiæ Ducem, exortis ſatis copioſum exerceo calamum, ſed ideo factum, quia Sixtus IV. ſeſe interponens, Nepotem ſuum Cardinalem tit. S. Petri ad vincula ad componendos hoſce Principes in Galliam ac Flandriam miſerat, idem intellige de famoſa Neapolitana cauſa, quæ in XXIV. tomo occurrit; articulatiores ejusmodi excurſiones faſtidioſæ eſſe nequeunt, cum innumera doceant, ac indicent facta, quæ non niſi ex diverſis primum hauriri poſſent auctoribus, quos tamen vel per eorum, vel temporis defectum conſulere unicuique integrum non eſt.

Ceterum nec invenies in hoc opere nimium ſincopatas factorum narrationes, ex quibus nihil addiſcimus, nec immenſam voluminum ac rerum, quarum notitia inutilis eſt, voraginem, ubi omnes etiam minimæ circumſtantiæ prolixo ſer-

mone efferuntur, nam descriptiones rerum, hominum indoles quasi anatomice dissecatæ, Dissertationes politicæ, ac morales reflexiones, factorum substantiam absorbent, memoriam obruunt, & nimia mole mentem occupant. Cuique materiæ accomodam amplitudinem tribuere statuimus, quæ absolute ignorari possent, superficietenus, quæ vero scitu necessaria sunt, intimius perscrutantes. Nec tamen omnes descriptiones, morum exaggerationes, politicorum regulas, minus vero reflexiones morales exulare jussimus, sed tamen in omnibus magis veterum genio conformes fieri maluimus, quam modernorum quorumdam abusui, qui ejusmodi condimentis ordinarie vel nimis diffuse, frequenter, & insulse utuntur, & hoc ipso persæpe tædium afferunt, eoquod illo sale, quo saperent, lucubrationes suas non aspergunt. Præcipue declinavimus ejusmodi flores de longe quæsitos, nec adhibuimus illos, nisi quando

do ſponte ſua occurrerunt, vel quia factorum ſunt cauſſæ, effectus, vel circumſtantiæ, quæ tantum abeſt, ut hiſtoriam obfuſcent, ac confundant, quin potius illuſtriorem reddant. Ac ideo rariores addimus reflexiones, in illis ſe exercendi, ac Phantaſiam ſuam paſcendi copiam Lectori relinquentes.

Veritas, cum Hiſtoriæ anima ſit, unica quoque ſcriptoris meta ac gloria eſſe debet, niſi illorum vitio notari velit, qui, ut ſuis libris gratiam concilient, eos fabuloſis epiſodiis, & factis artificioſe concatenatis, ut eventum eo magis prodigioſum venditarent, replent. Proh! quot libri ob ſolum hoc vitium etiam a mediocris ingenii Viris hodiedum vilipenduntur, & non alios, ſi tamen quosdam habent, Lectores nanciſcuntur, quam qui eos non tanquam veram hiſtoriam, ſed quamdam ingenioſe confictam narrationem reſpiciunt. Exacta ergo veritas ſemper præferenda eſt iſtis cupediis, quæ

ſine

sine ejus dispendio adhiberi nequeunt, & quidquid, veritati consonum non est, cujuscunque demum pretii sit, ab historico longe abesse debet. Equidem in rebus dubiis, & utrinque controversis una opinio huic Scriptori verisimilior videri potest, quam alius tamen improbabilem (& forte talis omnino est) judicat. Attamen hoc talis naturæ vitium est, a quo se eximere præsumptio foret, omnes enim homines huic malo obnoxii sunt, & solus Deus est, cui omnium rerum veritas cognita est.

Quidquid in mea historia refero, testibus comprobo, quos, ut veritatem facti ex proprio illorum, ut ita dicam, ore edisceré valeat Lector, nominatim exhibeo, & citationes, quas in editionis primæ tomo XXI. (in 12^mo) omiseram, in margine suppleo, plurimasque tomo XXII. adjicio, eo enim tempore nimis facile mihi persuaseram, quod eruditi Viri fontes, ex quibus narrata hauserim, abs-

absque negotio detecturi, ceteri vero eos nunquam consulturi sint. Verum hanc meam opinionem non omnibus arridere, sed nullum factum sine teste ab Historico produci debere edoctus sum, præcipue a quodam apprime erudito, ac considerato Censore, (*) hujus mei libri examinatore, ac judice digniſſimo, cujus judicio eo promptius acquievi, quo celebrior audit Abbas iste non solum in dijudicandis sinceriſſimus, & integer, ac limato suo judicio longe præstantiſſimus, prout cunctæ suæ lucubrationes testantur, sed etiam ob vastam eruditionem suam, ac morum comitatem atque gratiam summe commendandus.

Fere omnes noviſſimorum sæculorum illustriores Auctores hanc methodum adoptarunt, veluti Spondanus, Tillemontius, Fleurius, P. Daniel, Infantius, Marsolerius & tot alii. Præclara horum exempla imitaturus etiam tritiſſimos quosque

(*) *D. Abbas Villiers.*

que, & omnium manibus obvios allegavi Auctores, ut Lectores dictorum meorum fidem, & penitiorem notitiam ex ipsis fontibus facili labore haurire queant. Quid enim ejusmodi citationes prodessent, si Lectores duntaxat ad vetera & rara remitterentur monumenta, vel ad manuscripta, quæ vix ulli ad manus sunt? Si vero cujusdam libri vulgaris citationem historico parum dignam objectaveris, memento, Lectoris utilitatem ac commodum longe præstantius esse bonum? Auctor enim, qui suam gloriam Lectorum fructu potiorem facit, vanitate tumens est, cujus fallaces fuci timeri, & fides ejus, nisi probatis documentis bene munita sit, semper suspecta esse debet. Igitur ex citationibus ad marginem positis patebit, me Auctorum coævorum, ac recentiorum auctoritate indiscriminatim usum fuisse. Prædecessorum meorum studia, mea facio, eorum verba describo, nec tamen cæco modo sequor, temporis quo-

quoque ſupputationes adopto, quæ mihi magis ſtabilitæ videntur.

Nec tamen hoc unico Lectorum utilitas ex hac editione redundans circumſcribitur; Nam hæc duo volumina attento oculo perlegi, ſtudioſe menda ſubin vel meam vel librariorum ſolertiam effugientia caſtigavi, monita mihimetipſi data fideliter executus ſum, nec ea in vanum accepiſſe, ex compluribus correctionibus in nova hac editione obviis apparebit. Hiſtoriam Sæculi XV, a quo exordior, non usque adeo clare, ac perſpicue exponi poſſe judicabam, niſi rem quaſi ab ovo repeterem; quocirca præliminarem diſſertationem præfixi, quæ totam complecteretur Hiſtoriam a principio ſchiſmatis An. 1378. usque ad electionem Archiepiſcopi Barenſis, Urbani VI nuncupati, & Gregorii XI ſucceſſoris, dein usque ad Clementem VII. quinque poſt menſibus Fundis electum, a quo incæpit in Eccleſia ſchiſma, ultra quinquaginta annos continuatum, & primum

in

in Synodo Conſtantienſi extinctum. Infantius hujus concilii Hiſtoriam ex monumentis Domini Vander-Hardt (unde & ego non pauca uſui meo accommoda mutuavi) collectam poſteritati reliquit. Abbas Fleurius quidem eandem hanc materiam usque ad dictum Concilium enarravit, attamen hic auctor, præterquam quod ad unicum tomum vix non octoginta annorum curſum reſtrinxerit, & plurima provectæ ætatis vitio ſuam ſolertiam, ac memoriam effugerint, inſuper innumeras omiſit rerum circumſtantias, prout ex meo Summario patebit. Hac ratione motus hiſtoriam meam a ſæculo XV. & anno 1401. inchoare decrevi.

Præterea in cunctis hujus ſæculi factis conſului Theodoricum de Niem, S. Antoninum, Onuphrium, Trithemium, Bzovium, Marianam, Platinam, Ciaconium, Leunclavium, Cardinalem de Alliaco, Gerſonium, Clemangium, Sguropulum a Kreigtonio e Græco latine redditum

ditum, & plures alios, quos citatos reperies. Subſtantiam vero eorum, quæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam reſpiciunt, deſumpſi ex collectione Conciliorum Patris Labbei Jeſuitæ, quem in iis, quæ dogma tangunt, tanquam Ducem meum ſecutus ſum, nec minus etiam acta Juſtiniani, & Auguſtini Patricii in eadem collectione relata, ex quibus Conciliorum Ferrarienſis, & Florentini geſta non modicam lucem acquirunt. Quantum ad Synodum Baſileenſem, omni qua potui, ſolertia cunctas illius Seſſiones per novem annos habitas indicavi, conſultis iisdem Patricii actis, & fideliter extractis, quæ Æneas Sylvius, & Archiepiſcopus de Palermo, ſub nomine Panormitani cuique notus, ſcripta reliquerunt, primus quidem in ſuis Epiſtolis, Bohemiæ Hiſtoria, ſuis commentariis, & in quodam opuſculo, cui titulus: *Geſta Concilii Baſileenſis*, quod præfixum legitur libro: *Faſciculus*, edito ab Orthuino Gratio, & Londini An. 1690. typis impreſſo, ut taceam veterem editio-

nem anni 1535, quam pariter manibus terebam. Pervolvi quoque binas Cardinalis Juliani Epistolas ad Eugen. IV. in quibus Basileense Concilium solvi dissuaserat, quæ unacum Epistola Æneæ Sylvii ad Joannem Segoviensem de inauguratione Felicis V. & concordato cum Bohemis tractante, habentur in præfata collectione Gratii. Alter vero, scilicet Panormitanus in suo tractatu de Concilio Basileensi, ubi quæstionem de auctoritate Concilii supra Papam admodum solide discutit, & & per ipsa Canonistarum principia objectiones diluit, nihil eorum in quæstione facti & juris intactum relinquens, quæ in causæ suæ patrocinium afferre potuisset. Gerbaisius Sorbonæ Doctor hunc tractatum fidelissime transtulit, & non minori voluptate quam utilitate perlegitur.

Penetravi usque ad Historiæ civilis atria, sed semper tutos viæ Duces seligere studui. Quæ Historiam Constantinopolis, Phranzæ, quæ vero Turcas concernunt, Chalcondyli, in acceptis refero. Æneam

neam Sylvium pro rebus Bohemiæ, Marianam pro Hiſtoria Hiſpaniæ, Othonem Friſingenſem, Cochlæum, & Heiſſium pro Germania; Guilielmum Camdenum, Polydorum Virgilium, Larreyum, Rapinum Toyras, & Patrem de Aurelia Jeſuitam pro Anglia, Joannem Juvenalem ab Urſinis, Monachum Sandionyſianum Anonymum, Joannem Chartierum, & Matthæum Coucyum pro Francia ſub regno Caroli VI & VII, pro Regimine autem Ludovici XI, & Caroli VIII, Philippum Cominæum ultimæ editionis Bruxellis anno 1723. in quinque voluminibus opera D. Godefridi impreſſæ conſului, ſelectiora quoque deprompſi ex Mezerajo, ex hiſtoria Franciæ Patris Danielis, aliisque Auctoribus, qui quorumdam Regum vitas ſpeciatim ediderunt. Tandem occurrente occaſione de quodam Sancto diſſerendi, Bailletum ſecutus ſum.

Nunc ergo de inſtituti mei executione judicium Lectori relinquo, & niſi ejusdem humanitati confiſus mihi perſuaſiſſem, quod a tenuitate mea opus adeo exquiſi-

quiſitum, eruditum, ac exactum non expectaverit, quale erat illud, quod proſequor, certe nunquam hanc provinciam in me ſuſcepiſſem. Quocunque tamen modo benignus Lector meum laborem æqui bonique conſuluerit, ſemper tamen ipſius patientia, ac venia mihi erit neceſſaria, quam iterato precor ob quosdam paucos quidem, & minus graves hinc inde irrepentes typi errores, quamvis illis corrigendis in hac ultima editione nulla non adhibita fuerit induſtria. Expunximus quoque plures ambiguas Phraſes, ſenſum improprium referentes, additis etiam non nullis, ex quibus ea, quæ referuntur, majorem lucem accipere videntur. Denique ut hæc noſtra continuatio Fleurianæ Hiſtoriæ magis conformis cenſeatur, totum opus in Libros partiti ſumus, incipientes a centeſimo primo, eoquod Doctiſſimi hujus Hiſtorici volumina non niſi centum complecterentur libros.

INTER-

INTERPRES

Lectori benevolo Salutem!

De operis hujus instituto, Continuatoris nostri consilio, atque de versionis meæ ratione quid, Lector amicissime, sentias, paucis accipe. Fusius quippe in Historiæ Ecclesiasticæ laudes, ut excurram, eamque prolixiori sermone commendem, dissuadet ipsamet illius utilitas juxta ac venustas, omnibus perspicua, ac

præcipue ſæculi noſtri quotidie delicatioris genio accommmodata, *vendibili* enim *vino*, ut decantatum fert proloquium, *quæſiti elogii hædera haud opus.* Nihilominus non erit abs re, ut præcipuas, quibus Fleurianæ Hiſtoriæ continuatio ab Auctore noſtro feliciter elaborata ceteris eminet, prærogativas impræſentiarum recenſeam.

§. I.

De operis præſtantia.

Perfecti Hiſtorici partes expleſſe, ab omnibus artis criticæ peritis cenſetur ille, qui in rebus ſeu recenſendis, ſeu reſecandis prudentia, in dijudicandis ſolertia, in iis, quæ laude vel vituperio digna ſunt, internoſcendis ſagacita-

gacitate, in variis geſtorum narrationibus conſtantia præſtans exiſtit, ac demum ſeverus veritatis aſſertor, atque ab omni partium ſtudio alienus probatur. Ad hæc ſane critices præcepta inſtructam eſſe præſentem Hiſtoriæ continuationem haud cunctanter aſſerimus; illius enim Auctor celeberrimi Abbatis Fleurii veſtigia premens minus digna, a propoſito ſuo devia, ac ſcholaſticorum altercationes redolentia ſollicite reſecavit, potiſſima tamen Eccleſiæ atque Europæ geſta methodo digeſſit adeo ſuccincta, ut *ex eorum ſimpliciſſima narratione paratum* (ita Cicero loquitur (a)) *habeant*,

(a) *ad Marcum Brutum.*

habeant, unde ſumant, qui velint operoſiorem Hiſtoriam conſcribere. Non tamen propterea conqueri poterit Lector, ac ſi ex ejus Hiſtoria plus habeat, quod divinet, quam ſciat & teneat. Media enim inceſſit via Continuator noſter, nunquam parcus, niſi facti ignobilitas expoſcat, ſemper amplus, ubi rei gravitas verba per conciſas oratiunculas reſtringere prohibet. Nec ergo compendium ſterile, nec faſtidioſa Hiſtoriæ volumina tibi exhibentur; hujus enim operis uſus Lectori ſuo nec brevitate inſufficiens, nec amplitudine tædioſus erit. Præterea libero ſatis calamo ea reprehendit Auctor, quæ vituperanda ducit, & quæ placent, adjectis non raro

raro rationibus comprobat, in quo tamen & ipsum quandoque humana passum fuisse, haud dissimulamus, quamvis id non Scriptoris vitio factum credamus, sed moribus patriæ, in qua scripsit, serviendi necessitate. Nihilominus jure merito de Continuatore nostro id ipsum, quæ Weismannus de Joanne Launoio effatus est, edicere valeo: (a) *Historicus est cordatus, lectionis vastæ, judicii sat exercitati, & quod præcipuum est, veritatem animo liberiore sectantis ingenio.* Ut vero sibi semper constaret, coævos ut plurimum sequitur auctores, totumque narrationis filum ex eodem

(a) *in sua Notitia Auctorum.*

eodem plerumque Hiſtoriæ corpore deducit. Dixiſſe ſufficiat Continuatorem noſtrum, quæ Fleurius indefeſſo juxta ac utiliſſimo labore auſpicatus eſt, tam ampla eruditione & ingenio abſolviſſe, ut quæ olim Joannes Hornbeckius de Baronii Annalibus cenſuit, de utroque Clariſſimo noſtro Auctore effari liceat: *Sane*, inquit ille: (a) *iſtud opus incomparabile dico, cui ob Auctoris utriusque diligentiam, laborem, & eruditionem, quantum debet, vix ſcit Eruditorum orbis.*

§. II.

De Continuatoris Nomine.

Hiſtoriæ ſuæ, quam Continuator a ſæculo XV, quo deſiit Fleu-

(a) *Miſcell. lib.* I. *c.* I.

Fleurius, usque ad annum Domini milleſimum quingenteſimum nonageſimum quintum proſecutus eſt, nomen ſuum haud præfigendum cenſuit, abs dubio, plus de literariæ reipublicæ utilitate, quam de nominis ſui gloria ſollicitus. Communior tamen vox, atque ſententia eſt, hujus lucubrationis Auctorem extitiſſe R.P. Dominum Joannem Claudium Fabri Congregationis Patrum Oratorii Alumnum. Ipſus ego Pariſiis a quodam Prælato, Viro in omni hiſtorica eruditione longe verſatiſſimo, aliisque non infimæ notæ Religioſis, hunc ingenii partum ab ejusdem calamo profluxiſſe didici; præterea Richardus (a) inſigne hoc opus

(a) *Dictionaire Univerſel Tom. II. p.* 670.

opus eidem P. Fabri adjudicat, ac de eo meminit, illum Anno 1686. die 25. Aprilis Lutetiæ Pariſiorum natum, theologicæ facultatis Pariſienſis Baccalaureum fuiſſe; demum vero die 22. Octobris Anno Domini 1753. extremum obiiſſe diem. Cetera Virum fuiſſe morum comitate ac modeſtia valde commendabilem, atque a cunctis, quibus colloquii copiam dediſſet, dilectum ac ſummo honore habitum. Verum hæc quæſtio de Nomine eſt.

§. III.

Doctorum de eo judicium.

Quamquam plerisque eruditis Continuator noſter, Scriptor magni Nominis, ævo noſtro ſine controverſia celebratiſſimus, ac

ac perſpicuitatis merito nec non in factis ſeligendis judicio, & in connectendis dexteritate longe præſtantiſſimus deprædicetur, non deſunt tamen, qui eidem errores haud contemnendos, nævosque graviores exprobrant. Nihil moramur ſeveriorem illorum Criſin, qui delicatioribus naribus ſemper impietatem odorantur, niſi plenis buccis Eccleſiæ, aut Summorum Pontificum merita extollantur, ſi vero illorum nævi referantur, jam a veritate aliena, ac fidei contraria proferri lamentantur, piisque oculis ſubmovenda exiſtimant. Aſt Hiſtorici eſt veritatem facti edicere, nulli perſonæ adulari. Non ergo in omnibus ſugillandus eſt

Conti-

Continuator noſter, ubi mores Summorum Pontificum, maxime qui tempore ſchiſmatis Eccleſiæ præfuerant, redarguit: quod enim eos Eccleſia infallibiles in dogmate teneat, nunquam Angelos, ſeu impeccabiles in moribus venditat. His prætermiſſis, Pagius in ſuo Breviario geſt. Rom. Pontific. tom. 5. ad Annum 1459. num. 9. & ad Annum 1467. num. 29. ac alibi ſæpius Continuatorem noſtrum literarii plagii poſtulat hæc ſcribens: *Spondanus & poſt ipſum Continuator Hiſt. Eccleſiaſticæ Abbatis Fleurii, qui Spondanum tranſcribit &c.* haud diſſimulamus, hoc ipſum non raro & nos in decurſu obſervaſſe, ceterum id plerumque inde acci-

diſſe

disse deprehendimus, quod Continuator eosdem secutus esset cum Spondano Auctores, ambo vero illos suis verbis recitarent. Novissime etiam R. D. P. Bruno Parode clarissimus Fleurianæ Historiæ interpres in suo proemio hæc de illo notavit, *Historiam Fleurii Dominus Fabri usque ad sæculum XVI. completum continuavit, sed a Fleurii vestigiis, methodo & materia longe recessit.* Richardus quoque (a) haud absimile de illo judicium fert, dum scribit, " Continuator stupenda „ pollebat memoria, ac mira scri- „ bendi facilitate, in sua tamen „ Histo-

(a) *Dictionaire universel des sciences Ecclesiastiques par Mr. Richard & autres Religieux Dominicains &c. Tom. II. p. 670.*

„ Hiſtoria Eccleſiaſtica deſidera-
„ tur illa ingenii acies, materia-
„ rum ſelectus, ac a falſis diſcer-
„ nendi ſagacitas, qua eminebat
„ celebris ille Scriptor, cujus Hi-
„ ſtoriam proſecutus eſt „. Equidem hoc judicium haud adeo iniquum eſt, nihil tamen usquequaque utilitati ac præſtantiæ operis derogat, etiam ſtella a ſtella in claritate differt, quælibet tamen lucem ſuam orbi communicat. Aſt acerbior longe fuit Cenſura Reverendiſſimi Domini Stevart Eccleſiæ Metropolitanæ ad S. Rumoldum Mechliniæ Decani, qui præterquam, quod hujus continuationem non minus periculoſam, quam ipſam Fleurii Hiſtoriam aſſerat, eundem etiam carpit,

pit, quod Fleurii dissertationes summe *injuriosas* ac *scandalosas* plurimum deprædicet, potissimam gestorum partem ex schismaticis, hæreticis, aliisque proscriptis libris mutuet, inconsulto zelo quatuor famosos Cleri Gallicani articulos commendet; de decretis Sessionis IV. & V. Concilii Constantiensis falsa proferat, Basileensis acta depravet, & livido dente sanctissimos etiam Pontifices, præcipue Innocentium VIII. arrodat. Equidem nævis suis Fabri Historiam laborare haud diffitemur; aliqua enim immodico Gallicarum libertatum studio longius abreptus conscripsit, quibus occasione præprimis ex Pisano, Basileensi & Constan-

tienſi Conciliis captata, ſummorum Pontificum auctoritatem offendit, non tam ſuo, quam eorum, qui primi de ejusmodi Materia ſcripſerunt, vitio; in hoc tamen omnino redarguendus, quod frequenter ſcriptores, qui acriori calamo geſta Pontificum perſtringunt, ſelegiſſe videatur, poſthabitis iis, qui ſalva rei veritate modeſtiores confecere commentarios, in hoc plane non ſecutus egregium Ariſtotelis documentum, quo præſcribit inter diſſidentes (Hiſtoricos) oportere *utrosque diligere, adhærere vero certioribus* (a). Prævaluit nempe moderni ſæculi corruptela, qua eruditus non cenſetur, niſi qui liberius

(a) *Metaphyſic. c.* 8.

rius facta, veterum etiam assensu comprobata, reprehendit, ille autem egregius veritatis vindex audit, qui ruptis modestiæ repagulis, unicum forte hæterodoxum, aut Scriptorem etiam Catholicum, sed iracundia commotum in asserti sui patrocinium allegat, atque audacter in Pontifices & Ecclesiæ acta stylo satyrico desævit. *Sane iniquius nihil*, inquit Petrus Firmianus, *quam maligno calamo, aut dente aliorum lapsus perstringere, ut supra errores positi videamur, qui tam proterve, tamque solute arguimus.* Ejusmodi Historicos ingenuus ac veritatis amans Lector respuit, eisque cum Papyrio Massonio (a) in-

d 2 digna-

(a) *Histor. Pontif.*

dignabundus denuntiat: *Te non ſequemur, iratus enim, & inimico animo ſcribere videris, remque hiſtorico indignam facere, quem ira & odio rapi indecorum eſt.* Nec propterea in omnibus ſugillanda eſt noſtri Continuatoris libertas; Hiſtorici enim eſt, veritatem facti exponere, non vero perſonæ apologiam concinnare. Hæc ſunt præcipua, quæ Continuatori noſtro objecta comperimus, eadem tamen ubi occurrerint, pro injuncto mihi munere, notis etiam emendatoriis caſtigabimus.

§. IV.

De Interpretis conſilio, & interpretationis ratione.

Hanc Hiſtoriam ut latinitate donarem, conſilium primo inſpirabat ſuperiorum meorum voluntas, poſtmodum nec mediocre

cre propoſito calcar addebat, ipſa operis nobilitas, & laboris utilitas; gallicam enim, qui ignorant linguam, haud minori deſiderio, ac antea Abbatis Fleurii verſionem, ejusdem quoque continuationem in latinum transferri exoptabant, prior horum voto plene ſatisfecit Clariſſimus ac P. R. D. P. Bruno Parode, cujus memoria in benedictione eſt, poſterior quidem interpretationis complementa eodem ſucceſſu elaborare conor, aſſequor minime. Nec tamen manum a tabula removendam arbitratus ſum. Abſorbet enim virium mearum defectum operis præſtantia, qua viri eruditi plurimum pellecti interpretationis negotium mihi con-

credere non dubitarunt. Stimulat etiam animum laboris utilitas, qua præſentem Hiſtoriæ Fleurianæ continuationem non ſolum latinitate donandam, ſed maxime a mendis, quibus ſubinde ſcatet, ac præcipue ab illis, quæ rudi aut incauto Lectori offendiculo eſſe poſſent, ita expurgare conſtitui, ut ab omnis generis hominibus inoffenſo pede percurri valeat. Hunc laborem utpote utiliſſimum eo lubentius in me ſuſcipio, quo magis chriſtianæ Reipublicæ perniciosum foret, ſi Hæterodoxorum non nemo, (quos plerumque promiſcua Pontifices calumniandi libido a veritatis ſemita abducit) falcem ſuam in alienam hanc meſſem primus miſiſſet, & forte etiam

etiam ex melle venenum fugens, damnanda licentia ac libertate librum hunc adjectis corruptissimis notis conspurcasset, cujus rei recens juxta ac luculentum est argumentum versio illa germanica Historiæ Fleurianæ a quodam Hæterodoxo concinnata, merito Cæsareo edicto proscripta, & a Cl. D. P. Parode tam speciali libro germanici idiomatis, quam passim in progressu latinæ versionis suæ confutata. Prodiit etiam Anno 1724. Amstelodami in lingua hujus patriæ vernacula liber quidam sub hoc titulo: *Aenmerkens waerdige geschiedenissen getrokenuyt de geleerde Kerkerlyke Histori Fleury, met korte bemerkingen dormengd &c.* in quo Schisma-

tici Batavi in unum volumen ſtudioſe congeſſerunt, quæ ſparſim in XX tomis Hiſtoriæ D. Abbatis Fleurii liberius ſcripta inveniuntur, eaque corruptiſſimis notis, atque a ſenſu Auctoris plurimum alienis depravarunt. Neminem quoque latet nuperrime ejusdem Hiſtoriæ Synopſis Gallico idiomate inſcripta: *Abregé de l'hiſtoire Eccleſiaſtique par Monſieur Fleury*, typis vulgata, a M. d'Argens, aut verius a Monſieur de Prades Doctore Sorbonico iniquiſſimo calamo elucubrata, in qua Clariſſimo D. Abbati Fleurio tanquam Auctori, quidquid virulentum, impium, ac ſacrilegum excogitari poteſt, per ſummam injuriam affingit, haud alio certe conſilio,

consilio, quam ut orthodoxæ fidei hostes quemdam scriptorem catholicum squammata incircumcisi cujusdam Goliath lorica indutum, qui agminibus Israel exprobraret, proferre, ac se viros spurios in ipsis Israelitarum castris invenisse, gloriari valeant; nempe incautis Lectoribus, ac simplici plebeculæ etiam in linguis vulgaribus putidas contra sedem Apostolicam calumnias sub ementito cujusdam Scriptoris orthodoxi velamine impune obtrudere solent. Ceterum de interpretationis meæ ratione, Lector benevole! te admonitum volo, me editione Parisiensi, literis Emerienſibus Anno 1726. excusa usum fuisse, utpote ab ipso Auctore secundis curis

recognita. Scias quoque in eo potiſſimum meum verſatum fuiſſe laborem, ut Auctoris veſtigiis, quantum licuit, preſſo pede inſiſterem, non verba, ſed illorum ſenſum aſſequi, & potius claritati, quam phalerati ſermonis cultui intentus: Barbariem quidem vulgaris ſermonis, ejusque ſordes, quam maxime potui, vitare curavi, ſæpe tamen obſcuras verborum circumſcriptiones declinaturus, barbaris quidem, v. g. *Parlamentum, Conſiſtorium, Conneſtabilis, Neutralitas, Salvus conductus &c.*, captui tamen magis accomodis uſus ſum verbis; rebus enim recens inventis nova quoque verba adhibere licet: quare & in hoc meum ſermonem, ſi non probatum

tum, saltem excusatum iri confido. Praeterea Nomina Virorum illustrium, ne styli concinnitas violetur, ad latinam formam deflexi, plerumque tamen ea suo idiomate in margine notata reperies, qua eadem methodo sum usus, dum latina urbium nomina apud Geographos desiderantur. Nulli praeterea peperci labori in evolvendis Auctoribus, quos Continuator allegat, ac non raro eorum verba, ut vocant, formalia etiam ubi Continuator propriis suis loquitur, adduxi, ut Historiae non sola narratio, sed fides quoque & veritas eo certius constaret. Habes igitur amicissime Lector, laboris mei, si non fructum, saltem conatum, quem ad operis hujus interpreta-

pretationem impendi, hunc quoque pro tua humanitate æqui bonique consule, & nævos atque errores typi aut calami, siquid fortassis in sensum Auctoris peccavi, vel solerter emenda, quod a tua prudentia peto, vel benigne excusa, quod a sincero oculo & charitate tua spero. Vale ac meis qualibuscunque demum studiis fave. Quæ tibi, meque ipsum verbis S. Gregorii commendo, *ac quæso, ut quisquis hæc legeris, solatium mihi tuæ orationis impendas, & qui per me verba accipis, pro me lacrimas reddas.*

DISSER-

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS

ceu

Isagoge

ad Historiam Ecclesiasticam

decimi quinti Sæculi.

Quemadmodum ingens illud, ut vocatur, Occidentis schisma, ad cujus extinctionem Pisanum & Constantiense Concilia fuere celebrata, occasionem sumpserat vel maxime ex eo, quod a tempore Clementis V. usque ad Gregorium XI. Romani Pontifices sedem suam Avenionem transtulissent, hinc vix opportunius

hanc

hanc Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem, quæ ſane celebrioribus Sæculi XV. fatis locupletiſſima eſt, dilucidare poterimus, quam ſi eam ab ipſa hujus ſchiſmatis origine repetamus.

Igitur Bonifacio VIII., cui acres cum Philippo *pulchro* Galliarum Rege lites interceſſerant, fatis functo, Benedictus XI. ſucceſſit, qui, poſtquam decem circiter Menſes S. Petri Cathedram rexiſſet, Peruſiæ mortalitatem exuit. Iidem vero Cardinales, qui eum elegerant, Sedi vacanti ſucceſſorem daturi, conclave ingrediuntur; aſt ſubdolæ quorumdam artes, quæ per octo annos Bonifacii VIII. Pontificatum turbabant, cum necdum extinctæ eſſent, Cardinalium animos in diverſa abripuerunt ſtudia. Inficiari equidem minime valet, potiſſimam eorum partem de eligendo ejusmodi Pontifice, qualem Eccleſiæ ſalus expoſceret, unice ſollicitam fuiſſe; attamen non omnibus idem inſederat boni publici amor purus adeo atque integer, quin multi eorum propriæ ſuæ ambitioni litare cupientes,

tes, illicitis etiam mediis ad ſupremum Pontificatus apicem aſcendere conniterentur.

In hac Cardinalium diſcordia de electione conclamatum eſſe videbatur, quocirca Nicolaus de Prato Cardinalis ex Ordine S. Dominici, & Gallicæ partis Princeps, nec non Cadinalis Cajetanus Italorum caput mutuo conſilio decreverunt, ut Italica factio tres Gallicos deſignaret Archiepiſcopos, ex quibus Galli aliquem in Summum Pontificem eligerent. Itaque inter tres, quos nominavit Cajetanus, primus erat Bertrandus Aguſtenſis, Archiepiſcopus Burdegalenſis, quem Abbas Fleurius Bertrandum de Goto appellat. Hic anno MCCXCV. Epiſcopus Convenenſis renuntiatus eſt a Bonifacio VIII, a quo anno MCCXCIX. paucis ante natalitia Chriſti diebus ad Archiepiſcopatum Burdegalenſem translatus fuit; hujus nominationem, quamvis inimicus eſſet Regis Galliæ, gratam habuit Pratenſis, certioremque ea de re reddidit Philippum Pulchrum,

chrum, hortatus, ut ſpe futuri Pontificatus Archiepiſcopum lactare, ac rebus Galliæ propitium reddere ſtuderet. Conſilium Pratenſi ex ſententia ſucceſſit. Burdegalenſis enim oblatum Pontificatum acceptans, Regi, quæcunque peteret, ſe præſtiturum ſpopondit, dummodo Tiara potiretur. Philippus pulcher, ut memorant Auctores, ſex propoſuit articulos, quorum quinque Bertrando diſertis verbis indicavit; circa ſextum vero pro ratione temporis, ac loci mentem ſuam aperiendi libertatem ſibi reſervavit. (*) Quisnam fuerit ſecretus iſte articulus, altum apud Scriptores ſilentium; conjiciunt alii Regem ab Archiepiſcopo poſtulaſſe, ut ſedem papalem in Gallias transferret, ubi Rex Summos Pontifices arctius in officio continere poſſe ſperabat, quam hucusque a Bonifacio VIII, & ejus Succeſſore Romæ

(*) S. Antoninus p. 3. tit. 21. c. 1. ſic habet; *ſextam gratiam mihi reſervo, exprimendam loco, & tempore ſuo arduam, & magnam.*

mæ consequi poterat. Sed ut ut hæc sint, electus tamen fuit Bertrandus Perusii sub nomine Clementis V, moxque Avenionem, urbem tunc Carolo Siciliæ Regi subditam, sedem suam transtulit, quæ juxta Platinæ supputationem post ipsum per septuaginta quatuor annos ibidem permansit, sex aliis Pontificibus in eadem urbe residentibus, nempe Joanne XXII, Benedicto XII, Clemente VI, Innocentio VI, Urbano V, & Gregorio XI, omnibus natione Gallis.

Itali jam per octoginta fere annos a Gallis Pontificia dignitate exclusi, nil intentatum relinquebant, ut Papam denuo in Italiam reducerent, caussati, Romam eo absente per Guelphorum ac Gibellinorum factiones crudeliter depopulatam, ac Patrimonium S. Petri totaliter devastatum fuisse. Una quippe ditionis Ecclesiasticæ pars seditione jugum excusserat, altera a privatis Principibus occupata, & usurpata, reliqua tandem admodum exigua per Florentinos

Hist. Eccles. Lib. CI. §. XXIX.

tinos ſacram Sedem bello premen-tes, cædibus ac rapinis fœde funeſtata ingemuerat. Gregorius gravibus adeo rationibus, præcipue vero validis, ac aſſiduis S. Catharinæ Senenſis precibus devictus, tandem ſacram Sedem Urbi Romanæ reſtituere decrevit, ſpreto amicorum ſuorum, & plurimorum Cardinalium conſilio, qui ſchiſma ex hac translatione facile enaſciturum, & mala ac tumultus Eccleſiæ poſt mortem ejus imminentes præſagiebant.

§. I.

Schiſmatis Exordia.

Porro Vaticinium iſtud probavit etiam eventus. Cardinales enim, Gregorio Anno MCCCLXXVIII. decedente, de ſucceſſore eligendo deliberant. Sexdecim eorum Romæ morabantur, quos inter quatuor duntaxat erant Itali, ceteri omnes Galli, ſolum ſi excipias Petrum de Luna Arragonenſem. Igitur Galli ſuæ nationis Papam eligere meditantur,

tantur, sed Romani haud abs re pertimescentes, ne sub Pontifice Gallo denuo sacra Sedes in Franciam migraret, armata manu, minisque acerbissimis Cardinalium Collegium, ut Italum eligerent, adigunt, necnon conclave cingunt, continuo vociferantes: *Romano lo volemo lo Papa*, id est, Romanum creari Pontificem petimus, mortemque comminantur, si secus fecerint.

§. II.

Tumultuaria Urbani VI. Electio.

Eligunt ergo non quidem absque populari tumultu, ac metu (*) Bartholomæum de Prignano Archiepiscopum Parensem Neapoli oriundum. Postquam vero rumor per urbem increbuit, Archiepiscopum Parensem fuisse electum, populus similitu-

(*) *Urbani VI. electionem vindicarunt Odoricus Rainaldus ad annum 1378 & apud eundem Baldus de Perusio, & Joannes de Eignano in Gallia Vindic. Diss. 3. §. 4. & plures alii.*

militudine nominis deceptus, & quemdam Joannem Barenſem Gallum, ac Papæ defuncti cubicularium ad Pontificium ſolium evectum exiſtimans, denuo furere, ac tumultuari cæpit. Eo tempore Cardinalis S. Petri e feneſtra proſpicere cernebatur, cum itaque nonnulli longius ab eo ſtantes interrogarent, quisnam ille eſſet? alii vero reſponderent: eſſe Cardinalem S. Petri, illico Romani, Cardinalem S. Petri Pontificem eſſe autumantes, per totam urbem curſitare, & uno ore clamare: *Viva ſanto Pietro, vivat ſanctus Petrus.* Hoc novo errore Cardinales ad modicum tempus ab inſultibus populi reſpirare cæperant; poſtquam vero Romani conclave adhuc clauſum animadvertiſſent, geminato furore accurrere, conclavis portas effringere, Cardinales capere, eorum ſuppellectilem deprædari, identidem clamantes: Se vel Patria Romanum, vel ſaltem natione Italum poſtulare Papam. Cum autem quidam Cardinalium famulus eis diceret: utique habe-

Theo. Niem. de Schiſm. l. 1. c. 1. & 2.

habetis Pontificem S. Petri Cardinalem, illi e vestigio hunc educunt, Pontificalibus insignibus ornant, in altari collocant, & solito obsequio venerantur. Attamen cum ipse, nec se esse creatum, nec velle se Papam creari, constanter obtestaretur, convitiis affectum dimittunt.

Interim ægre fuga sibi consulere poterant Cardinales, quorum quidam a populo capti, & contumeliis, ac verberibus lacessiti, alii sub alieno habitu recedere coacti, hi domos suas petere, illi urbe exire, vel in Castrum S. Angeli confugere. Postera die Barensis Archiepiscopus, ut memoravimus, electus, proclamari quidem cupiebat, sed omnibus Cardinalibus destitutus, Magistratibus urbis insinuat, incassum esse omnia, ni eorum solicitudine Cardinales convocarentur, per quos sua proclamaretur electio, ipseque in sacræ Sedis possessionem induceretur. Ergo duodecim, seu tredecim Cardinales, qui urbe necdum excesserant, a Magistratu acciti, tremula voce Ar-

chiepiſcopum Barenſem ſub nomine Urbani VI. proclamant, & die 9. Aprilis eundem in Papali Sede collocant; ille autem decimo ſeptimo ejusdem menſis die ipſo Paſchali feſto iisdem Cardinalibus præſentibus a Cardinale Urſino coronatus eſt. Cardinales Romæ degentes literas ad Purpuratos Avenione reſidentes exarrant, electionem Barenſis Archiepiſcopi indicantes, eandem quoque unanimem, ac plene liberam fuiſſe, nec ulli deſuper dubio locum eſſe ſignificarunt, qui tamen eam paulo poſt contrariis factis a metu penitus immunem non fuiſſe, palam innuebant.

Bacher. ſpicil. Tom. 10.

§. III.

Cardinales Roma Anagniam ſecedunt.

Idcirco Cardinalis de Agrifolio, & quidam alii Regi Francorum ſcripſere, ne epiſtolis a Cardinalibus, quamdiu Romæ eſſent, datis ullam fidem adhiberet, eoquod metu per popu-

populum Romanum conſtricti ſcriberent. Profecto tredecim Cardinales Galli ſeveriorem Urbani VI. indolem ægre ferentes, præprimis Anagniam, ſtatus Eccleſiaſtici urbem, concedente Papa, ſub prætextu æſtivum declinandi calorem Roma abſceſſerant; inde vero ad Urbanum literas miſerunt, in quibus omiſſo prorſus Summi Pontificis titulo, eum apoſtatam, Antichriſtum, & Uſurpatorem convitiantur, ſignificantes, ſe ob periculum vitæ, & metum mortis ſibi a populo conclave obſidente, ni Romanum, vel Italum eligerent, intentatæ ad tumultuariam illius electionem, contra ſuam mentem, ac voluntatem adactos fuiſſe. Hinc ſeſe illum intruſum, ac vi electum declarare, & ne Papam ſe gereret, diſtricte prohibere. Præterea omne, quod in ipſo electionis actu contigerat, articulatim, confecto deſuper apologetico ſcripto, publicæ luci exponebant. Quo etiam tenore ſcripſerunt ad omnes EuropæPrincipes,ac Univerſitates;præci-

pue ad Parisienſem literas die vigeſima prima Auguſti dederunt. Hæc auſpicia Urbano jam ſatis inimica, funeſtiora longe reddidit imprudentior, ac nimium intempeſtivus ejusdem zelus; cum enim Cardinalium animos delinire oportuiſſet, ut paulatim ſibi eos devinciret, & unanimi eorum conſenſu legitimus agnoſceretur Pontifex, ipſe econtra rigidiori, ac ferventiori ſuæ indoli indulgens, tantopere eos exacerbabat, ut tandem ad extrema quæque prolaberentur. Mores enim eorum in publico conſiſtorio acrius redarguit, nonnullos privata objurgatione caſtigavit, & inſuper aſperitate ſua offendit Ottonem Brunſvicenſem ducem, qui defuncto Principe Tarentino Joannam Neapolis, ac Siciliæ Reginam ſibi deſponſaverat. Hanc enim Urbanus exauctorare comminatus, prout & factum eſt, Cajetanum quoque Fundorum Comitem præfectura Campaniæ Romanæ exuere, & a Roſtangis arcem S. Angeli, cujus cuſtodia eis concredita erat, repetere meditabatur. Seve-

Theodor. Niem. de ſchiſm. c. 6. 7. & 8.

Severitas ista temporum circumstantiis minime congrua Cardinales ad alterius Pontificis electionem permovit, & consilium suum Anagniæ, quod est status Ecclesiastici oppidum, serio exequi parant. Comitis Fundorum protectione securi, ad suas partes trahebant exteras copias, fere quinque, aut sex millia equitum, præter quatuor circiter peditum millia, quæ Gregorius XI. in Britannia coegerat, & Cardinalis Gebenensis tribus antea annis in Italiam contra Florentinos, aliasque urbes S. Sedi rebelles duxerat. Verum Romani has quidem copias, dum prope Romam transibant, Anagniam petituri, adoriuntur, sed cæsi, fugatique illis liberum transitum concedere coacti sunt. Insuper Cardinales Joannam Neapolis Reginam sibi devincire satagunt, ejus patrocinium implorant, ab ea tutum præstolantes locum, ubi novum eligerent Papam; seligunt sibi in hanc rem Fundos Neapolitani Regni civitatem, ac re ipsa eo conveniunt. Vix advene-

rant Purpurati, dum illico de mediis deliberant, quibus tres Cardinales Italos Urbano adhuc devotos, & Prænesте in Campania morantes Anagniam allicere possent, quod etiam hoc stratagemate obtinuerunt, nam cuique illorum sigillatim secretam epistolam mittunt, adjecta sponsione, quamprimum Fundis advenerit, illico in Summum Pontificem eligendum esse, injuncto tamen altissimo silentio, ne forte reliqui duo Cardinales concepta invidia, electionis illius negotium pessumdarent. Præfati Cardinales Itali erant; Florentinus, Mediolanensis, & Ursinus; nam Cardinalis S. Petri in obedientia Urbani VI. jamjam e vivis excesserat. Itaque omnes tres Papatus potiundi spe lactati discedunt, Fundos perveniunt; & paucis post adventum diebus conclave numero sexdecim ingrediuntur, via Scrutinii ad electionem processuri.

Niem. c. 9.

§. IV.

§. IV.

Sexdecim Cardinales Fundis eligunt Clementem VII. Summum Pontificem.

Tribus iſtis Italis, quorum quilibet Papatum ſibi certum ſperabat, linguam & aquam hærere vidiſſes, dum paucis ex poſt diebus in primo ſcrutinio Robertum Cardinalem Presbyterum tit. SS. duodecim Apoſtolorum renuntiatum audierunt. Hic vulgo Cardinalis Gebenenſis ſeu Genevenſis, eoquod Amadæi Gebenenſis Comitis frater, aut nepos eſſet, appellatus, nomen Clementis VII. adoptavit, annum agens ætatis trigeſimum ſextum, cumque natione nec Gallus, nec Italus eſſet, neutri parti ſuſpectus credebatur, qui primo Morienſis, ſeu Feruanus, inde Cameracenſis Epiſcopus factus, a Gregorio XI. purpura decoratus eſt. Vir erat ingenio, eloquentia, & dexteritate clarus, rebus gerendis, ac laboribus ſuſtinendis aptiſſimus. Non ſolum hiſce animi dotibus ſibi electorum

ctorum ſuffragia promeruit, ſed potiſſimum generis ſui nobilitate, potentioribus Europæ Principibus, aut fœdere, aut ſanguine junctus. Qua prærogativa munitus, in tuenda ſua dignitate adverſus æmulum ſuum ceteris prævalebat. Cardinales Itali rei novitate permoti, illico ad caſtrum, unde venerant, reverſi ſunt: ſpectabat caſtrum hoc ad Cardinalem Urſinum, qui brevi ibidem obiit, ſed in cujus Pontificis obedientia, incertum eſt.

Theo. Niem. de ſchiſm. lib. 1. c. 20.

Ergo Urbanus jam quinto poſt inaugurationem ſuam menſe alium Papam ſibi opponi, omnesque Cardinales ejus, quin imo ſuorum etiam aulicorum nonnullos a ſe defeciſſe non ſine gravi animi dolore conſpexit. Quapropter mœrore confectus exeunte anno Romam ad Eccleſiam S. Mariæ trans Tiberim revertitur, adhuc enim caſtrum S. Angeli Gallorum poteſtati ſubditum erat. Tunc primum fatales imprudentiæ ſuæ deplorabat eventus, quos ut repararet magis humanus, ac benignior

unacum aliis Comitatibus relinqueret. Regina, ut Pontificis molimina everteret, ditionum ſuarum jura ad Ludovicum Andegavenſem devolvit, eum adhortata, ut prompto auxilio eidem ſuccurreret. Interea vero Carolus Dyrrachius Neapolim occupat, Ottonem Joannæ Maritum proditorie aggreditur, capitque, tandem etiam ſubacto Caſtro-novo Reginam, quæ illuc cum Maria ſorore ſua confugerat, captivam abducit, & paulo poſt laqueo ſuffocari jubet.

§. VIII.

Bellum Ludovici Andegavenſis contra Carolum de Dyrrachio.

Igitur Clemens VII. Andegavenſem Ducem importunis precibus ſtimulat, ut in Italiam exercitu ſuo penetraret. Dux ille Gallici Regni habenas moderabatur, ſub Carolo adhuc impubere, qui Caroli V., cognomento *ſapientis*, die 16. Septembris anno 1380. fatis functi ſucceſſor erat. Ergo ille An. 1382. cum valido mili-

Laborat. hiſt. Carol. VI. l. 2. c. 8.

te

nignior erga ſuos aulæ Miniſtros eſſe cæperat, eisque plura officia tum vacantia contulit.

§. V.

Urbanus VI. viginti novem Cardinales creat.

Sancta Catharina Senenſis, cujus præcipuis curis Gregorius XI. Romam rediit, Urbani electionem Canonicam eſſe agnoſcens, aperte eidem ſeſe addixit, deditque ad Carolum V, quamvis irrito conatu epiſtolas fervore ac zelo plenas, quibus Regem, ut Clementis partes deſereret, eumque ad Urbani obedientiam redire compelleret, adhortabatur; cumque ſermone, ac ſpiritu potens eſſet, ut in Papæ obſequio cunctos fideles firmaret, omnem navabat operam. Scripſit quoque ad Urbanum ſex epiſtolas typis impreſſas, quibus eum ad conſtantiam excitat, & nimiam ſeveritatem, qua ſibi tot inimicos accerſivit, mitigare, ac quantocius novum Cardinalium collegium

gium creare ſuadet, & quidem talium, qui inter hoſce turbines Eccleſiæ ædificium meritorum ſuorum fulcimento ſuſtinere valerent. Igitur hujus ſanctæ monitis acquieſcens Urbanus, viginti novem creavit Cardinales diverſarum nationum, quas ſibi devincire ſtuduerat. Horum viginti ſex Purpuram acceptant, ceteri repudiant. Præcipui fuere Bonaventura Patavinus Ord. S. Auguſtini; Nicolaus Mesquinus ex Ordine FFr. Prædicatorum; Joannes Archiepiſcopus Corcyrenſis; Rainulphus de Monteruco nepos Cardinalis Pampilonenſis, & Epiſcopus Segeſteronenſis; Philippus Alenſonius ex regia ſtirpe Gallorum oriundus, Agapitus de Columna, qui dignitatem, quam ab initio recuſabat, propinquorum precibus devictus, acceptavit; Pileus de Prato Ravennatenſis Archiepiſcopus; & Galleotus Tarlatus de Petramala, patria Aretinus, & Protonotarius Apoſtolicus.

§. VI.

§. VI.

Gallia Clementi VII. adhæret.

Duplicis hujus Pontificis electione in diverſas partes ſcindebatur Eccleſia: Urbano obedientiam profitebatur (*) omnis fere Europa, Germania, Hungaria, Bohemia, Anglia, Polonia, Dania, Suecia, Pruſſia, Norvegia, Hollandia, Etruria, Longobardia, Ducatus Mediolanenſis, & tota propemodum Italia, exceptis quibusdam Siciliæ, & Neapolitanæ coronæ locis. Necdum quoque Hiſpania ab eo defecerat, & Hiſpani, quamvis Petrus de Luna a Clemente VII. ablegatus apud eos Sedem ſuam fixiſſet; illum tamen, quia Arragonenſis erat, velut ſimplicem Hiſpanum, nullatenus vero tanquam hujus Papæ Legatum venerati ſunt. Quocirca in pluribus Hiſpaniæ Conciliis durante hoc ſchiſmate celebratis

(*) *Ex his haud obſcure dignoſcitur, qui tandem primi fuerint exitialis hujus ſchiſmatis auctores.*

tis hæc quæstio indecisa, ad futurum Concilium œcumenicum remittebatur, & primum in Synodo Salmanticæ anno 1387. Præside Petro de Luna habita Clemens VII. Papa agnitus fuit, tardius adhuc Navarra, & Arragonia accessit. Francia anno 1379. in quodam Concilio Nationali sub Carolo V. Parisiis coacto neutri Pontifici adhærendum statuit, quarto tamen post mense Rex Clementi VII. se devovit, & Urbanus VI. eo ex tempore fere ubique pro intruso habebatur, Gallorum exemplum sequentibus Castella, Arragonia, Navarra, Scotia, Sabaudia, & Lotharingia.

§. VII.

Clemens VII. Avenionem profugus.

Ciacon. in Clem. VII. Interim hi duo Pontifices cum ingenti Christianorum scandalo se invicem diris devovent, ac repetito anathemate sese mutuo execrantur, brevi vero ad pejora, magisque atrocia convolant arma, unde graviora emersérunt mala. Clemens Fundis in

in quoddam caſtrum, *ſpelunca* dictum, Cajetæ vicinum auffugit; inde vero cum ſuis Cardinalibus Neapolim venit; cum autem a populo inhumaniſſime fuiſſet receptus, Avenionem petiit, ubi anno 1379. menſe Junio advenit. Eo diſcedente amicorum ſuorum factio penitus in Italia diſſolvebatur, & caſtrum S. Angeli deditione ceſſit Urbano, qui in Joannam Reginam, Comitem Fundorum, Urſinos, omnesque Clementis fautores legum ſeveritate animadvertit. Clemens vero pari vindictæ ſtimulo agitatus in Urbani aſſeclas deſæviit. Unde Eccleſiæ navicula horrida tempeſtate concuſſa.

Urbanus ſententiam exauctorationis contra Neapolis Reginam executurus, regnum Carolo de Dyrachio Reginæ ſanguine juncto tradidit, quem hunc in finem ex Hungaria evocaverat, ac poſt adventum ejus Papa Siciliæ Regem coronaverat, ea lege, ut Franciſco de Pregnano, cognomine Batillo, Urbani Nepoti Capuanum, & Melphitanum Ducatum

unacum aliis Comitatibus relinqueret. Regina, ut Pontificis molimina everteret, ditionum ſuarum jura ad Ludovicum Andegavenſem devolvit, eum adhortata, ut prompto auxilio eidem ſuccurreret. Interea vero Carolus Dyrrachius Neapolim occupat, Ottonem Joannæ Maritum proditorie aggreditur, capitque, tandem etiam ſubacto Caſtro-novo Reginam, quæ illuc cum Maria ſorore ſua confugerat, captivam abducit, & paulo poſt laqueo ſuffocari jubet.

§. VIII.

Bellum Ludovici Andegavenſis contra Carolum de Dyrrachio.

Igitur Clemens VII. Andegavenſem Ducem importunis precibus ſtimulat, ut in Italiam exercitu ſuo penetraret. Dux ille Gallici Regni habenas moderabatur, ſub Carolo adhuc impubere, qui Caroli V., cognomento *ſapientis*, die 16. Septembris anno 1380. fatis functi ſucceſſor erat. Ergo ille An. 1382. cum valido mili-

Laborat. hiſt. Carol. VI. l. 2. c. 8.

te

te e Gallia movet, Siciliam occupaturus, demum Longobardiam pervagatur, & dum recta in Italiam pergere debuisset, ubi Urbanum capere, Joannam erga se tantopere beneficam, & Ottonem Ducem ejus conjugem, a Carolo Dyrrachio in custodia detentos liberare potuisset; ille econtra Aprutium tendit, ibique Neapolis, Siciliæ, & Hierosolymæ Rex, nec non Provinciæ Comes proclamatur. Carolus autem Neapoli moratus, loca suæ potestati adhucdum subdita, munimentis firmari jubet, & Andegavensis copias lento bello consumere decernit. Nec consilio abfuit successus, nam anonnæ, & pecuniæ defectus, ac grassantis luis violentia Ducis hujus copias adeo extenuabat, ut re infecta abire cogerentur; Ipse quoque vel sinistræ fortunæ tædio, vel pestilentiæ morbo attritus, sive demum, ut quidam referunt, aquæ, quam ex fonte ab hostibus venenato hauserat, potu consumptus, Barii e vita migravit, die vigesima prima Septembris Anno

Domini milleſimo trecenteſimo octogeſimo quarto.

Niem. de ſchiſm. l. 28. & 29.

Cum vero Carolus vix non integro biennio Regnum hoc poſſediſſet, nec tamen juxta fidem datam Pregnano Urbani VI. Nepoti promiſſos Ducatus ceſſiſſet, Pontifex haud parum anxius, & Dyrrachium ad Andegavenſis partes deflexurum veritus, ipſemet anno ſuperiori Neapolim pervenit, & Ferentinum usque, exiguam ſtatus Eccleſiaſtici urbem, progreſſus, Cardinales ad ſe venire præcipit; his vero reluctantibus, eorum contumaciam in acta referri voluit, depoſitionis pœnam in eos comminatus. Nihilo ſecius tamen iter ſuum proſequitur, & ſub initium Octobris Averſam, oppidum Neapolin inter, & Capuam ſitum, pervenit. Carolus Papæ obviam procedens, & præſtito ſubjectionis obſequio equi habenas ſtratoris inſtar manu tenens, Urbanum præceſſit, eundemque in Palatium Epiſcopale, ubi reſideret, comitatus eſt.

§. IX.

§. IX.

Urbanus Papa a Carolo Dyrrachio cuſtodiæ datur.

Attamen hæc Caroli Dyrrachii obſequia non tam Pontificem liberalius colendi, quam in ſuos caſſes tutius trahendi animo, exhibita fuiſſe conſtat; Carolus enim Urbano vix urbem ingreſſo, portas omnes claudi juſſit, & eundem ſole ad occaſum vergente in palatium ſuum invitavit, quem ſui primo venire cunctantem, poſtea etiam omni modo obnitentem adhibita vi abripiunt, ſpreto ejus anathemate, quo publice in via raptores ſuos perculit. Quinque dies detinebatur, ſuis quæ fata ferret, plane ignorantibus; Pontificem tamen conditiones, quas antea, ut in fiduciariam poſſeſſionem induceretur, Carolus inierat, denuo remittere vi coactum fuiſſe veroſimile eſt. Neque tamen ideo liberum dimiſit, ſed Averſa Neapolin raptum ipſus ante urbis portas excepit, re-

gio habitu indutus, corona capiti impoſita, dextera Sceptrum, & ſiniſtra Pomum aureum geſtans, inque ſolio ſatis elevato ſedens, nec ſurgere dignatus, donec Urbanus ad imam Throni partem appropinquaſſet. Tunc tandem Rex deſcendit, & Papam dato pedum oſculo ipſus in urbem deduxit, licet ſolemnem ingreſſum eidem negaret, nec ad Archiepiſcopale Palatium, in quo habitare maluiſſet, ſed ad caſtellum novum deduci juſſit, ubi ſingulis ad eum venientibus liber quidem concedebatur acceſſus, ſub fideli cuſtodia tamen detentus erat, donec tandem decimo quinto, vel ſexto die, Cardinalium opera, inita inter eos concordia eſſet, hoc tamen pacto, ut Pontifex adminiſtrationi Regni nequaquam ſeſe immiſceret; Carolus vero Urbani Nepotem crearet Capuæ Principem.

Niem. de ſchiſm. c. 33.

Nec diu tamen Urbani familia hoc Principatu decorata floruit. Poſtquam enim ejus Nepos, non modo nullis ſuffragantibus meritis clarus, ſed inſuper effræni morum licentia defor-

deformis, Monialem quamdam ordinis S. Claræ in monaſterio S. Salvatoris conſtupraſſet, Rex indignitate facti denuo ira commotus eſt in Pontificem, qui impudici ſui Nepotis cauſſam nimio ſtudio tuebatur. Urbanus, contra pacti fidem, ſupremam in Regnum Neapolitanum poteſtatem ſibi competere, nec Carolum, ſe præſente, in Regni Proceres capitali ſententia animadvertere poſſe, pronuntiabat. Nihilominus hæc etiam diſſidia fuere compoſita. Rex quoque Neapolitanus Nepoti ſacrilegii hujus noxam remiſit, eidemque Nuceriam urbem in regno Neapolis ſitam, vulgo *Lucera delli Pagani* dictam, una cum ſeptuaginta florenorum millibus donavit. Ad eandem urbem Pontifex quibusdam ſuorum ſtipatus ſeceſſit, hyberna acturus; memor tamen injuriæ ſibi a Carolo illatæ, quam Neapolitanorum auxilio fretus, vindicandi, eumque Regno exuendi occaſionem aucupabatur; quapropter non multo poſt contentio recruduit. *Idem c. 40.*

Spond. an. 1384. §. 6. Quippe Carolus Neapoli redux, debitam reverentiam Urbano exhibere negligens, misit ad eum Oratores, qui rogarent, ut quantocius Neapolin reverteretur, eoquod multa essent gravioris momenti, quæ cum ipso conferret. Hujus arrogantia commotus Pontifex respondit: Reges ac Principes Christianos consuevisse ad pedes Pontificum venire, non hos ad illos, si autem se amicum habere vellet, tot gravia vectigalia, quibus Regnum Romanæ Ecclesiæ fiduciarium opprimit, abrogaret. Carolus hoc responso magis adhuc efferatus, publice contestabatur internum animi sui propositum, quo Urbanum aperto odio persequi statuerat. Præprimis non nullæ in vulgus spargebantur quæstiones, quarum altera hujus erat tenoris: „ Utrum „ liceat Curatores dare, vel omnino „ castigare, deponere, & ejus loco „ alium eligere Pontificem, si is vel „ nimium negligenter, vel plus justo „ obstinatus sine Cardinalium consi- „ lio cum præjudicio Ecclesiæ cun-

„ cta

„ cta ad arbitrium ſuum diſponeret. „ Cardinalis Reatinus, nomine Petrus Tartaro Montis Caſſini Abbas, & Regni Neapolitani Cancellarius haſce quæſtiones numero duodecim publici juris fecit, & affirmativam tenuit, tantisque firmavit rationibus, ut attentam mererentur reflexionem; pluresque celebriores Theologiæ ac Juris Doctores impellerentur, ut ejusmodi quæſtiones agitarent, & juxta illius ſententiam reſolverent. *Niem. lib. 1. c. 42.*

§. X.

Urbanus ſex Cardinales cuſtodiæ mancipat, & ſeverius caſtigat.

Urbanus, hanc conjurationem per Cardinalem de Manupello ex Urſinorum familia, edoctus, conſiſtorium coegit, periculum ſibi imminens expoſiturus; quo finito ſex Cardinales, quos cum ingenii præſtantiores eſſent, flagitii magis complices ſuſpicabatur, comprehendi, vinculis onuſtos ergaſtulis includi, & iteratis tormentis ſubjici juſſit. Horum primus,

mus, nomine Gentilis de Sangro manibus, pedibusque ligatus coram Pontifice in eo arcis loco, ubi quæstioni subjiciendus esset, producitur; dein solo indusio & caligis indutus, cetera nudus, loris arcte constrictus, atque suspensus in quæstionem postulatur. Altera die Ludovicus Donatus Cardinalis Venetus equuleo torquetur. Decrepitus iste, ac viribus fractus a matutinis horis usque ad prandium tam immani cruciatu exercebatur, ut Pontifex in horto deambulans, facile ejusdem ejulatus percipere potuerit. Hæc omnia Theodorus Niem testis oculatus literis mandavit (*). Quatuor reliqui Cardi-

(*) Continuator autem ex Gobelino Cosmodr. ætat. 6. c. 78. pariter auctore coævo, tunc temporis Beneventi agente, & rei veritatem studiosissime indagante causam, & conspirationis enormitatem recensere debuisset: hic conjuratorum consilium fuisse testatur: *Quod quilibet eorum, quando ad consistorium ascenderent, duodecim familiares arma tegentes se facerent anteire, Papam caperent, & ei certi articuli objici deberent, quibus & sententiæ exe-*

cutio

Cardinales erant Adamus Aſtonus, Epiſcopus Londinenſis, Bartholomæus de Cacurrno, vel Cothurno, Archiepiſcopus Genuenſis, Joannes de Capua, Corcyrenſis Archiepiſcopus, & Marinus de Judice, Archiepiſcopus Tarentinus.

§. XI.

Carolus de Dyrrachio Nuceriæ Urbanum obſidet.

Carolus ira in Urbanum accenſus, eoquod ipſum non ſolum repetito anathemate; Regnum vero Neapolis interdicto perſtrinxiſſet, ſed etiam Regem, & Reginam Margaritham ſceptro ſpoliaſſet, valido exercitu, ſub Duce Cardinale Reatino, jurato Urbani inimico, Nuceriam, ubi tum Papa morabatur, obſidione cingit. Oppugnati, utpote armis parum

Summon. lib. 4 cap. 2. Bloud. 2. dec. 10. p. 248

cutio per ignem fieret, & deinde Cardinales alium, quem jam determinabant, Papam crearent. De diverſo Niemi & Gobelini partium ſtudio vide Spondanum contin. Annal. ad an. 1385. §. 2. & ad an. 1386. §. 10.

parum assueti, ignava manu hostium impetus sustinent, Papa tamen ter singulis diebus ex arcis fenestra cum tintinabulo, & candelis accensis hostiles copias excommunicabat. Urbs tandem capta, & arx ad tantas redacta angustias, ut abs dubio Pontifex in hostium manus veniisset, nisi opportuno auxilio saluti suæ consultum fuisset; Quippe Raymundus Ursinus adjuvantibus Thoma Sanseverino, egregio residuæ Andegavensis factionis Duce, & Lothario Suevo Germanorum militum Præfecto, sylvam quamdam in obliquam viam exscindi jussit, quo facto, omnes hi tres Principes cum copiis suis obsidentium castra invadunt, iisque qua gladio interemptis, qua fuga dilapsis, urbem primo, mox arcem ingressi, Urbanum unacum suis Cardinalibus, ac reliquo comitatu non sine ingenti labore, atque periculo hostibus eripiunt, ac in portum quemdam, Barulum inter & Tranium, incolumem deducunt, a Genuensium triremibus tandem exceptum. In hac expedi-

tione

tione illud memoratu dignum, quod iidem, qui olim Clementis VII. Fautores adversus Carolum fuerant, jam Urbani Liberatores exstiterint.

Pontifex sex illos Cardinales caute custoditos secum duxerat, veritus, ne fuga elaberentur. Theodorici Niemi, qui Urbano a secretis erat, testimonio discimus, quod Episcopus Aquilanus, cum ob vitium equi, & ob contractam e tormentis, quæ passus fuerat, corporis sui infirmitatem ita velociter, ut Papæ libuisset, procedere haud valeret, jussu Pontificis jugulatus, aut verius dicam, sicut bos mactatus fuerit (*). Ceteros vero Pontifex, cum Genuam applicuisset, variis suppliciis affectos tandem trucidari præcepit, nihil precibus omnium eorum, qui pro captivorum Cardinalium salute intercedebant, proficientibus. Soli tamen

Niem. c. 56.

(*) Continuator sequentia tamen Spondani verba addere debuisset: *Cujus tamen inhumanissimæ crudelitatis ceteri Auctores non meminerunt.*

Walsing. Richard. II. tamen pepercit Adamo Astono, Londinensi Episcopo, nuncupato Cardinali S. Cæciliæ, qui in gratiam Richardi Angliæ Regis vitæ veniam obtinuit, omnibus tamen suis beneficiis, & dignitatibus exutus, atque depositus. Qua acerbitate etiam sibi maxime devinctorum animos a se alienabat. Quapropter eodem ferme tempore Pileus de Prato seu de *Prata* Ravennas Archiepiscopus Castri novi Præfectus, nec non Galeottus Tarlatus de Petra-mala, dimisso Urbano, Avenionem ad Clementem defecerunt.

Corneto.

§. XII.

Cardinales ab Urbano creati.

Niem. c 45. Horum, aliorumque in sacro Collegio vacantes Sedes repleturus Urbanus, altero post Epiphaniam die Anno 1385. septendecim Cardinales creavit, omnes ferme Germanos, aut Neapolitanos, utramque nationem, præprimis vero Neapolitanam potenter sibi hoc beneficio obstricturus.

Ast

Aſt Germani, quos inter erant tres Electores Archiepiſcopi, Adolphus Moguntinus, Fridericus Colonienſis, & Conon Trevirenſis, nec non Arnulphus Leodienſis, & Wenceslaus, Wratislavienſis Epiſcopi, ac Petrus de Roſemberg Presbyter ex nobili Bohemorum familia ortus, hanc dignitatem acceptare recuſant: quamvis ceteroquin Urbanum colerent, & ipſe eis liberam Eccleſiarum ſuarum adminiſtrationem tam in ſpiritualibus, quam temporalibus reliquiſſet; Neapolitani quoque, licet ſibi hunc honorem deferri gauderent, nihilominus indignationem Caroli metuentes, palam ſe prodere auſi non ſunt; imo ipſe Urbanus fors eadem ex cauſa hanc promotionem antea publicam non reddidit, quam Regno Neapolitano, ubi omnia periculis plena, exceſſiſſet. *Gobelin. Perſon. Cosmod. æt. lib. 6. c. 84.*

Verum haud diuturna fuit Regis Neapolitani perſecutio in Urbanum intentata: Præmatura enim illius mors tot mala, quæ ab eo perpeſſus eſt Pontifex, ulciſci, ac effræni

hujus

hujus Principis ambitioni metam ponere visa est. Nam Ludovicus Hungariæ Rex ante triennium fatis functus, Mariæ primogenitæ Filiæ suæ regnum reliquerat, ejus tamen administrationem, ac junioris Reginæ tutelam Elisabethæ Matri ejus interim concredidit, donec ipsa sublato ætatis impedimento Sigismundo Caroli IV. Imperatoris Filio desponsaretur. Elisabethæ regimen a principio Hungaris ratum, acceptumque erat, sed paulo post muliebre imperium fastidire, eoquod totam rerum summam in Nicolaum Garam Regni Palatinum transtulisset. Quare Episcopum Zagabriensem clam ad Carolum ablegant, ut Hungaricum diadema eidem offerret; quod ipse lubens acceptavit, & Baruli conscensa navi, modica suorum manu primum Dalmatiam tribus triremibus stipatus, inde terrestri itinere Zagabriam, ac demum Budam pervenit.

§. XIII.

§. XIII.

Carolus Dyrrachius Hungariæ regno potitus.

Omnibus ad inaugurationem dispositis, die ultima Anni 1386. Carolus Hungariæ Rex coronatus est. Sed Regina Elisabetha, quam Rex prius dolo circumvenisse putabat, ipsa eundem fraude vicit. Primum enim Carolo suggerit, Sigismundum, qui paucis ante adventum Caroli diebus, & connubio cum Maria Budæ contracto in Bohemiam redierat, facile ad sibi cedendum Hungariæ Regnum induci posse: Dein post aliquos inaugurationis dies Carolum simulatis majoris momenti literis, quas eidem communicaret, ad partem Regiæ, quam inhabitaverat, accedere rogat.

§. XIV.

Cædes Caroli Dyrrachii Neapolitani Regis.

Venit Carolus, & suis, qui eum comitabantur, interim in anteriore

Bonfin. 3. *Dec.* 1. *Antonin. tit.* 22. *c.* 1. §. 15.

cubili expectantibus, Nicolaus Gara per secretam portam erumpens, validissimo cuidam Hungaro, nomine Forgacio, ut Carolum trucidaret, imperat, qui illico caput ejus acinace suo medium dissecuit. Hunc tandem vitæ finem sortitus est Rex iste, non nisi unum, & quadraginta annos natus. Præfectus Croatiæ Regis Caroli, cui plurimum favebat, necem ulturus, Elisabetham in flumen projici, Sigismundus autem ad capessendas regni habenas paulopost rediens, parricidam comprehensum per præcipuas Hungariæ urbes circumvectum, candentibusque forcipibus frustatim discerptum, lenta morte occidi jusserat.

Fama mortis Caroli Neapolim mense Februario delata est eo ipso tempore, quo coronationis suæ in Regem Hungariæ solemnia, publicis lætitiis, ac ludicris certaminibus celebrata fuere. Interim Regina defuncti Conjux, turbas, quæ ex tam fatali fama suboriri possent, præventura, Ladislaum seu Lancellotum Filium

lium ſuum, paulo majorem decennio juvenem, Regem proclamari voluit, cujus Regni auſpicia ſub cura Reginæ Matris ſuæ oppido tranquilla erant. Verum ſuſcitata inter eandem, & Regni Magiſtratus diſſenſione, hi octo viros ex ordine ſuo ſelegerunt, quibus ſummam rerum plena cum poteſtate deferebant. Clemens Papa in turbido piſcandum ratus, Ottonem Brunsvicenſium Ducem demortuæ Joannæ Reginæ Maritum in Italiam ablegat, qui ingenti gaudio exceptus, tanta dexteritate rem geſſit, ut Neapolitani Juvenem Ludovicum Andegavenſem ſuum Regem ſalutarent, quo facto regnum hoc in obſequium Clementis tranſiit. *Niem. de ſchiſm. lib. 1. c. 64. & ſeq.*

§. XV.

Complures Principes Clementi obedientiam profeſſi.

Sub idem ferme tempus duo alia Regna ſeſe Clementis obedientiæ devovent. Petrus quidem Arragoniæ Rex usque ad finem vitæ ſuæ

neutri Pontificum adhærebat; Joannes vero Filius ejus, ac Regni ſucceſſor coram Cardinale Petro de Luna convocatis imperii ſui Prælatis, atque Optimatibus, eorum ſuaſu Clementis VII. obedientiam adoptabat, Caſtellanorum exemplum ſecutus, quibus pariter Carolus Nobilis, qui Carolo, cognomento *Malo*, in regno Navarræ ſucceſſerat, ſeſe adjunxit. Itaque tota Hiſpania, ſola excepta Luſitania, Clementem verum Pontificem venerata eſt. Interea tamen S. Catharina Senenſis triſtem Eccleſiæ ſtatum amare deflens, permultas ad Reges & Principes epiſtolas dedit, in quibus eos qua monitis, qua revelationibus ad Urbani obedientiam allicere, aut in ea firmare conata eſt; Hunc enim ſolum ſemper pro legitimo Pontifice habuit. Mortua eſt virgo ſancta Romæ die vigeſima nona Aprilis An. 1380. ætatis ſuæ trigeſimo tertio, corpore morbis ac doloribus ex aſſiduis jejuniis, vigiliis, aliisque auſteritatibus penitus attrito. Quam octuageſimo poſt obitum

tum ejus anno Pius II. Papa ſanctarum Virginum Catalogo inſcripſit.

Interea Clemens contra æmulum ſuum, qui ob atrocem quinque Cardinalium cædem plurimorum invidiam incurrerat, indefeſſum reſtituendæ pacis ſtudium oſtentare conatur, hac via rebus ſuis ampliora conciliaturus incrementa. Quare conſiliis, ac efficaciſſimis Pariſienſis Academiæ monitis morem gerens, ubivis terrarum Legatos, & nuntios ſuos decernit, qui ſuo nomine Synodum convocandam eſſe exponerent, ſeque illius deciſioni plene obtemperaturum ſponderent; Urbanus vero parem ſubjectionem recuſavit, quam ob rem magnum Rhodiorum Magiſtrum a ſua obedientia abalienavit.

§. XVI.

Quidam Pſeudo-Eremita abdicationem Papatus Urbano ſuadet.

Circa idem tempus quidam natione Gallus, ſumpto Eremitæ habi-

Gobel. Perſon. Coſmod. p. 308.

tu Prophetam ſe ſimulans, Genuam ad Urbanum tunc temporis ibi degentem pervenit, equo vectus, & quatuor famulis ſtipatus, ſe a Deo miſſum jactitans, ad Pontificis alloquium intromitti petit. Poſtera die Urbanum accedit, nigra talari veſte indutus, barbæ ſuæ prolixitate, ac externa corporis inclinatione humilem animum præſeferens, qui ſe Latini idiomatis ignarum eſſe profeſſus, ſimilibus vero lingua vernacula Papam alloquitur: *Domine ad vos venio, ut ob Dei Eccleſiæ unionem vobis annunciem ea, quæ mihi revelatione divina ſunt patefacta. Ego quidem jam annis quindecim contemplationibus vacans in eremo, ſanctiſſimum Patrem, & Dominum Clementem verum ſummum Pontificem, & Chriſti Vicarium, vosque pſeudopapam eſſe revelatione divina percepi; quare ob Eccleſiæ Dei pacem, animæque veſtræ ſalutem abrenuntiare papatui dignemini.*

Cumque Urbanus ex eo ſciſcitaretur: Unde ſciret hanc præſentem revela-

revelationem vere a Deo factam esse? nil aliud ad confirmationem sui dicti afferre poterat, quam quod, si impostura convinceretur, quævis corporis tormenta subire paratus esset. Dumque plura fabularetur, Pontifex opportune Hypocritam in annulo suo insignem gestare gemmam observavit, dixitque ad eum: *Eremitæ annulos deferre non solent, undenam ergo tuum accepisti?* respondit: *Donum est sanctissimi Papæ Clementis.* Urbanus hunc annulum sibi tradi petiit, quem cuidam, qui se necromantiæ gnarum jactitare solebat, consignavit: Fatuum vero Eremitam cum duobus famulis (ceteri enim fuga evaserunt) in carceres conjici jussit. Hic vero, & familiares ejus seorsim tormentis subacti sunt, & impostor fictam suam revelationem non nisi diabolicam suggestionem fuisse confessus est; quam ob rem certe capitis pœnam subiisset, nisi quidam Prælati Galli Urbano addicti interceſſissent, caussati, timendum esse, ne & Pontificis amici ac fauto-

res pœna talionis eadem paterentur in Galliis, noviſſet enim, hunc Eremitam ſpeciali Regis Franciæ favore ſuffultum, ac nobilitate generis conſpicuum eſſe. Igitur veniam obtinuit, indicta tamen multa, quod ipſe barba raſus, finita Summi Pontificis Miſſa in Eccleſia publice palinodiam caneret, & præter Urbanum nullum verum eſſe Papam profiteretur. Quo facto carcere ſolutus, & reſtituto annulo verſus Franciam viam ſuam conſentiente Papa relegit (*).

§. XVII.

Cardinalis Petrus Lucemburgicus.

Niem. l. 1. c. 66.

Firmiori argumento, quam ſpurii hujus Eremitæ revelationibus, Clementis obedientia inſignibus miraculis, quæ Deus per famulum ſuum Petrum de Lucemburgo Cardinalem hoc anno operabatur, corroborata cenſeri

(*) *Spondanus ad an. 1386. §. 10. totam hanc hiſtoriam ad fabulas rejicit, cum apud nullum fidæ dignum reperiatur auctorem, præter Krantzium, ex quo eam Gobelinus deſcripſit.*

censeri posset. Hic Filius erat Guidonis Lucemburgi I. Comitis de Lignano in Ducatu Barensi, & quarto affinitatis gradu Wenceslao Imperatori, ac Sigismundo Hungariæ Regi junctus. Matrem habuit Machildem Castelloniam Comitissam S. Pauli. Petrus emenso Parisiis Philosophiæ ac Juris curriculo, in Cathedrali Ecclesia dictæ metropolis Canonicatum obtinuit, indeque ob morum & vitæ sanctitatem primum Carnotensis Archidiaconus, demum anno decimo quinto ætatis suæ Metensis Episcopus designatus est. Biennio post a Clemente, quem una cum tota Francia verum Pontificem venerabatur, Avenionem evocatus, brevi Cardinalis Diaconus tit. S. Georgii ad velum aureum creatur, adjuncta quoque Metensis Episcopatus administratione. Eodem adhuc anno jamjam ad finem vergente, ex vitæ suæ austeritate in morbum sat diuturnum incidit, quo etiam pie decessit secunda die Julii 1387. anno ætatis duodevigesimo, minusve de-

Froiſſard. 3. vol. c. 100. cem diebus. Ad cujus ſepulchrum, ut teſtantur Hiſtorici, infinita propemodum patrata fuere miracula, atque inter illa quadraginta duo mortui ad vitam reſuſcitati. Quibus valde exaltata eſt Clementis factio, nam cum viderent homines, quod Deus hujus viri ſanctitatem adeo luculentis comprobatam faceret argumentis, nequaquam illum Pſeudo-Cardinalem fuiſſe, ac proin nec Clementem, a quo creatus erat, Antipapam, credere poterant; Sique nonnullis Scriptoribus fides habenda, ea re plures quoque Urbani fautores titubare cæperant. Ceterum Petrus de Alliaco fortiter perorabat, ut Clementem VII. ad illius Canonizationem permoveret, quam tunc temporis non obtinuit, ſed primum alius Clemens itidem ſeptimus in Sæculo decimo ſexto illum Beatorum honore coli conceſſit.

Hiſt. Univerſ. Pariſ. tom. 4. ſæc. 6.

§. XVIII.

Propoſitiones Joannis de Monteſono.

Meyer l. 14. an. 1388. Eodem anno 1387. quidam Religioſus ordinis FFr. Prædicatorum,

rum, Joannes Monteſonus nomine Theologiæ Doctor, Valentiæ in Catalonia natus, partim in actu *veſperiarum*, partim in actu *reſumptæ*, necnon & in lectionibus publicis plures docuit propoſitiones, quæ erroneæ videbantur, quatuordecim articulis comprehenſæ. I. *Major eſt unio hypoſtatica in Chriſto, quam unio trium perſonarum in eſſentia increata.* II. *Poſſibilis eſt aliqua pura creatura, perfectior Chriſti anima in merendo.* III. *Creatura rationalis poteſt etiam in ſuis puris naturalibus beatifice Dei eſſentiam intueri.* IV. Coincidit fere cum quinta. V. *Creatura pura, ſi poneretur, eſſet ſimpliciter extra genus.* VI. *Ponere aliquod creatum, vel aliquam Creaturam eſſe, ſimpliciter & abſolute neceſſe eſſe, non eſt in aliquo contra fidem.* VII. *Neceſſe eſſe, non repugnat eſſe cauſſatum.* VIII. *Magis conſonum eſt fidei, ponere aliquid citra primum eſſe abſolute & ſimpliciter neceſſe eſſe.* IX. *Aſſerere aliquid verum, quod eſt contra Scripturam ſacram, eſt expreſſiſſime*

Hiſt. Univ. Paris. tom 4 p. 618.
Gerſon. to. 2.

ſiſſime contra fidem. X. *Non omnem hominem præter Chriſtum contraxiſſe ab Adamo peccatum originale, eſt expreſſe contra fidem.* XI. *B. V. Mariam non contraxiſſe peccatum originale eſt expreſſe contra fidem.* XII. *Tantum contra Scripturam ſacram eſt, unum hominem eſſe exemptum a peccato originali præter Chriſtum, ſicut ſi decem homines ponerentur exempti.* XIII. *Magis eſt expreſſe contra Scripturam ſacram beatam Virginem non eſſe conceptam in originali, quam aſſerere illam fuiſſe ſimul beatam, & viatricem ab inſtanti ſuæ conceptionis vel ſanctificationis.* XIV. *Expoſitio S. Scripturæ trahenda eſt ex Scriptura ſacra, & non aliunde.*

Hoſce errores Monteſonus retractare a Decano facultatis juſſus, ac leniter admonitus, non modo recuſavit, ſed & illos ad mortem usque ſe defenſurum profeſſus eſt; hinc primum ſacra Theologiæ facultas Pariſienſis, demum tota Univerſitas has propoſitiones cenſorio judicio confixit,

xit, atque damnavit, tanquam falsas, temerarias, scandalosas, atque fidelium pietati contrarias, hæcque eorum censura ad Petrum de Ordeomonte Parisiensem Episcopum tanquam ordinarium ejusmodi caussarum judicem delata est, qui Joannem Montesonum ad se vocavit, eoque non comparente die veneris 23. Augusti sententiam tulit, qua has quatuordecim propositiones a quovis defendi, aut prædicari, publice vel secreto doceri, lata excommunicationis sententia ipso facto incurrendæ prohibuit, illiusque absolutionem sibi Soli reservavit. Præterea hunc Religiosum, si opus fuerit, invocato etiam brachio sæculari, comprehendi, & incarcerari præcepit. Inquisitor, seu Episcopi Vicarius Generalis, forte cum ejusdem ordinis membrum esset, neque caussæ accedere, nec judicio interesse voluit.

§. XIX.

§. XIX.

Monteſonus a ſententia Pariſienſis Epiſcopi provocat ad Clementem VII.

Joannes de Monteſono a ſententia Epiſcopi Pariſienſis ad Papam Clementem VII. tunc temporis Avenione reſidentem appellat, ipſusque eum convenit, ſuam appellationem in Curia defenſurus. Verum Pariſienſis Academia eo delegat Petrum de Alliaco magnum Collegii Navarræ Magiſtrum, Ægydium de Campis, vulgo des champs, Joannem de Nova Villa ordinis S. Bernardi, & Petrum Alanvillam Juris Canonici Doctorem. Hi deputati non modo in Palatio Pontificis benigne excepti, plurimisque honoribus cumulati, ſed etiam privatim, & in publico Patrum ſenatu tribus continuis diebus auditi fuerunt, ubi etiam Petrus de Alliaco ad tuendam univerſitatis cenſuram, & Pariſienſis Epiſcopi ſententiam ſermonem habuit tanta rationum ſoliditate firmatum, ut Pontifex

tifex Universitatem, ceu fœcundam tot insignium Virorum Matrem publico elogio deprædicaverit. Cardinalis Embrodunensis nomine Papæ Montesonum curia Papali exulare jubet, donec ejus causa finita esset. Verum Monachus sententiam sibi nequaquam propitiam fore, & Parisios ad palinodiam cantandam se remissum iri suspicatus, clam Avenione discedens, Arragoniam petiit, ubi Urbani VI. obedientiam professus, contra Clementem VII. jura Urbani VI. edito opere propugnabat.

§. XX.

Montesonus a Papa damnatur.

Eo discedente Pontifex Guidonem Prænestinum Cardinalem tit. S. Sixti, & Amelium Cardinalem S. Eustachii in ea causa Judices constituit, contra Montesonum damnationis sententiam laturos. Itaque Avenione in domo sua quæsitum, & accepta discessus sui die 3. Augusti 1388. notitia, publico edicto eundem in jus voca-

vocarunt, tanquam contumacem, & ut talem excommunicatum esse declararunt, præcipientes hanc anathematis sententiam solemniter publicandam, omnesque, qui cum eo aliqua societate uterentur, eandem pœnam incursuros. Data est hæc Cardinalium sententia die 27. Januarii 1389, & die 17. Martii ejusdem anni Parisiis promulgata; Ferrio quoque Cassinelo, Episcopo Antisiodorensi injunctum, ut hanc sententiam Regi porrigeret, ejusdemque executionem urgeret, sed illum in concredita sibi provincia immoderatiori fervore excessisse, ex turbis, quæ brevi subsequebantur, conjicimus.

§. XXI.

Decretum Universitatis.

Hist. Univ. Paris. tom. 4 §. 618.

Facta hac Montesoni damnatione Academia decretum edidit, quo e sacræ facultatis gremio omnes, qui jurato Religiosi hujus errores damnare detrectarent, abscissos declarat, cavetque, ne deinceps ullus ad gradus

dus Academicos admitteretur, nisi prius pari juramento sese obstrinxisset. Dominicani huic censuræ subscribere recusant, falso arbitrati, S. Thomæ doctrinam hoc judicio petitam. Propterea ab Academia excluduntur, sibique tantam conciliant invidiam, ut ab omnibus ecclesiasticis functionibus, prædicandi, ac confessiones excipiendi munere arcerentur, nec ultra a fidelibus solidas obtinerent eleemosynas. Quam ob rem ad Clementem Papam recurrunt, & habito Anno 1389. in Provincia Tolosana Capitulo Generali, ex suo ordine decem nominant Doctores, qui in curia Pontificia caussam S. Thomæ contra Parisiensem Academiam propugnarent, pensione ad subeundas itineris expensas necessaria, singulis Religiosis, & quidem Doctoribus viginti, reliquis vero decem solidorum indicta. Tunc primum Academia Apologeticum composuit tractatum, quem ad calcem operum Magistri sententiarum reperies, & in quo Montesoni propositio-

nes merito damnatas, & latam ipsius sententiam nullatenus S. Thomæ doctrinam labefactare ostenditur. Dominicanos a Pontificis curia benignam obtinuisse sententiam haud legimus, econtra certum est, quod ad redimendam juste sibi illatam vexam, festum conceptionis B. V. cum ceteris fidelibus celebrare, & imposterum illam in peccato conceptam esse, nunquam publice docere, impositio eis silentio, coacti fuerint. Hac tandem via ad pacem, & pristinum functionum suarum exercitium regressi sunt, nihilominus ultra vigesimum quintum annum ab Academia Parisiensi mansere separati, eoquod Joannis Montesoni confratris sui propositionum censuram præstito jurejurando ratam habere renuerent.

§. XXII.

Dominicani Decreto Universitatis subscribunt.

Hist. Univ. Paris. tom.6 Postliminio tamen ad anxias Regis Galliæ preces Academia Dominica-

nicanis die 21. Auguſti anno 1401. priſtina reddidit privilegia, ea tamen lege, ut appellationi contra decretum Facultatis interpoſitæ renuntiarent, omnesque impoſterum eidem facultati aggregandos, dicto decreto parituros eſſe pollicerentur. Primum tamen poſt Concilium Baſileenſe An. 1496. Academia ſolemne iſtud condidit decretum, quo univerſis ſuis membris deinceps aſſumendis, piæ ſententiæ de immaculata Conceptione ſubſcribere præcepit. Quorumdam Scriptorum fide habemus, Joannem Duns, cognomento Scotum ineunte decimo quarto Sæculo, cum in Franciam veniſſet, in quodam publico conſeſſu Beatam Virginem immaculate conceptam docuiſſe, tamque validis comprobatis argumentis, ut Academia Pariſienſis veritatis pondere victa legem tulerit, vi cujus omnia ejusdem membra hanc doctrinam tenerent, & ad eam tuendam jurejurando ſe adſtringerent. Dupinus tamen hanc Hiſtoriam fabulis accenſet, dicitque, Scotum o-

pinionem de immaculata Conceptione nullatenus tanquam dogma ſuo ævo certum, ſed mere per modum opinionis probabilis expoſuiſſe.

§. XXIII.

Sententia Scoti de Conceptione B. Virginis.

Scotus in 3. ſent. diſt. 3. Scotus enim, poſtquam ſequentem ſibi propoſuerat quæſtionem: utrum Beata Virgo fuerit concepta in originali peccato? hoc dubium abſolvit triplici concluſione. Percipe illius verba: *Ad quæſtionem dico I. quod Deus potuit facere, quod ipſa nunquam fuiſſet in peccato originali. II. Potuit etiam feciſſe, ut tantum in uno inſtanti eſſet in peccato. III. Potuit etiam facere, ut per tempus aliquod eſſet in peccato, & in ultimo inſtanti illius temporis purgaretur.* Probatis hiſce tribus propoſitionibus concludit. *Quodnam autem horum trium, quæ oſtenſa ſunt eſſe poſſibilia, factum ſit, Deus novit, ſi auctoritati Eccleſiæ, vel auctoritati*

ritati Scripturæ non repugnat, videtur probabile, quod excellentius est, attribuere Mariæ &c.

Ecce qualiter Scotus suam mentem circa immaculatam Conceptionem explicet. Quamvis jam nunc paulo fusius in hanc quæstionem excurrisse videamur, occasione nacta ex iis, quæ Clemens VII. Pontifex in hac caussa gesserat, nihilominus adhucdum redibit sermo in Historia Concilii Basileensis, ubi de decreto hujus Synodi in hanc rem condito differemus.

§. XXIV.

Urbanus Papa Romam redux.

Urbanus Papa Genua Perusium abiit, ibique integro substitit anno. Huic Germani quædam media finiendæ dissensionis cum æmulo suo proposuere, quibus tamen surdas præbuit aures, Regni Neapolitani curis totum ejus animum absorbentibus, sceptri jura sibi soli, non vero Ludovico Andegavensi, aut Ladislao *Niem. l. 11. l. 69.*

competere ratus. Ergo menſe Auguſto jamjam ſeneſcente, copiis ſuis ſtipatus, Peruſio egreditur, Narniam iturus; cum autem vix decimo miliario abeſſet Peruſio, ceſpitante mulo, cui inſidebat, duro lapſu variis corporis partibus læſus, præceps in terram ruit. Quapropter Tibur oppidum trans Romam ſitum, ac inde Ferentinum usque prope Neapolis confinia vehiculo delatus proceſſit, de regni hujus imperio deſperans. Cum vero Andegavenſes copiæ tranſitum intercluderent, & aliunde ad ſolvenda militibus ſtipendia pecuniæ deeſſent, ingruente quoque hyemis rigore, Romam redire coactus, eo pervenit ad initium Octobris, ubi parcas vitæ ſuæ reliquias ſatis quiete tranſegit. Tres referuntur Bullæ eo tempore editæ, prima Jubilæi tempus ad quemlibet annum trigeſimum tertium reduxit in memoriam ætatis Chriſti. Secunda, feſtum Viſitationis B. Virginis die 2. Julii in perpetuum celebrari decrevit. Tertia denique ſtatuit, ut non obſtante

te interdicto ecclesiastico, festum Corporis Christi publice celebrari possit, eisque qui S. Eucharistiam, cum ad infirmos deferretur, comitarentur, centum dierum indulgentias impertivit.

§. XXV.

Mors Urbani Pontificis.

Ineunte mense Augusto graviter ægrotare cæperat, & venenum sibi propinatum fuisse, a pluribus creditum est. Theodoricus Niemus, qui huic Papæ a latere erat, Urbanum *sumpto veneno* decessisse scribit. Quæ verba Infantius interpretatur, Urbanum seipsum veneno occidisse. Nos hisce fabulis non immoramur; certum enim est, quod morbo circa medium Septembris magis magisque ingravescente, & per viginti octo dies continuos perdurante, die 15. Octobris 1389. obierit, postquam Sedem undecim annis & octo diebus, vitam autem annis septuaginta duobus servasset. Sepultus in Basilica S. Petri *Hist. Conc. Pisan.*

in ſacello S. Andreæ. Cardinales, qui Romæ erant, illico obedientiæ ſuæ Principibus ſignificant Pontificis obitum, paucis admodum lugentibus, fere omnibus applaudentibus, ſi propinquos excipias, atque fautores, præcipue autem tanto Pontifice indignum Nepotem Pregnanum, qui poſtea ab inimicis ſuis captus, omnium bonorum ſuorum jactura libertatem redimere coactus eſt, tandem vero unacum matre, liberis, & uxore Venetias navigans, ut ibidem aſylum reperiret, Adriatici maris fluctibus abſorptus miſere periit.

Extincto hoc Pontifice non modica ſimul tollendi quoque ſchiſmatis ſpes affulgebat; nec vana prorſus, ſi utriusque obedientiæ Cardinales vel Clementem confirmare, vel novum Papam eligere, communicatis conſiliis allaboraſſent. Poſtquam die 30. Octobris Carolus VI. Galliarum Rex Avenione Clementem Papam inviſurus advenerat, ab eoque pro Joanne Talaro Lugdunenſi Archiepiſcopo non modo purpuram Cardi-

Cardinalitiam, sed etiam pro se facultatem pauperes regni sui Clericos ad quatuor Episcopatus, ac septingenta quinquaginta beneficia nominandi obtinuisset, Cardinales Avenionenses Regem induxerunt, ut Imperatori, aliisque Urbani obedientiæ olim addictis Principibus scriberet, & Cardinales Italiæ moneret, ne novi Pontificis electionem præcipitarent, sed potius cum reliquis prævie sua conferrent consilia. Sed hæc quoque cautela omni penitus successu caruit.

§. XXVI.

Bonifacius IX. in Urbani VI. locum eligitur.

Quatuordecim Cardinales Itali Romæ morantes, ex quibus non nulli Papatum ambiebant, absque ulteriori mora, nec expectato aliorum consilio, quo a tam præcipiti proposito potuissent absterreri, electionem tumultuario consilio acceleRant, veriti, ne alius natione Gallus eisdem obtruderetur. Itaque die 2. Novem-

Theod. Uri. l. 3. dist. 7. Ciacon. in Thoma. Card. Niem. l. 2. de schism. c. 39.

Novembris Petrum seu Perinum Thomacellum, vulgo Cardinalem Neapolitanum dictum, in Pontificem eligunt, virum annos circiter quadraginta natum, ac nobili quidem, sed paupere admodum familia Neapoli ortum. Hic nomen Bonifacii IX. assumpsit. Theodoricus Niem, qui eidem pariter ab epistolis erat, in ejus laude oppido parcus est; Vitio datum, quod in negotiis publicis, & Curiæ Romanæ stylo crassa laboraret ignorantia, passim ac sine examine omnibus, quæcunque exhiberentur, subscriberet, & potius insatiabili matris ac fratrum suorum avaritiæ indulgens, quam propriæ cupiditati inhians, simoniæ in curia sua exercendæ licentiam conniventer permitteret, sæpe enim beneficia, aliæque res sacratæ impune vendebantur (*).

§. XXVII.

(*) Audiatur Illustrissimi Spondani Epiphonema ad annum 1389. §. 7. *Magis omnino existimo, Niemum (idem intellige de Platina) aliqua re offensum fuisse Bonifacio, aliisque Pontifi-*

§. XXVII.

Bonifacius quatuor creat Cardinales.

Sub initium Pontificatus sui tres Urbani VI. Bullas, de Jubilæo, festo Visitationis, & Corporis Christi confirmavit, die vero 18. Decembris quatuor creavit Cardinales, Henricum Minutulum Neapolitanum Archiepiscopum, Bartholomæum de Uliariis Episcopum Florentinum ex Ordine Fr.Fr. Minorum, Cosmatum Melioratum, Episcopum Bononiensem, qui postea sumpto nomine Innocentii VII. Pontificatum obtinuit, & Christophorum Maronem Iserniæ in Provincia Capuana Episcopum. Alios quoque tres Cardinales ab Urbano VI. depositos restituit, nempe Adamum Astonum Londinensem Episcopum, Bartholomæum de Mazzavacca, Episcopum Reatinum, & Lan-

Pontificibus, quos iisdem obtrectationibus, & maledicentiis impetit (quod sæpe majoris etiam nominis viris contigit) quam ut vera cuncta esse credamus.

Landulphum Metamorum, Barenſem Archiepiſcopum dictum, inſuper & Cardinalem Pileum de Prato, qui a Clemente ad Bonifacium defecit, ab eoque tanquam Cardinalis agnitus eſt.

Clemens quoque præter ſex Cardinales, quos ſub initium Pontificatus ſui creaverat, nempe Jacobum de Viſſ ſive de Itro Archiepiſcopum Hydruntinum, & poſtea Patriarcham titularem Conſtantinopolitanum; Petrum Amelium ex Alvernia Monachum Benedictinum, & Eboradunenſem Archiepiſcopum; Nicolaum de Brancatiis Neapolitanum, & Cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditorem; Petrum de Barreria Diœceſis Ruthenenſis Epiſcopum Auguſtodunenſem; Nicolaum de S. Saturnino Ordinis Prædicatorum, & Leonardum de Giffono Italum Minoritam, præterea hoc anno 1390. ad Purpuram promovit Martinum de Saloa Epiſcopum Pampilonenſem, & Caroli III. Navarræ Regis Cancellarium. Cognita Bonifacii electione

ctione hi duo contendentes mutuis maledictis, & excommunicationibus pro more, schismatis tempore jam usitato, se invicem proscindebant; indeque dissidii flammæ acriori longe furore debacchari, totaque Italia & magna Europæ pars funesto bello flagrare, eoquod ad successionem in Neapolitano Regno Ludovicus Andegavensis in locum Patris sui a Clemente vocatus, econtra vero Ladislaus Hungariæ Rex, Caroli Dyrrachii Filius a Bonifacio IX. declaratus esset.

§. XXVIII.

Ludovicus Andegavensis, & Ladislaus pro Regno Neapolis bello congrediuntur.

Carolo VI. Galliarum Rege in Avenionensi urbe morante, Ludovicus II. Andegavensis ibidem Neapolis Rex salutatus est, ipso Clemente Papa eidem coronam imponente. Bonifacius quoque hoc diadema suæ liberalitati deberi exoptans, resciscis omni-

omnibus, quæ Urbanus contra Carolum Dyrrachium, ejusque filium Ladislaum decreverat, juvenem hunc Principem Anno 1390. per Angelum Acciajolum Cardinalem, & Episcopum Florentinum, eo fine ablegatum Cajetæ coronavit. Prævie mentem suam cunctis Siculis, cis Pharum, id est, in Neapolis Regno considentibus aperiens, jussit, ut Ladislao, qui tunc non nisi septimum decimum ætatis annum agebat, & Cardinali Legato ejusdem Tutori, nec non Reginæ Matri ac Tutrici illius, donec ad legitimam perveniret ætatem, tanquam Regi suo obedirent. Quo facto Ludovicus Andegavensis cum valido exercitu, ac copioso commeatu Neapolin iter aggressus est, comitante Petro de Turrejo, quem Clemens ad Rebelles, & schismaticos compescendos Legatum adjunxerat.

Igitur Ludovicus die 20. Julii cum quatuordecim triremibus, octo præsidiariis, & totidem bellicis navibus instructus, magnoque nobilium comitatu stipatus e portu Massilienſi solvit,

solvit, & die 14. Augusti Neapolin secundo vento appulsus, urbem per portam Capuanam ingressus est, undique acclamante populo, *vivat Rex Ludovicus II.!* mox binas urbis arces, quæ Ladislao adhucdum parebant, suæ potestati subjicit, & Puteolin civitatem occupat. Nedum tamen prospera adeo rerum suarum auspicia eum permovere poterant, ut diutius in hoc regno subsisteret, sed urbibus a se non ita pridem captis valido præsidio munitis, ineunte Septembri in Provinciam regressus est.

§. XXIX.

Ladislaus, Regnum Neapolis occupat.

Ladislaus absentia Andegavensis opportune usus, ingentem comparavit exercitum, cui Albericum Barbiani Comitem, Connestabilem suum, & clarissimos Belliduces, Sfortiam, & Nicolaum Piccininum præfecit; Ergo hisce copiis, accedenti-

dentibus quoque ſexcentis equitibus, quos Bonifacius ei in auxilium ſubmiſerat, marte tam ſecundo pugnavit, ut primo urbem, dein totum Neapolis regnum ſuo ſubjiceret imperio. Itaque victore Ladislao Clementis res ruere, & Bonifacii creſcere cæperunt, quem Ludovicus Andegavenſis certe multis calamitatibus oppreſſiſſet, ſi regni Neapolitani dominium ſervaſſet.

§. XXX.

Bonifacii exactiones.

Pontifex Ladislaum Regem defenſurus, immodica tributa, ac vectigalia imperabat, inde vero ſibi ipſi ingentem conciliavit invidiam, convertit quoque in hoſce uſus notabilem eleemoſynarum partem, quas exteri occaſione jubilæi tunc Romæ celebrati Eccleſiis obtulerant; quippe ad diverſas Regiones mittebantur quæſtores, qui plus offerentibus indulgentias vendebant, & ſepoſito Canonum pœnitentialium præſcripto, datis

datis pecuniis, a maximis quibusvis peccatis absolutionem passim impertiebantur (*). Imperavit insuper Cardinali Florentino, ut Clericos æque ac Laicos Regni Neapolitani, juxta constitutionem Ladislai, ad præstationem unius aurei in familias singulas durante bello cogeret. Aliis duobus Cardinalibus injunxit, ut plures Ecclesiarum, & Monasteriorum terras alienarent, atque non pauca oppida, & arces ad Ecclesiam Romanam spectantes nobilibus viris oppignorarent, quæ causa fuit multorum malorum in Ecclesia.

§. XXXI.

(*) *Auctorum nullus hancce indulgentiarum mundinationem huic Pontifici, bene tamen collectorum avaritiæ imponit, ita Chron. magn. Belg. in Bonifac. IX. ait,* non concedebantur indulgentiæ nisi qui manus adjutrices porrigerent, & Collectores Pontificii tertiam oblationum partem sibi retinebant. *Ipse quoque Platina testatur Bonifacium hæc simoniæ vitia sæpius revocare conatum fuisse, ipsosque Collectores istos tam a Deo, quam a Bonifacio severe fuisse punitos, Niemus testatur.*

§. XXXI.

Clemens ſuæ quoque obedientiæ addictos divexat.

Nec mitius Clemens ſuæ obedientiæ ſubjectos habuit. Cum enim omnes expenſas, quas ipſe cum triginta ſex ſuis Cardinalibus, quibus nihil denegare audebat, immodice fecerat, e ſola fere Gallia derivare poſſet, Abbatem S. Nicaſii ad hoc regnum ablegat, qui dimidiam partem fructuum ex omnibus beneficiis colligeret, & renitentibus pœnam privationis comminaretur. Abbas jam in Normanniæ Provincia rigidius imperata exequi cæperat, cum Univerſitas Pariſienſis ejusmodi exactionibus onerata, miſſis oratoribus inſtanter Regi ſupplicaret, ut auctoritate ſua interpoſita ejusmodi malis remedium afferret. Verum præſens temporis ratio univerſitati non favebat; Clemens enim tam Regem, quam Regni Proceres, quos quotidianis muneribus auxerat, ſibi devinctos habebat. Bellum Gallos inter

&

& Anglos, ne alia negotia discuterentur, velut speciosum titulum obtendebant; ideoque ambo contendentes Papæ omni studio hoc bellum alebant, veriti, ne potentissimorum horum Regum reconciliatio in ipsorum incommodum cederet. Nihilominus Rex restituta pace precibus universitatis benigniores aures præbuit, & pulso e Galliis Abbate S. Nicasii edictum vulgavit, quo aurum omne, & argentum extra fines regni deportari interdictum erat. Primus supremæ Parisiensis Curiæ Præses Arnoldus de Corbeja Regis nomine justas Academiæ querelas Pontifici proposuit, rogavitque, ut imposterum ab ejusmodi exactionibus abstineret, quod & Clemens facturum se se promisit.

§. XXXII.

Universitas Regi necessitatem extinquendi schismatis exponit.

Eadem Universitas malis ex schismate obortis commota, Bonifa-

cium æque, ac Clementem sæcularium Principum potentia fultos, unice id curare, ut quivis sibi Papatum assereret, ac idcirco tam suis Bullis, quam fuscitatis ultro citroque hostibus se invicem exagitare conspiciebat; unde ad restituendam Ecclesiæ pacem omnes suas vires impendere decrevit; Quapropter per suos deputatos iterato hanc caussam Regi exposuit, ac semel Doctor quidam, nomine totius universitatis perorans, unionis necessitatem, mala ex schismate enata, & Regum ac Principum ad tollendum illud obligationem, tanta verborum gravitate, ac rationum pondere exaggeravit, ut assistentium plurimi ad pedes Regis provoluti instantissime rogarent, ut pro revocanda Ecclesiæ unione regia sua auctoritate uti velit. Vicit tamen arcta nimis Regis amicitia, qua Clementem ex nupero colloquio Avenione habito impensius colebat, & quia Pontifex omnium, a quorum ore tunc temporis Rex pendebat, Procerum gratiam sibi demeruerat, omnes Universi-

versitatis conatus in irritum cesserunt. Successu tamen temporis apparuit aliqua restituendæ pristinæ Ecclesiarum conjunctionis spes, opera duorum Carthusianorum, qui pietatis stimulis acti Romam petierunt, Bonifacium ad reddendam Christiano orbi pacem permoturi.

§. XXXIII.

Duo Carthusiani apud Bonifacium pacem Ecclesiæ urgent.

Duo Carthusiani erant, Carthusiæ Astensis Prior nomine Petrus, & D. Bartholomæus Ravennatensis, Insulæ Gorgonæ, seu Margaritæ mari Genuensi adjacentis Prior. Ambo hi pietate insignes Viri deplorantes, quod schismatis mala suum quoque ordinem divexarent, eo quod Urbanus VI, Guilielmo Raynaldo a Præpositi dignitate exuto, Joannem Barensem, alias Carthusiæ S. Bartholomæi in Campania Romana Priorem intruserit, tandemque hujus ordinis membra sub duplici Generali, quorum

Monach. Anon. S. Dionys. l. 12. c. 7. p. 232. Spicil. Dacher. tom. 6.

unus in Galliis, alter Romæ imperabat, inter se quoque diro schismate discinderentur; hi duo ergo Carthusiani ad Papam Bonifacium contendunt, & ardentissimis adeo precibus eundem exorant, ut datis literis Regi christianissimo restitutionem concordiæ ecclesiasticæ impensius commendaret, ac vicissim sponderet, nihil intermissurum, quo optatum finem consequi posset. Exhibetur hæc epistola in sexto tomo Spicilegii Lucæ Dacherii. Fleurius insinuare videtur duos hos Religiosos pro exemptione Ordinis sui impetranda Romam petiisse, quam & eos obtinuisse ex Bulla Bonifacii die 16. Martii 1391. data, & Epistola Papæ ad Regem die 2. Aprilis anno sequenti scripta constat. Bonifacius duobus hisce Religiosis quemdam celebrem Jurisconsultum, qui Pontificatus sui jura vel defenderet, vel exponeret, socium dare meditabatur, quod tamen ipsi cauto consilio declinaverunt, veriti, ne, si Clemens ex sua parte alios mitteret oratores, totum pacis negotium

in

in meram verborum contentionem degeneraret.

§. XXXIV.

Clemens hos Carthusianos reduces carceri includi jubet.

Ergo hi duo Religiosi primo Avenionem perveniunt, ubi tum Bituricum Dux, summus Papæ Clementis VII. fautor agebat. Utrique horum isthæc Carthusianorum expeditio admodum ingrata accidebat; idcirco ne saltem demandati negotii sequeretur eventus, ambos in Carthusia Villanovæ prope Avenionem custodiæ tradi jusserunt. Nec minis tamen, nec acerbissimis injuriis extorquere poterant, ut Epistolam Bonifacii ad Regem Galliæ eis traderent. Universitas comperta hac violentia Carthusianis illata, apud Carolum VI. conquesta, tanto fervore caussam egit, ut Rex durioribus verbis Clementi scriberet, se tolerare non posse, quod violato jure gentium viri, publicorum negotiorum caussa

ad Pontificem missi, captivi detinerentur, ac propterea velle, ut ambo isti Carthusiani mox e vinculis solverentur.

§. XXXV.

Clemens ad instantiam Regis eos Lutetiam remittit.

Clemens indignationem Regis pertimescens, Carthusianos liberos dimittit, caussatus, falso tamen, se concreditum illis negotium ignorasse; quinimo se quoque sincero ineundæ cum Bonifacio pacis studio flagrare ementitus, abeuntibus hisce Religiosis injunxit, ut Regi nuntiarent, se pariter ad tam salutare opus, quidquid virium in se esset, aut expectari posset, insuperhabito quoque propriæ dignitatis, ac vitæ suæ dispendio, sollicite impensurum. Itaque iter aggrediuntur Carthusiani, sed non nisi sub finem Decembris Parisios deferuntur.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Rex Galliæ affectibus Phreneticis corripitur.

Hi eodem ferme momento adveniunt, dum Rex Carolus VI. insolito quodam morbo corripiebatur, a quo nunquam amplius usque ad extremum vitæ diem, nisi per intervalla, liber extitit, unde plurima eaque acerbissima mala universo regno oborta fuere. Jamjam ex aliquo tempore Regis familiares quamdam mentis imbecillitatem, & inconstantiam sermonis in eo notabant. Ast, dum copias suas contra Britanniæ Ducem in aciem educeret, morbi violentia die quinta Augusti fato plane tragico erupit. Mendicus enim quidam vili ac sordido habitu indutus, Regi obviam factus, & fere per dimidium horæ eum insecutus, quamvis tacere jussus, & vi repulsus, semper tamen inclamavit. *Quo Rex miser ruis? proderis, & in potestatem hostis traderis.* Ad hujus conspectum Rex ita conterritus, tantoque

Monach. Sandionys. l. 12. c. 3. p. 219.

furore correptus, ut hinc inde velut Phreneticus curſitare, quosque obvios ſtricto enſe vulnerare, & quatuor eorum occidere, quos inter Eques Giennæ, vulgo Nothus de Polignacio dictus numerabatur. Tandem fortuna illis, quos inſequebatur, favente gladius diffringitur, & ipſe prehenſus, ad palatium ſuum reportatur, ac per biduum in lecto ſuo ſine ullo ſenſu decumbit, adeo, ut Medici ſingulis momentis exſpiraturum crederent.

§. XXXVII.

Sanitatem recuperat, & quatuor Carthuſianos ad Bonifacium mittit.

Idem cap. 7. Carthuſiani funeſto hoc caſu præpediti, non niſi menſe Decembri ad Regis alloquium venire poterant, quo tamen ſanitati reſtituto benigne audiuntur, & Pontificis literis in pleno confeſſu prælectis, ab ipſoque Rege approbatis, deliberatur, utrum & quomodo Bonifacio reſpondere expedi-

pediret? cum enim Gallia hunc velut verum Pontificem non coleret, absque Clementis injuria Papa nominari non poterat; ex altera vero parte Bonifacio, si veluti intruso scriberetur, merito stomachum moverent. Ergo media via incedendum rati, frustra obluctante Joanne Bituricensi Duce, Regis Patruo, & insigni Clementis amico decernunt, ut iidem Carthusiani viva voce responsum Regis deferrent, exponentes, *Regem monita Pontificis æquo animo suscepisse, omnesque vires regias ad unionem Ecclesiæ promovendam promptas fore.* Hoc responso instructi ambo Carthusienses ad Papam redire jubentur, illis tamen duo alii ejusdem Ordinis adjunguntur socii, quos inter erat Parisiensis Carthusiæ Prior. Ut autem sincera Regis voluntas luculentiori constaret argumento, eisdem concreditæ fuerunt literæ ad omnes Italiæ Principes, quos Carolus ad jungenda quoque sua studia cohortatus est. Postmodum pro felici hujus legationis successu publicæ preces,

ces, ac ſolemnes ſupplicationes fuerant indictæ, datumque Univerſitati negotium, ut ſinguli, quæ quisque ad pacem obtinendam, opportuniora judicaret media, ſcriptis exponerent.

§. XXXVIII.

Academiæ Conventus de Schiſmate extinquendo.

Ad colligenda hæc doctorum conſulta in Monaſterio Mathurinorum (*) reponebatur ciſta caute obſerata, in cujus operculo fiſſura amplior, ut in Gazophilaciis aſſolet, inciſa viſebatur: præterea quinquaginta quatuor nominabantur Doctores, qui ſuffragia examinarent, & in compendium redigerent. Hi ea de re in generali quatuor facultatum Senatu referebant, & collatis inter ſe ſententiis ſecretioribus, omnes eo collimabant, alterutram ex hiſce tribus viis amplectendam eſſe, ſcilicet vel

(*) *Id eſt Religioſorum de redemptione captivorum.*

vel voluntariam utriusque Pontificis ceſſionem, qua facta alius eligatur ſupremus Chriſti Vicarius; vel compromiſſum in arbitros ſive a ſe ipſis, ſive ab aliis deligendos, qui circa utriusque jura definitivam ferrent ſententiam; vel denique Concilium Oecumenicum, quod utpote communi fidelium conſenſu hac occaſione convocandum, ab ipſo Chriſto Domino ſuam haberet auctoritatem. Petrus de Alliaco & Ægidius de Campis, Doctores, tractatum, qui Regi in forma Epiſtolæ porrigeretur, componere jubentur, in quo omnes tres iſtæ viæ argumentis fulciri, & a ſuis objectionibus forte opponendis vindicari deberent. Nicolao Clemangio patria Campano, Theologiæ Baccalaureo in Collegio Navarrico, ac celeberrimo hujus Univerſitatis Rhetorices Profeſſori data eſt provincia, ut hanc Epiſtolam latino idiomate donaret, ſive verius juxta ea, quæ ceteri Doctores eidem ſuggererent, latine elucubraret.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Bonifacius Papalis ſuæ dignitatis vindex.

Interea temporis quatuor iſti Carthuſienſes a Rege Galliæ ad Bonifacium miſſi, Peruſium adveniunt, & ſibi demandata, Regisque piam intentionem Pontifici oretenus exponunt; verum cuncta iſta bene cæpta conſilia in vanum abiere; quilibet enim ex hiſce duobus æmulis, quamvis publice mutuis injuriis ſe invicem afficerent, clam communi conſilio ſua jura pertinaciter tuebantur. Bonifacius enim ægre ferens, quæ Carthuſiani retuliſſent a Rege, tantum abfuit, ut datam fidem liberaret, quin potius iteratis literis ſe ſolum verum eſſe Pontificem ingeminaret, conqueſtus, quod adhucdum Clementem, quem tanquam intruſum habebat, agnoſceret; quapropter quatuor iſtos Religioſos remiſit, eisque Epiſtolam Regi perferendam dedit priori multum abſimilem; in qua ſui Pontificatus conſervationem, & æmuli

muli abdicationem pro unica reddendæ pacis via jactitabat: „ Intellexi„ mus (verba sunt Bonifacii ad Re„ gem) illos, qui Robertum Gebennensem Antipapam constituerunt, „ vel huic adhæserunt, juventute tua „ abusos esse, teque ita obcæcasse, „ ut veritatem cognoscere non pos„ sis, quod valde dolemus. Inte„ rim semper speramus, ut divino nu„ mine afflatus jus fundatum Urbani, „ Antecessoris nostri,agnoscas„. Sub finem Epistolæ die 20. Junii 1393. datæ Regem hortatur, ut a Roberto discedat; hæ tamen literæ, cum Regi repetita morbi sui violentia impedito tradi haud potuissent, Bituricum & Burgundiæ ducibus exhibitæ fuere, qui illas responso minus dignas existimarunt.

§. XL.

Clemens media ab universitate proposita rejicit.

Rex primam Bonifacii Epistolam Clementi Avenione rebus suis intento

tento miserat, qui hasce literas flocci pendendas esse rescripsit, utpote ab intruso conceptas. Quinimo persuasurus, se pari zelo unionem percupere, preces, atque solemnes supplicationes indixit, una cum suis Cardinalibus peculiare officium, & Missam, cujus omnia verba meræ orationes, & pacis suspiria erant, composuit, pluribusque additis indulgentiis Parisios misit. Verum sæculi honoribus captus, non modo unionis media rata non habuit, sed nihil magis abominari ostendit, dum sola competitorum, qui Schisma alerent, abdicatione pacem restitui posse, ex Parisiensis Academiæ sententia decretum fuisse compererat. Tunc enim Joanni Gulonio Carmelitæ, & Theologiæ Magistro datis literis injunxit, ut hanc opinionem adinventis contrariis rationibus strenue refutaret, eique, ut ejus vehementiam, atque ardorem magis exstimularet, illimitatam ab omnibus casibus reservatis absolvendi, & copiosas indulgentias elargiendi potestatem concessit, simul-

Monach. S. Dionys. hist. Caroli VI.

que

que negotium dedit, ut e suggestu ad populum diceret, omnes unionis vias hucusque conceptas inutiles esse, sola ea excepta, qua omnes Principes Christiani sacro fœdere juncti Bonifacium solio deturbarent, Clementi vero tanquam unico legitimo Pontifici obedientiam, Vicario Christi debitam sponderent. Gulonius rem ex sententia Clementis gesserat; Verum Parisiensis Universitas non minus intempestivo Monachi zelo commota, quam propositionum indignitate offensa, Carmelitam e S. Facultatis gremio separavit, graviori pœna dignum.

§. XLI.

Petrus de Luna Cardinalis Legatus in Galliam missus.

Petrus de Luna Cardinalis Legatus in Hispaniam missus, tria regna Clementis obedientiæ adjunxerat; tam prospero legationis suæ successu inflatus, eodem tempore Parisios venit, haud disparis fortunæ spem con- *Surita l. 3.*

cipiens. Præprimis ampliſſima nomine Pontificis pollicitus præmia, præcipuorum Doctorum animos ſibi conciliare ſtuduit; cumque ex illis Petrus de Alliaco, & Ægidius de Campis ejus molitionibus acrius obſiſterent, & a concepta ceſſionis via nec latum unguem recedere vellent, Legatus Clementi perſuaſit, ut a Rege ambos hoſce Doctores ad ſe mitti peteret, obtendens, quod eorum auxilio ad miniſterium Eccleſiæ ſummopere indigeret. Verumtamen præclari hi duo viri, pacis quam gloriæ magis cupidi, & aliunde fabam, quæ in eos cuderetur, facile animadvertentes, venire conſtanter recuſant, nec Pariſiis excedunt. Epiſtola, quam Nicolaus de Clemangis de tribus pacem reſtituendi mediis elucubravit, Regi exhibebatur, cujus juſſu Gallice reddita eſt, in pleno conſilio recitanda. Rex prælectam benevolis auribus excepit, probavitque; factum tamen arte Ducis Bituricenſis, atque Legati, ut Regem, inſultibus morbi, quo laborabat, forte adjuti, a

pio

pio propoſito dimotum in contrariam ſententiam deflecterent, adeo, ut, cum Academiæ Doctores Regem acceſſiſſent ab eo reſponſum percepturi, illis Cancellarius juſſu Regis ſignificaſſet, ne impoſterum quicquam ea de re agerent, nec literas hac ſuper cauſſa ſcriptas vel reciperent, vel aperirent, niſi prius Regi exhibitæ fuiſſent.

§. XLII.

Univerſitatis Pariſienſis pro Unione ardens ſtudium.

Academia de hoc regis reſponſo prævie edocta Cancellario, præſente Legato, ſignificat, conſtitutum ſibi eſſe tamdiu ceſſare a lectionibus publicis, aliisque omnibus ſtudiorum exercitiis, donec juſtis eorum votis ſatisfieret. Nec ſegnius id, quod intrepide aſſeruit, executa eſt Univerſitas, poſthabitis tam Legati minis, qui Avenionem rediit, quam Ducis Bituricum injuriis, qui hoſce Doctores tanquam rebelles ac ſeditioſos

criminabatur, & ni a cæptis desisterent, in flumen dejiciendos comminabatur.

§. XLIII.

Epistola Universitatis ad Clementem acriter perscripta.

Universitas hac facti indignitate nihil mota, ad Clementem VII. literas virili plane vigore scriptas dedit, in quibus trinam unionis viam Pontifici indicavit, graviter ac libere conquesta contra Petrum de Luna ejus Legatum: tandem impense eum adhortatur, ut alteram ex propositis concordiæ viis eligeret. Universitatis constantia atque zelus ubique præclaris encomiis celebrabatur, unde & Colonienſis Academia datis ad eam literis, consilium hac in re petiit. Philippus Alensonii Dux Cardinalium Romanorum Decanus, & Joannes Arragoniæ Rex pariter gratulatorias eidem miserunt epistolas. Ex quibus elucet, quantæ tunc temporis Universitas Parisiensis apud omnes

Hist. Univers. Paris. tom. 4.

omnes fuerit æstimationis atque auctoritatis; illa enim omnium pacis negotiorum caput erat, eique tota Europa schismatis extinctionem maximam partem debebat.

§. XLIV.

Papa hisce literis indignatus.

Universitatis Epistola jussu Clementis Papæ in pleno legebatur consistorio, mediam illius partem Papa satis placido excepit animo; verum unice cessionis viam urgeri, & ad Papatus abdicationem admoneri comperiens, tanquam fulmine tactus, supra modum excandescere, e solio surgere, ac vociferari: *Mala & venenosa est Epistola.* Sub idem tempus Universitas hac super re ad Cardinales Avenionenses scripsit, quibus omnibus, excepto Petro de Luna, probabatur consilium. Deputati, qui Academiæ Epistolas deferebant, sine responsoriis, & quidem magna celeritate reditum parabant, suæ saluti timentes. Parisios delati totam

facti seriem, & Clementis indignationem, qua Epistolam excepit, Universitati referunt, quæ illico iteratas ad Papam dedit Epistolas, acriter conquesta, quod durioribus verbis priores literas contempserit, simulque rogavit Pontificem, ut benignius rescriberet. Accidit vero, ut prius, quam hæc secunda Epistola ad Clementem perveniret, ipse jamjam Avenione diem supremum obierit, quo defuncto primum hi Deputati eam deferentes advenerant. Jam nunc percipiamus, quænam mortis suæ caussa fuerit?

§. XLV.

Clementis VII. Papæ obitus.

Platin. in Clem. VII. Cardinales, cum a Pontifice, ne ulterior de unionis negotio tractatus haberetur, nullum amplius consistorium convocari animadverterent, seorsim inter se congregati Epistolam ab Universitate ad illos datam examinant, quænam ex propositis concordiæ viis adoptanda esset, deliberaturi.

ri. Id cum Pontifex ipsis exprobrasset, respondent, Universitatis petitionem de alterutro ex tribus mediis, quæ in Epistola præscribebantur, assumendo sibi justissimam, & ad reddendam Ecclesiæ pacem omnino necessariam videri. Quibus verbis immodico dolore affectus Pontifex levi correptus est infirmitate, qua tamen lecto non affigebatur, demum sequenti feria quarta, quæ erat sexta decima Septembris 1394. absoluto Missæ sacrificio in cubiculum se recipiens, & dolores pectoris conquestus, apoplexia tactus exspiravit quinquagesimo secundo ætatis, & decimo circiter sexto Pontificatus sui anno.

§. XLVI.

Cardinales Avenionenses literis a Rege Galliæ datis electionem differre monentur.

Cognita Clementis VII. morte omnium studia eo tendebant, ut Cardinales Avenionenses novum Papam eligere prohiberentur. Hinc Academia *Juv. Ursin. & Monach. S. Dionys. Hist. Carol. VII.*

mia Parisiensis ad Regem quosdam ablegavit Doctores, qui peterent, ut dictos Purpuratos auctoritate sua induceret, ut successoris electionem differrent, donec iste Legatos suos misisset, qui de mediis Ecclesiam uniendi, collatis consiliis deliberarent. Rex postulatis acquievit, ea tamen lege, ut Academia publicas suas lectiones, ceteraque scholæ exercitia denuo auspicaretur, quod etiam factum est. Eodem tempore Carolus VI. senatum convocat, cui intererant Dux Aurelianensis, frater Regis, Bituricensis, & Burgundiæ Duces, ejusdem patrui, Episcopus Puteanus, Joannes Maingrius, cognomento Bucicaldus, aliique Proceres. Intenderat Rex Simoncm Cramaudum Patriarcham, Petrum Alliacensem, & Vicecomitem Melodunensem pro negotio pacis Avenionem mittere; cum vero Bituricum Dux, laicos, si mitterentur, libentius a Cardinalibus recipiendos fore demonstraret, Raynaldus de Regis vulgo *de Roye* dictus, & Bucicaldus Mareschallus,

schallus, Legati nominantur, quos præibat tabellarius cum Epistola, in qua Rex Cardinales obtestatur, ut usque ad adventum Legatorum electioni superfederent. Idem perscripsit Arragoniæ Rex, eorumque exempla sequebatur Germania; ipse quoque Bonifacius IX. ad Carolum VI., ad Cardinales, & Academias suos misit deputatos, qui eos monerent, ut ad tollendum schisma opportunitate temporis uti vellent.

§. XLVII.

Cardinales conclave ingrediuntur.

Verum cuncta hæc monita in irritum ceciderunt; adveniente enim Galliæ Cursore, Cardinales jam-jam a die Sabbati vigesima sexta Septembris ad vesperam conclave ingressi, Regis literas, aut alias quascunque accipere renuebant, donec absoluta esset electio. Interim, ut Carolo VI. sincerum pacis studium, quo sane potior eorum pars ducebatur, testatum redderent, formulam *Niem. l. 3. c. 33. Dacher. spicil. tom. 6.*

concipiunt, qua præſtito ſuper ſacroſancta Evangelia juramento ſinguli polliciti ſunt, quod quiscunque in Papam eligendus eſſet, ad tollendum ſchiſma omnibus viribus allaboraret, etiam arrepta ceſſionis, ac depoſitionis via, ſi id majori Cardinalium parti pro bono pacis videretur expedire. Huic formulæ octodecim ſubſcripſere Purpurati, quorum primus Guido Maleſſius Præneſtinus Episcopus, alias dictus Cardinalis Pictavienſis, & Petrus de Luna decimus ſextus erat. Cardinales Florentinus de Agrifolio, & S. Martialis licet præſentes eſſent, ſubſcribere recuſarunt; duo vero aberant, Jacobus Epiſcopus Sabinenſis, & Joannes de Novocaſtro Epiſcopus Oſtienſis. Mirum tamen, quod in dicto juramento non legatur illa clauſula, *ſi pariter æmulus ceſſerit*, cum tamen hanc ipſam pactionibus conventis adjectam fuiſſe hiſtoriæ ſeries ſupponat.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Petrus de Luna in Papam electus.

Cardinales non nisi biduo in Conclavi hærentes, die 28. Septembris in profesto S. Michaelis unanimi voce eligunt Petrum de Luna Cardinalem de Arragonia, annos circiter sexaginta natum. Hic Benedictus XIII. nuncupari voluit; Is anno millesimo trecentesimo septuagesimo quinto a Gregorio XI. Pontifice Cardinalium collegio adscriptus, novemdecim annis hac dignitate claruit. Electione peracta confestim formulam in conclavi præscriptam ratam habuit, cumque Papatus consequendi desiderium ei haud alia, quam specioſa unionis, ac concordiæ verba suggessisset, Cardinales non alium virum, quem eligerent, ad cessionis viam amplectendam illo magis pronum, & tollendi schismatis magis studiosum reperiri posse, arbitrati sunt, eo firmiori argumento, quia illico ad Regem Galliæ, & Parisiensem Academiam

Ciacon. in Bened. XIII.

miam Legatos decrevit, qui eos ad ſeligendam viam pro reddenda Eccleſiæ pace opportuniorem adhortarentur. Itemque ad Joannem Caſtellæ Regem literas dedit, in quibus improbitatem, ac ſchiſma nutrientium furorem diris devovet, teſtatus, malle ſe per totam vitam ſuam monaſterio incluſum manere, quam cum tanto Eccleſiæ detrimento Pontificatum retinere. Verum hæc labiis, non autem corde dixiſſe, eventus docuit. Eodem tempore Nicolaus de Clemangis, ardentiſſimus ille pacis amator, ſummum Pontificem, datis literis, ſolidiſſimis juxta, ac ſinceriſſimis adhortabatur, in bono ſuo propoſito firmus perſiſteret, & præſentibus Eccleſiæ malis prompto animo ſuccurreret; Nicolaum eadem occaſione tractatum ſuum *de ruina, ſeu corrupto Eccleſiæ ſtatu*, compoſuiſſe, non nulli conjiciunt, alii hanc lucubrationem ad annum 1414. revocant, certum tamen eſt, eandem Romæ ad indicem librorum prohibitorum rejectam fuiſſe.

Cave hiſt. Litter.

§. XLIX.

§. XLIX.

Concilium Nationale Parisiis in unionis negotio celebratum.

Galliæ Rex amplissimis Benedicti verbis haud dubie parem animi sinceritatem correspondere ratus, die 2. Februarii 1395. solemnem indixit conventum Parisiis in Palatio celebrandum, qui pro Nationali Synodo habetur. Convocantur plusquam centum & quinquaginta Prælati, quorum tamen pluribus vel morbo vel senio præpeditis, solus Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, & Carcassonensis Ecclesiæ Administrator, cum septem Archiepiscopis, quadraginta sex Episcopis, novem Abbatibus, pluribusque Decanis, atque Doctoribus comparuere. Præsidis munere fungebatur Patriarcha Alexandrinus, & Arnaldus Corbejensis Cancellarius sua quoque præsentia conventum honorabat. Per plures dies de unionis negotio deliberatum, tandem potior suffragiorum pars in eam abiit sententiam, utriusque contendentis

Hist. Car. VI p. 278. & 282 Labb. Conc. tom. 11. p. 2511.

dentis ceſſionem medium eſſe præ ceteris promptiſſimum, tutiſſimum juxta, ac facillimum; verum Benedicti Papæ Oratores tunc Pariſiis agentes inſtanter obteſtati ſunt Regem, ut ſuo interventu totum negotium ſuſpenderetur, & ad ſummum Pontificem definitio ſuprema devolveretur. Quorum precibus Rex lubenti animo ceſſit.

§. L.

Legatio Principum ad Benedictum.

Igitur Legatio ad Benedictum decernenda erat, quam Rex Bituricenſi, ac Burgundo ducibus, Patruis ſuis, Duci Aurelianenſi fratri ſuo, aliisque ſuis Conſiliariis detulit. Hi ampliſſimo mandato inſtructi die Sabbati 22. Maji 1395. Avenionem veniunt. Primordia congreſſus magno utrinque gaudio, ac mutuæ amicitiæ ſignis celebrata fuere, ſed brevi mutata eſt ſcena. Hoſce Principes comitabantur nonnulla Univerſitatis membra, inter quæ Ægidius de Campis

pis numerabatur, qui in publico conſeſſu, præſentibus viginti Cardinalibus, plurimis Doctoribus, ac viris literatis ſermonem habuit ad Pontificem, alio quoque die Sylvanectensis Epiſcopus perorabat. His omnibus Benedicto perſuadere conabantur, ut jurisjurandi authographum exhiberet, a Cardinalibus ante ingreſſum Conclavis ſubſcriptum, & quamvis hac de re nomine Regis admoneretur, tamen vehementer obluctatus eſt, primo (ut referunt non nulli) ſe ulli inſtrumento, quo abdicationem promiſiſſet, ſubſcripſiſſe negabat, demum vero hoc authographum quidem producere, ſed nonniſi remotis arbitris, ac coram ſolis Ducibus, ſpopondit, illudque tandem a Cardinale Pampilonenſi ſtudioſiſſimo ejus Fautore afferri juſſit, quod & ipſe una cum Legatis recitavit, quibus vix non invito Benedicto transſumptum communicabatur, quod poſtmodum Lutetiam miſſum in pleno Senatu lectum eſt.

§. LI.

§. LI.

Papa ceſſioni refragatus.

Tertius agebatur congreſſus, & in eo fortiter apud Pontificem inſtiterunt Legati, ut mentem ſuam de modo conciliandæ pacis aperiret; ipſe vero tunc declarabat, æquiſſimam, ac magis opportunam tollendi ſchismatis viam eſſe, ſi ipſe cum Bonifacio, & utriusque obedientiæ Cardinalibus in quodam Galliæ finitimo loco ſub Regis tutela convenirent, de unionis modo tractarent, & rationibus eorum ultro citroque expoſitis, ſponderent, ſe non inde diſceſſuros, priusquam lis inter eos compoſita eſſet. Ægidius de Campis hoc Pontificis conſilium confutat, conſtanter ipſam urgens ceſſionem, dumque Benedictus Legatorum vota calamo excipi peteret, ut de mediis huic negotio idoneis provideri poſſet, reſpondit Ægidius, haud opus eſſe Scriptura pro unico duarum ſyllabarum verbo: nempe *cedo*. Pontifex conſtantia viri perterritus, ſpatium petiit ad deli-

deliberandum. Legati vero haſce Benedicti tergiverſationes pertæſi recedunt, & ad Villam novam prope Avenionem, ubi alias diverſari ſolebant, revertuntur, rogantque Cardinales, ut ſi cum eis colloqui vellent, eo ſe conferrent. Igitur ad conditum locum omnes conveniunt, quos inter præcipuus erat Cardinalis Florentinus, & conſultatione facta ſexdecim vel octodecim eorum communi ſuffragio omnes viam ceſſionis approbant, excepto ſolo Cardinale Pampilonenſi, qui intruſi Pontificis depoſitionem pro optima, & promptiore via habebat. Nec felicior erat quarti colloquii eventus, Pontifice ceſſionis viam conſtanter rejiciente, ac mutuum cum ſuo æmulo colloquium pertinacius expetente. *Dacher. ſpicil. tom. 6. p. 133.*

§. LII.

Benedictus XIII. edit Bullam prorſus inanem.

Nihil a Benedicto impetrare poterant, niſi Bullam, quæ in pleno *Hiſt. Univ. Paris. tom. 6 p. 746.*

consistorio præsentibus Cardinalibus, ac nonnullis Curiæ suæ Ministris, & Galliæ Legatis prælecta fuit, sequentes complectens articulos. I. Sub Protectione Regis Galliæ tam competitores, quam eorum Cardinales in loco securo congregandos esse, ut deliberarent de mediis unionis II. sibi inconsultum videri, antequam sic congregarentur Cardinales sententiam suam de modo unionis aperire, timendum enim, ne malevolorum artibus ejus consilia everterentur. III. Cum via cessionis (a se quidem incautius acceptata) nec a jure statuta, nec ad extinquendum schisma a Patribus unquam in usum deducta legeretur, ne per ejusmodi peccaminosam novitatem Dei offensam incurreret, merito sibi timere. IV. Se quidem Principes exorasse, ut sibi hanc cessionis viam ad exitum deducendi media indicarent, nullum tamen ab eis responsum accepisse. V. Si per hanc viam unio obtineri nequeat, eligendos esse utrinque arbitros, qui utriusque partis jura decide-

rent.

rent. VI. Sin vero nec per colloquium, nec per arbitramentum concordia reſtitui poſſet, aliam ſe viam tunc propoſiturum, vel ab aliis proponendam acceptaturum, quæ foret rationi, legibus & honeſtati magis conſona.

§. LIII.

Principes re infecta Pariſios reverſi.

Legati hanc Bullam ſibi prælectam cum indignatione audientes diſcedunt: Duces vero cum Deputatis Academiæ, omnibusque Cardinalibus, exceptis tribus, conveniunt, ſuper Pontificis conſtitutione deliberaturi: quam, cum fallacibus artibus plenam cenſerent, communibus votis rejiciunt. Cardinales, quod res adhuc infecta eſſet, Principum diſceſſum ægre ferentes, Benedictum adeunt, & flexis genibus obſecrant, ut ceſſionis viam amplecteretur; tandem etiam erectis ad cœlum manibus, omnibusque ferme lacrimantibus iterum iterumque eidem ſupplicant;

Monach. Sandion. lib. 15. c. 10. & l. 16.

Spicil. loc. cit. nec tamen ejus pertinaciam expugnare poterant, imo nunquam tanta arrogantia, quam hac eadem occasione loqui audiebatur, cum etiam Cardinalibus novam traderet Bullam, qua cunctis sub pœna inobedientiæ, ac perfidiæ inhibuit, ne formulæ super cessionis via confectæ subscriberent. Hoc Pontificis consilio Duces non mediocriter concitati, nullis amplius precibus flecti poterant, ut ad eum rursum inviserent, sed recta magnis itineribus Lutetiam redierunt; quo tandem die vigesima quarta Augusti S. Bartholomæo sacra pervenientes, rei gestæ seriem ad Regem, ejusque Senatum deferunt, rogantque, ut ipse pro pace Ecclesiæ hucusque bene cæpta perficeret.

§. LIV.

Plures Europæ Principes cessioni assentiuntur.

Hist. Univ. Paris. tom. 4 p. 752. Rex ardentissimo procurandæ pacis studio accensus, nec a proposito suo dimoveri passus, oratores suos ad ceteros

ceteros Reges, atque Principes, Academiæ hortatu, mittere ſtatuit, qui eos ad urgendam ceſſionis viam, utpote reliquis efficaciorem, hortarentur. Abit in Germaniam Abbas S. Ægidii Noviodunenſis, comitante Ægidio de Campis Theologo. Angliam petunt Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, & Archiepiſcopus Viennenſis. Pariſienſis quoque Univerſitas ad Academiam Oxonienſem Joannem de Curtacoxa Theologiæ Doctorem, & Petrum Regis, Montis S. Michaelis Abbatem; ad Colonienſem vero, nec non ad Electores ablegat Petrum Platum Theologiæ Doctorem, & alium quemdam Jurisconſultum. Rex Angliæ viam ceſſionis prætulit, non obſtante contraria Oxonienſis Univerſitatis ſententia, quæ quæſtionis hujus deciſionem potius ad Generale Concilium remittendam eſſe cenſuit. Paulo ante Angliæ Rex Legatos ſuos, collatis prius cum Carolo Galliarum Rege conſiliis, Romam & Avenionem decreverat, eo fine, ut u-

trumque Papam ad amplectendum hoc medium inducerent; cum ergo ab iisdem Legatis in Angliam reversis edoceretur, tam Bonifacium, quam Benedictum colludere, ac causſæ deciſionem unanimi ſtudio protelare, hac ex cauſſa ceſſionis viæ firmiter inſtitit; narrabant enim Legati Bonifacium conſtanter profiteri, ſe ad abdicandum Papatum eſſe paratum, ſi prior cedat Benedictus, eoquod certus eſſet, hunc a ceſſione alieniſſimum eſſe.

Mariana l. 19. c. 8.

Pariter ceſſioni adſtipulabantur, Univerſitatis Pariſienſis judicium ſecuti, Wenceslaus Imperator, S. R. I. Electores, & Bavariæ, ac Auſtriæ Duces, Francofordiæ congregati. Sigismundus Hungariæ Rex nil hæſitans mox acquievit, & Navarræ, ac Caſtellæ Reges pariter Galliæ Regem imitati ſunt, fruſtra contranitente Martino Arragoniæ Rege, qui Joanni Regi nuperrime ſucceſſit, & Benedictum, quem, utpote concivem ſuum ſibi ſubjectum reputabat, ob privata ſua com-

commoda conſtanter tuebatur. Rex Luſitaniæ, ceterique Principes, qui hucusque Pontificum Romæ reſidentium obedientiæ addicti erant, neutri ex propoſitis tollendi ſchismatis viis acceſſerunt, ſed immota fide Bonifacium tanquam verum Papam coluerunt, ab eo deficere, cui ſemel obedientiam devoviſſent, indecorum eſſe arbitrati.

§. LV.

Appellatio Univerſitatis.

Cum Univerſitas ardentiori ſtudio accenſa viam unionis urgeret, Benedictus Papa contra illam verbis & factis debachatus eſt, ut ergo comminati anathematis vim præverteret, ab ejus ſententia ad futurum Pontificem ab univerſa Eccleſia acceptandum provocavit. Benedictus adverſus hanc appellationem, qua plenitudini ſuæ poteſtatis præjudicatum credebat, Bullam edidit; cumque in ea a Judicio Papæ appellare licitum non eſſe adſtrueretur, Aca-

Hiſt. Univ. Pariſ tom. 4. p. 821. Spicil. tom. 6 p. 143.

demia proprio ſuo honori conſultura, ſecundam interpoſuit appellationem, qua primam utpote a Benedicto tanquam libellum famoſum rejectam vindicaret. Pontifex altera hac provocatione comperta, novam condidit Bullam, qua omnes vel a ſe, vel a ſuis ſucceſſoribus provocaturos excommunicationis ſententia percellit. Nihilo ſecius Academia ſuam cauſſam proſequens, in Mathurinorum cænobio congreſſum inſtituit, atque ceſſionem optimam eſſe unionis viam denuo declaravit. Septendecim quoque Cardinales ſcripta ad Carolum VI. Epiſtola idem medium tanquam ceteris utiliſſimum approbarunt.

§. LVI.

Cardinalis Pampilonenſis in Galliis non receptus.

Tandem Univerſitas obfirmatum Benedicti animum intelligens, Regi ſubtractionem ab ejus obedientia propoſuit. Qua re percepta Pontifex in extremas anguſtias conjectus,

ctus, Cardinalem Pampilonenſem propinquum ſuum in Gallias mittere decernit, ut hujus conſilii executionem impediret. Verum Rex cognita Pontificis voluntate ad eundem ſcripſit, eumque hortatus eſt, ut Legatum domi retineret, ne fors non ſine rubore a ſuo alloquio repelleretur. Benedictus datis ad Bituricenſem Ducem, ipſumque Regem literis, injuriam ſibi hucusque inauditam irrogari acerbe conqueritur, ſed ſurdas pulſabat aures.

§. LVII.

Secundum Concilium Nationale in Gallia, in quo ſubtractio decernitur.

Rex Galliæ denuo Synodum coegit Nationalem, in qua de ſubtrahenda obedientia tractaretur. Haud equidem Rex ipſe illi intererat, utpote ex morbo ſuo rurſum decumbens, ejus tamen vices egerunt Aurelianenſis Dux ejusdem frater, Bituricenſis, Burgundus, & Borbonius

Duces illius patrui, cum Arnaldo de Corbeja Franciæ Cancellario, cunctisque aliis Senatus Regii membris. Carolus III. Navarræ Rex ipse præsens erat, Castellæ Rex autem non nisi suos per Legatos. Aderant quoque Patriarcha Alexandrinus, undecim Archiepiscopi, sexaginta Episcopi, septuaginta Abbates, sexaginta octo Capitulorum Procuratores, præter Universitatis Parisiensis Rectorem, Facultatum Procuratores, & Academiarum Aurelianensis, Andegavensis, Montispessulanæ, & Tolosanæ Deputatos, & plurimos Theologiæ, ac Jurisprudentiæ Doctores.

§. LVIII.

Gallia plenæ subtractionis viam adoptat.

Monach. Sandion. l. 18. c. 2. Hist Univ. Paris. tom. 4.

Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus hoc Concilium, cujus Præses erat, oratione Gallica auspicatus est, ac omnibus, quæ hucusque gesta fuissent, recensitis, subtractionem a Benedicti obedientia vel omni-

omnimodam, vel saltem quoad Beneficiorum collationes, & temporalia Ecclesiarum bona restrictam adoptandam proposuit, caussatus, Benedictum, pecunias in Galliis corrasas, & Beneficia, quorum collatio ei competeret, potissimum impendisse, ut sautorum suorum numerum augeret. Suffragantium ferme erant trecenti, ex quibus ducenti quadraginta septem pro totali subtractione sententiam dicebant. Rex quoque plurimorum votis accessit. Ergo die 28 Julii subtractionis Edictum promulgatur, quod anno 1398. die 29. Augusti publicis Parlamenti tabulis insertum fuit. Hac lege auctoritate Regis prohibitum, ne subditorum suorum quisquam Benedicto obedientiam præstaret, vel officialibus ejus quidquam solveret: addito tamen mandato, ut interim Ecclesia Gallicana avitis suis libertatibus pleno jure potiretur, & beneficia secundum Juris communis præscriptum, vel per Electionem Capitulorum, vel ordinariorum collationem

nem mere gratuitam conferantur, penitus proſcripto omni onere Miniſtris Papalibus olim præſtari ſolito, ſub quocunque demum obtentu id exigeretur.

§. LIX.

Ceteri Principes exemplum Galliæ ſequuntur.

Hiſt. Univ. Paris. ibid.

Paulatim univerſa propemodum Europa ſubtractionis viam amplexa eſt; nam Principes vicini, & Bavariæ Dux quantocius Gallorum exemplum imitati, ſimilem obedientiæ denegationem tam in ſpiritualibus, quam temporalibus ad omnes ſuas ditiones extenderunt. Exhibet Hiſtoria Academiæ Pariſienſis documentum ſubtractionis ab Epiſcopo Leodienſi Joanne Bavaro, ejusdemque diæceſis pluribus Nobilibus adoptatæ. Præterea Maria Bleſenſis Regina, & Ludovici Andegavenſis Mater in Provincia, ubi agebat, Regesque Navarræ, & Caſtellæ in ſuis regnis, in quibus regimen Eccleſiæ

siæ ad Gallorum leges compositum erat, eidem subtractioni assenserunt. In plurimis locis sparsim permulti inveniebantur Bonifacio adhærentes, qui a sua quoque obedientia defecerunt. Carolus VI. die 27. Julii binas encyclicas dedit epistolas, quarum una censuras, & sententias a Commissariis, Auditoribus, Judicibus, Delegatis, aliisve auctoritate Benedicti Papæ forte ferendas, nihili haberi voluit, & ut id fieret, sedulam curam suis Provinciarum Præfectis, Prætoribus, aliisque regiis officialibus demandavit. Altera normam præscripsit circa Beneficiorum collationem, & Regimen Ecclesiasticum pro tempore subtractionis. Qualiter vero hæc dispositæ fuerint, quæque remedia malis ex hac subtractione enascentibus adhibita, enucleatius in quarto tomo Historiæ Universitatis Parisiensis recensetur.

§. LX.

§. LX.

Octodecim Cardinales a Benedicto deficientes.

Monach. S. Dionyſ. l. 18. c 6. Surita l. 1.

Cuncta iſta Gallorum conſilia rebus Benedicti valde inimica fore, facile colligi poterat, certum tamen, eum inter tam repentina, tamque inopinata adverſantis fortunæ ludibria nunquam acerbiori vulnere perculſum ingemuiſſe, ac dum octodecim Cardinales a ſua obedientia ſecedere inaudiit; hi enim ſubtractionis documento ad eum miſſo, Villanovam Regis Galliæ oppidum, ſeſe receperunt, ut iram Pontificis, & Arragonenſis exercitus a Roderico de Luna fratre ipſius in auxilium miſſi inſultus effugerent. Crevit immodice Benedicti furor, dum præter ſuos Cardinales, etiam a pluribus Domeſticis, Capellanis, Auditoribus, aliisque ſuis officialibus ſe derelinqui videret; hi enim turmatim ab eo deſciverant, poſtquam a duobus Commiſſariis a Rege miſſis, nempe

pe Roberto Franciſcano Juris Doctore, & Triſtano de Boſe Eccleſiæ Attrebatenſis Præpoſito hanc obedientiæ ſubtractionem Avenione prima Dominica Septembris 1398. publicari perceperunt, eisque nuntiatum eſſet, eosdem Commiſſarios omnibus Regis ſubditis tam Clericis, quam Laicis præcepiſſe, ut ſinguli ſub graviſſimis pœnis aula, ac miniſterio Benedicti excederent, quo factum, ut Pontifex nonniſi duos numeraret Cardinales, ſcilicet Pampilonenſem, & Tarraconenſem, qui adverſam magis fortunam ſentire, quam ab ejus ſocietate divelli voluere.

Cardinales Villanovæ in aſylo morantes, tres e gremio ad Carolum VI. ablegant, nempe Pictavienſem, de Salutiis, & de Turejo Cardinales, qui a Rege peterent, ut ad ſubtractionem ceteros Principes induceret, Concilium Generale pro unione convocari, ipſumque Benedictum tanquam ſchiſmaticum, & hæreticum comprehendi juberet. Cardinalis

de

Juv. Urſin. Hiſtor. Caroli VI. p. 134.
Monach. S. Dionyſ. l. 18. c. 10.

de Tureio ceterorum nomine perorans, pereleganti ſermone Regi expoſuit, quam utile, imo quam neceſſe ſit, ut Rex eorum precibus deferret, ſe nihil, quod veritati apprime conſonum non foret, contra Benedictum dixiſſe ſubjungens; Cui Cancellarius nomine Regis reſpondit: incarcerationem Pontificis ex capite hæreſis Regi non competere, cetera vero cum illis, atque Prælatis Galliæ maturiori diſcutienda examine.

§. LXI.

Rex cum copiis Petrum Alliacenſem, & Bucicaldum Mareſchallum Avenionem mittit.

Petrus de Alliaco An. 1396. Episcopus Cameracenſis nominatus, qui paulo poſt Romam miſſus erat, Bonifacio ceſſionem perſuaſurus, currente anno 1398. circa menſem Majum redux, juſſu Regis denuo Avenionem proficiſcitur, comitante Joanne Maingrio Bucicaldo Franciæ Mareſchallo una cum copiis ſuis, ut Benedictum

dictum vel per compositionem amicabilem, vel quacunque alia via ad abdicandum Papatum urgerent.

Episcopus Cameracensis cum Mareschallo Lugdunum usque pervenit; inde vero, cum ab invicem discederent, Episcopus solus iter suum prosecutus est, Mareschallo Lugduni relicto, ubi ulteriora mandata expectare jussus est. Petrus de Alliaco Avenionem delatus, salutato Pontifice, negotium sibi concreditum exposuit, affirmans, Galliæ Regem, & Imperatorem mutuo consensu statuisse, ut uterque Pontifex dignitatem suam abdicaret. Ad hæc verba Benedicto toto vultu rubor emicare, tandem vero respondere, se pro Ecclesia multos sustinuisse labores, legitime electum fuisse, & tamen nunc ad cedendum cogi, se vero id, quoad vixerit, facturum nunquam, velleque, ut ipse Galliæ Regi significaret, se ejus Imperio nequaquam obtemperaturum, sed nomen, dignitatemque suam usque ad mortem conservaturum. Postera die denuo alia occa-

sione Episcopo Cameracensi mentem suam sic aperuit, „ Dic, inquit, Filio „ meo Galliæ Regi, quod eum huc- „ usque tanquam bonum Catholi- „ cum veneratus sim, fraude tamen „ aliorum non ita pridem seductum „ suo tempore pœnitebit. Quare „ bonis consiliis se regi sinat, nihil- „ que agat, quo conscientiam lædat. „ Demum ira excandescens, se legitimum Papam esse, nec Tiaram dimissurum, etiamsi cute exuendus esset, sæpius repetiit, ac discessit. Episcopus vero sumpto prandio, equo vectus, Villanovam, inde Balneolum oppidum in Gallia situm venit, ibidemque pernoctat, ubi Bucicaldum Mareschallum S. Andreæ portum nono lapide ab Avenione dissitum subiisse comperit.

§. LXII.

Bucicaldus Mareschallus Avenionem expugnat.

Ergo Petrus Alliacensis Bucicaldum Avenione convenit, inde vero

ro Parisios revertitur, & Mareschallo demandatam sibi provinciam exequi, ac Avenionensem urbem obsidione cingere præcipit, quam paulo post accedentibus civibus, Benedicti tyrannidem exosis, armis suis subjicit.

§. LXIII.

Benedictus in arce obsessus.

Benedictus, omnibus hisce infestæ fortunæ casibus nequaquam permotus, constanter protestatur, se nunquam renuntiaturum, etiamsi mori contingeret. Quare una cum suis Arragonensibus ad arcem confugiens, inde datis ad Martinum Arragoniæ Regem literis, suppetias postulat, quas tamen Arragonius, ne Regem Galliæ sibi offensum redderet, ferre renuit. Igitur Bucicaldus impune arcem oppugnat, & Benedictus tota hyeme tam arcta obsidione premitur, ut nemini liber ad urbem vel ingressus, vel exitus pateret.

§. XIV.

Mareſcallus obſidione dilata arcem circumvallare juſſus.

Pontifex præſidiariis militibus fame propemodum conſumptis, vix non obſidentibus in prædam ceſſiſſet, niſi aliunde ad Principum preces alia ſubiiſſet rerum facies. Dum enim Bituricenſis Dux nupera Avenionenſi legatione offenſus, tanto odio ferebatur in Benedictum, quanto olim favore Clementem proſecutus fuerat, Dux Aurelianenſis, qui Burgundiæ, ac Bituricum Ducibus continuo ſtudio adverſari intentus erat, pro Benedicto interceſſit, cui etiam preces ſuas junxit Martinus Aragoniæ Rex, qui miſſis ad Carolum VI. Legatis declaravit, quod Pontifex cauſſæ ſuæ merita unice Regis arbitrio relinquere, ac in omnibus ejus beneplacito parere paratiſſimus eſſet. Igitur Rex Galliæ horum deprecatione motus Mareſchallo Bucicaldo præcepit, ut obſidione ſoluta arcem,

arcem, quamdiu cum Benedicto de pace tractaretur, cinctam ita teneret, ut, quamvis nemini exire liceret, omnem tamen necessarium commeatum invehi permitteret.

Narrant quidam Historici, a Rege Arragoniæ classem, ut succurreret Benedicto, instructam fuisse, sed quia Rhodani alveo nimium depresso, Avenionem appellere non potuit, Rex pactionibus Papam liberare tentaverit, tantaque dexteritate ejus Legati rem gesserint, ut Benedictum licet ægre admodum, tandem tamen eo induxerint, ut se cessurum pollicitus esset, si æmulus vel cesserit, vel mortuus aut depositus fuerit. Præterea fidem dat, præsidiarios quoque arcis milites se dimissurum, reservata centuria pro corporis sui securitate, denique pari militum numero Concilio, si quod celebraretur, se interfuturum promisit.

§. LXV.

Benedictus in ſuo Palatio captivus.

Hiſt. Univ. Pariſ tom. 4. ſub finem.

Sub hiſce conditionibus Rex Galliæ Benedicto clientelam ſuam ſpondet, & in palatio eum ab omni vi, & injuria ſecurum reddit, adhibita tamen foris cuſtodia, ne arbitrio ſuo recedere poſſet. Ibi varias literas ſcripſit, præcipue vero unam ad Regem Galliæ ſtylo ſumme pathetico, & ad commiſerationem ciendam compoſito: mala (inquit) quibus premor, ſatis clare teſtantur, me non mentis pervicacia conditionem tueri velle adeo miſeram, qualis mea eſt; omnium mortalium miſerrimus juxta, ac ſtolidiſſimus eſſem, ſi in hoc Sæculo certiſſimam miſeriam cum periculo æternæ in futuro mihi pararem, tandem vero ſub finem Epiſtolæ libertati reſtitui efflagitat. Rex in ſuis reſponſoriis eum adhortatus eſt, ut juramenti in ſua electione ſolemni-

mniter præſtiti fidem datam perſolveret.

§. LXVI.

Subtractionis via multis non probata.

Quamvis itaque ad firmandam ſubtractionis viam nihil intentatum relictum fuerit, nihilominus tantum obtineri haud poterat, ut hæc omnibus probaretur: quinimo ab ipſis quoque Benedicti æmulis rejecta fuit. Cramaudus enim Patriarcha Alexandrinus pro exigendis pecuniariis ſubſidiis, clerum congregavit; & Ecce! hæc petitio plurimos ita exulceravit, ut totus conventus optato ſucceſſu caruerit. Univerſitas quoque Pariſienſis, potiſſima ſubtractionis cauſſa, Epiſcopis crimini dedit, quod Academiæ membra, ac ſocios a beneficiis vacantibus excludant, eaque ſibi devotis, habita perſonæ ratione conferant, idque adeo indigne accepit, ut ſcholæ exercitia

sisteret. Universitas Tolosana aliis rationibus mota scripsit ad Regem epistolam, in qua aperto Marte subtractionem satis acriter impugnat; & quamvis Nicolaus Clemangius schismatis extinctionem ardentibus votis desideraret, & ad Benedictum XIII. a prima electionis suæ die plurimas & mordaci facundia plenas literas ea de re dedisset, nunquam tamen subtractionis viam comprobavit. Joannes Gersonius, aliique plurimi Doctores scientia, ac studio pacis clarissimi, ejusdem cum Nicolao erant sententiæ; & licet subtractioni, postquam in Galliis decreta fuit, acquieverint, tamen ad reddendam Ecclesiæ pacem, inutilem præsagiebant.

Hist. Univers. Paris. tom. 5. initio.

§. LXVII.

De Simonia sub Bonifacio IX.

Simonia, quæ a principio quidem occulte, postea vero aperte Romæ ab Aulicis exercebatur, ipsum Boni-

Bonifacium in invidiam populi traxit. Ferunt aliqui, ipsum Annatas perpetuas, tanquam jus Romanæ Sedi inseparabiliter annexum instituisse; totam quoque Italiam pervagabantur Sedis Apostolicæ Cursores, qui studiose in infirmos, ac ditiores beneficiarios eo fine inquirebant, ut defunctorum beneficia sibi Romæ aucuparentur, cum vero isti, deficiente non nunquam pecunia, nummos cum fœnore mutuos accipere cogerentur, usura adeo sub hoc Pontificatu invaluit, ut (si Theodorico Niemo *de schismate l. 2. c. 7.* fides habenda foret) non amplius peccatum esse crederetur. Quandoque idem beneficium eadem die pluribus vendebatur, & re ipsa vacare, singulis exponebatur. Uno verbo, inquit Fleurius, beneficiorum nundinatio tam frequens erat, ut plurimi aulæ Ministri eam licitam esse, neque Pontificem in hac materia peccare posse, defenderent. *Hist. Eccl. tom. 20.*

Interim Patrimonium S. Petri deprædationibus expositum ingemuit; Fundorum Comes, quem Bonifacius hoc anno 1399. anathematis sententia perculit, plures status Ecclesiastici urbes vi occupavit, & ad Portas Romanas usque prædas egit. Joannes quoque Galeatius Mediolanensium Dux Perusium in suam redegit potestatem; quapropter Pontifex Roma Assisium fugere compulsus est, hasce turbas sedaturus, sed paulo post in urbem reversus ob Jubilæum, quod anno sequenti indixerat, ibi celebrandum.

§. LXVIII.

De Secta Albatorum.

Niem. de schism. l. 2. c. 26. Antonin. chron. tit. 22. c. 3. Pogg. hist. Flor. l. 3. p. 136.

Eodem tempore *Albatorum* secta in Italiam irrupit. Percipiamus Theodoricum a Niem, qui triginta omnino annis in Italia vixit, & hujus monstri oculatus testis erat, ac proin majori fide dignus, quam S. Antoninus, Platina, Leonardus Aretinus & alii,

alii, qui de hoc scripserunt. *Anno decimo ejusdem Bonifacii*, inquit ille, *aliqui truffatores de Scotiæ partibus in Italiam venientes, cruces lateritias subtiliter per infusum sanguinem in conspectu populi exprimentes, dictas cruces etiam olei liquore intus madefactas æstivo tempore sudare fecerunt, & fingentes unum ipsorum esse Eliam Prophetam, & de Paradiso rediisse, mundumque in brevi terræ motu perire debere, & totam pene Italiam, Romam quoque, & Campaniam Romanam pervagantes omnem populum mirabiliter deceperunt, ita quod etiam Presbyteri, & Clerici, & Laici utriusque sexus, & pene totus populus in Romana, & vicinis regionibus, nec non etiam quidam Cardinales decepti per hujusmodi truffatores se induerunt saccis, seu albis camisiis, nec non cantantes nova carmina per modum Litaniæ processionaliter iverunt per civitates & loca vicina per tredecim dies continuos, antequam ad domos proprias redierunt,*

runt, nocturno tempore cubantes in Ecclesiis, & monasteriis, ac eorum cœmeteriis, & aliis officinis illa turpiter defœdando, nec non penes illa repertos fructus in arboribus totaliter devorando, in quibus quidem processionibus, & stationibus maxime nocturno tempore multa fiebant anomala, quia senes, & virgines, nec non & mulieres pariter, & virgines absque prava suspicione simul de nocte in eodem loco cubabant, & mane surgentes ibant ulterius cantando tota die sicut die præcedenti fecerunt, sed demum uno Pseudopropheta comprehenso in Aquapendenti, nec non ad quæstiones posito, ipse flagitium detexit, pœna docente, quem flamma combussit. Ceterum Platina refert, quod Bonifacius fanaticum hunc hominem exuri jusserit, an autem impostor fuerit, hic idem auctor in dubium vocat. Nihilominus devotio hæc non omni fructu destituta videtur, nam Poggius in sua Historia Florentina testatur, quod

quod pœnitentes, priusquam faccos albos induerent, sacerdotibus cum ingenti male actæ vitæ detestatione sua peccata confitentes, illa expiarint; injurias olim illatas sibi invicem remiserint, ac veterum simultatum memoriam deleverint. Luccenses primi, numero fere quatuor millia crucifixi imaginem præferentes, instructo supplicantium agmine Florentiam peregrinati sunt, queis Florentini primum publice victui necessaria ministrabant, demum & ipsi ad horum imitationem vestibus albis induti novam hanc religionem tanto fervore sequebantur, ut nemo eam vilipendere ausus fuerit, quin subito torvis omnium oculis notaretur. Præterea cuncta pietatis exercitia tunc temporis frequentissime, ac incredibili fervore peragebantur, & depositis atrocibus, inveteratisque odiis, pax ubique redintegrata videbatur. Verbo; adeo universalis erat animorum reconciliatio, ut insidiæ, homicidia aliaque crimi-

crimina charitati proximi contraria penitus exulaverint. Hi sunt fructus illi insignes inde progeniti. Tandem vero detecta est eorum fallacia, & horum Pseudopœnitentum ordo contemptui habitus, paulo post evanuit, penitusque extinctus est.

§. LXIX.

Jubilæum Romæ ad annum 1400. *celebratum.*

Spond. an. 1400. §. 1. *Gobelin. Person. Cosmod. l.* 6. *c.* 81. *p.* 311. *Niem. l.* 1. *c.* 68. *Juv. Ursin. p.* 142.

Eodem anno 1399. Christi fideles, præcipue vero Galli, pie credentes, ad initium cujuslibet sæculi solemne Jubilæum celebrandum esse, Romano itineri se accingunt, illud anno sequenti 1400. indictum consecuturi. Equidem Bonifacius VIII. hanc solemnitatem anno 1300. instituens, anno quovis centesimo reiterandam declaravit, Clemens VI. tamen hunc terminum nimis prolixum existimans, ad quinquagesimum annum reduxit. Tandem vero Urbanus

nus VI. in memoriam annorum, quos *Christus JEsus* in carne nostra mortali transegit, ad quemlibet trigesimum tertium annum circumscripsit. Verum Fidelium pietate antiquis moribus tenaciter adhærente, nihilominus singulis centum annis Romam peregrinari assueverant, hasce indulgentias lucraturi, unde Romanæ urbi non modica accessit utilitas, cum econtra aliis regnis præjudicium inferretur. Rex Galliæ regnum suum exhaustum iri ratus, suis subditis turmatim ad Jubilæum anni 1400 accurrentibus hanc peregrinationem inhibere decrevit, quod ut consequeretur, eo fine regno exire, speciali lege vetuit, partim, ne Bonifacius pro legitimo Pontifice agnosci videretur, partim ne pecuniæ extra regnum deportarentur. Verum insuperhabito hoc edicto Galli utriusque sexus certatim Romam profecti sunt. Cum vero Bonifacius bello adversus Honorium Cajetanum Fundorum Comitem implicaretur, peregrinantes suæ inobe-

inobedientiæ pœnas dederunt; nam priusquam Romana limina salutarent, a militibus Comitis spoliati, alii trucidati, plures nobiles quoque fœminæ stupratæ fuerunt. Eorum, qui Romam venerant, innumeri pestilentia, quæ tum singulis diebus in urbe fere sexcentos homines abripiebat, perierunt.

§. LXX.

Iter, & adventus Imperatoris Constantinopolitani in Gallias.

Monach. S. Dionys. l. 20. c. 1.

Jam ab anno 1399. Urbs Constantinopolitana a Turcis obsessa cum extremo periculo luctabatur. Pera enim, quæ quasi illius suburbium est, urbemque commeatu juvabat, hostium insultibus vix ultra resistere poterat. Ast Bucicaldus Mareschallus cum ducentorum virorum cohorte in auxilium submissus, suburbium, simulque urbem obsidione liberavit, Turcas repulit, & iterata velitatione profligavit. Cum vero militum

&

& stipendiorum inopia laboraret, unacum Imperatore Emanuele in Gallias rediit, validiores suppetias postulaturus; relicto interim Constantinopoli Castro-Morando, qui urbem ab hostibus defenderet. Interea Dux Joannes Galeatius Vicecomes Palæologum Mediolanum transeuntem perhonorifice excepit, & in Galliam usque, ubi hoc anno advenit, amplo comitatu deducere jussit. Qui etiam Parisiis magnificentia Cæsareæ Majestatis digna receptus fuit, cumque novum peteret auxilium, ampla spe inaniter lactatus, nihil impetrare potuit, quam annuum, quo vitam sustentaret, stipendium; Quippe Regis infirmitas, & mutua Principum dissensio in caussa fuit, quod majora negarentur subsidia, licet integro biennio in Galliis moratus fuerit. Verum cum ei nuntiatum esset, quod Tamerlanes seu Temir - Lanc Bajazetem ingenti clade affeciisset, ac captivum abduxisset, quodque Victor Emanuelem ad suas ditiones redire cuperet, Imperator Regi, to-

tique Regiæ Familiæ ob ejus munificentiam, ac recepta obsequia gratias rependens valedixit, suumque iter aggressus est, postquam illum Rex Galliæ, Princeps usque ad vitæ suæ finem liberalis, splendidissimis muneribus cumulavit, simulque pro restaurandis suis terris eidem annuum subsidium quatuordecim millium solidorum argenteorum destinavit, ac eum ducentorum armatorum comitatu in Græciam dimisit, injuncta eum deducendi Provincia Castro-Morando, qui non ita pridem Constantinopoli redux, Imperatorem, ut reverteretur, vehementer urgebat, fidemque dabat, se illum ad urbem suam incolumem reducturum. Hoc itinere Græcorum Imperator minus suis commodis, melius autem pluribus Europæ provinciis, & præcipue Italiæ prospexit, nam docti illi viri, qui Imperatorem comitabantur, liberalium artium Græcarum, atque latinarum studium, cultumque ad hasce regiones retulerunt.

Monach. Sandionys. l. 22. c. 6.

§. LXXI.

§. LXXI.

Wenceslaus Imperio exauctoratus.

Eodem hoc anno Imperator Wenceslaus filius natu major Caroli IV, & Sigismundi poſtea Imperatoris frater, regno depoſitus eſt. Rex iſte avaritiæ, ſocordiæ, luxuriæ, intemperantiæ, & aliorum vitiorum jure merito portentum audit. Regiam ſuam dignitatem, ac Imperium innumeris flagitiis turpiter fædavit. Hunc tandem Proceres Bohemiæ ejus crudelitatem exoſi, in carceres detrudi juſſerunt, unde in fætore, ac ſqualore tribus, vel quatuor menſibus detentus, tandem ope cujusdam mulierculæ, quæ ipſi, dum in balneo lavaretur, inſerviebat, liberatus fuit, quam ſive gratitudinis titulo, ſive incontinentiæ vitio, menſæ, ac thori ſociam poſtmodum ſibi adjunxit. Verum cum ſiniſtro hoc fato neutiquam reſipiſceret, Sigismundi fratris ſui juſſu

Bzov. an. 1400. n. 111.

Dubrav. l. 23 hiſt. Boh.

jussu denuo in vincula conjectus, Viennam sub custodia Alberti Austriaci delatus est. Verum & ibidem opitulante quodam Piscatore, quem dein Equitem creavit, fuga elabitur. Tandem omnibus his nil proficientibus, Electores eum deponere decernunt, & die 20. Augusti 1400 in illum exauctorationis & privationis Imperii sententiam pronuntiant, quam Elector Moguntinus præsentibus aliis duobus Electoribus Ecclesiasticis, Ruperto Bavariæ Duce, Friderico Brunsvicensi, & Norimbergæ Burggravio publice prælegit.

§. LXXII.

Rupertus Bavariæ Dux Imperator electus.

D. Marten. Anecdot. to. 1. p. 1634. Gobelin. Person. Cosmod. l. 6. c. 7.

Post promulgatam Wenceslai depositionem Electores convenere in Brunsvico-Luneburgicum Ducem, egregium sane Principem, ac rei militaris peritissimum. Verum cum ipse paulo post a Waldeko Comite

mite nefarie occideretur, Rupertum III. Bavariæ Ducem, qui ſexta poſt hebdomada Francofurtum ad Mænum ingreſſus erat, elegerunt, qua urbe, aliisque pluribus in fidem ſuam receptis, anno ſequenti anno 1401. in feſto Epiphaniæ coronatus fuit Coloniæ, eoquod Aquisgranenſes, apud quos ex more inaugurari debuiſſet, illum ad urbem admittere, ac Imperatorem agnoſcere detrectarent, Bohemis inſuper, aliisque conſtanter Wenceslao adhærentibus. Nihilominus Rupertus paulo poſt electionem ſuam Bonifacio datis literis ſignificat, ſpondetque ſolemnem legationem, quæ ſanctitati ſuæ ampliorem de omnibus hac in re geſtis notitiam delatura eſſet. Pariter Electores ad Papam, ejusque Cardinales ſcripſerunt, exauctorationis Wenceslai cauſſas exponentes. Nil dicam inpræſentiarum de itinere Ruperti in Italiam, ubi ſolemniter coronari, & ditiones, quas Wenceslaus Joanni Galeatio Mediolanenſium Duci ceſ-

 ſerat,

ferat, recuperare meditabatur. Hinc inter utrumque Principem dirum accendebatur bellum, sed copiis Ruperti cæsis, ipse, quin coronari potuerit, primo vere anni sequentis in Germaniam redire compulsus est. Hæc sunt, quæ ad intelligentiam rerum Sæculi XV, quod ordimur relatu necessaria duximus.

SUM-

Sumarium Articulorum

in

Dissertatione Præliminari

contentorum.

§. 1. Schismatis exordia. Pag. LXVI.
§. 2. Tumultuaria Urbani VI. electio. LXVII
§. 3. Cardinales Roma Anagniam secedunt. LXX
§. 4. Sexdecim Cardinales Fundis eligunt Clementem VII. Summum Pontificem. LXXV
§. 5. Urbanus VI. viginti novem Cardinales creat. LXXVII
§. 6. Gallia Clementi VII. adhæret. LXXIX
§. 7. Clemens VII. Avenionem confugit. LXXX
§. 8. Bellum Ludovici Andegavensis adversus Carolum de Dyrrachio. LXXXII
§. 9. Urbanus a Carolo Dyrrachio custodiæ datur. LXXXV
§. 10. Urbanus sex Cardinales custodiæ mancipat, & severius castigat. LXXXIX
§. 11. Carolus Dyrrachinus Nuceriæ Urbanum obsidet. XCI

§. 12. Urbanus novos Cardinales creat. XCIV
§. 13. Carolus de Dyrrachio Hungariæ regno potitur. XCVII
§. 14. Cædes Caroli Dyrrachini Neapolitani Regis. ibid.
§. 15. Plures Principes Clementi obedientiam profitentur. XCIX
§. 16. Pseudo-Eremita abdicationem Papatus Urbano suadet. CI
§. 17. Cardinalis Petrus Lucemburgicus. CIV
§. 18. Propositiones Joannis de Montesono. CVI
§. 19. Montesonus a sententia Parisiensis Episcopi ad Clementem VII. appellat. CX
§. 20. A Papa damnatur. CXI
§. 21. Decretum Universitatis. CXII
§. 22. Dominicani Decreto Universitatis subscribunt. CXIV
§. 23. Sententia Scoti de immaculata Conceptione. CXVI
§. 24. Urbanus Papa Romam redit. CXVII
§. 25. Urbani Papæ obitus. CXIX
§. 26. Bonifacius IX. in Urbani VI. locum eligitur. CXXI
§. 27. Bonifacius quatuor creat Cardinales. CXXIII
§. 28. Ludovicus Andegavensis, & Ladislaus pro regno Neapolitano bello congrediuntur. CXXV
§. 29. Ladislaus regnum Neapolis occupat. CXXVII
§. 30. Bonifacii exactiones. CXXVIII
§. 31. Clemens suæ quoque obedientiæ addictos divexat. CXXX
§. 32. Universitas Regi necessitatem extinguendi schismatis exponit. CXXXI
§. 33. Duo Carthusiani apud Bonifacium pro pace Ecclesiæ instant. CXXXII
§. 34. Clemens hos Carthusianos reduces carceri includi jubet. CXXXV
§. 35. Ad instantiam Regis eos Lutetiam remittit. CXXXVI

§. 36

§. 36. Rex Galliæ affectibus phreneticis corripitur. CXXXVII
§. 37. Sanitatem recuperat, & quatuor Carthusianos ad Bonifacium mittit. CXXXVIII
§. 38. Academia conventum agit de schismate tollendo. CXL
§. 39. Bonifacius Papalis suæ dignitatis vindex. CXLII
§. 40. Clemens media ab Universitate proposita rejicit. CXLIII
§. 41. Petrus de Luna Cardinalis Legatus mittitur in Galliam. CXLV.
§. 42. Universitatis Parisiensis ardens unionis studium. CXLVII
§. 43. Epistola Universitatis ad Clementem exarata. CXLVIII
§. 44. Papa his literis indignatur. CXLIX
§. 45. Clementis VII. Papæ obitus. CL
§. 46. Cardinales Avenionenses datis a Rege literis ad differendam electionem monentur. CLI
§. 47. Cardinales conclave ingrediuntur. CLII
§. 48. Petrus de Luna in Papam electus. CLV
§. 49. Concilium Nationale Parisiis in unionis negotio celebratum. CLVII
§. 50. Legatio Principum ad Benedictum. CLVIII
§. 51. Papa cessioni refragatus. CLX
§. 52. Benedictus XIII. edit Bullam prorsus inanem. CLXI
§. 53. Principes re infecta Parisios reversi. CLXIII
§. 54. Plures Europæ Principes cessioni assentiuntur. CLXIV
§. 55. Appellatio Universitatis. CLXVII
§. 56. Cardinalis Pampilonensis in Galliis non receptus. CLXVIII
§. 57. Secundum Concilium Nationale in Galliis, in quo subtractio decernitur. CLXIX
§. 58. Gallia plenæ subtractionis viam adoptat. CLXX

§. 59. Ceteri Principes Gallorum exemplum secuti. CLXXII
§. 60. Octodecim Cardinales a Benedicto deficientes. CLXXIV
§. 61. Rex cum copiis Petrum Alliacensem, & Bucicaldum Marescallum Avenionem mittit. CLXXVI
§. 62. Bucicaldus Avenionem expugnat. CLXXVIII
§. 63. Benedictus in arce obsidetur. CLXXIX
§. 64. Obsidione interrupta, aream circumvallare Buccicaldus jubetur. CLXXX
§. 65. Benedictus in suo Palatio cinctus. CLXXXII
§. 66. Subtractionis via multis non probatur. CLXXXIII
§. 67. De Simonia sub Bonifacio IX. CLXXXIV
§. 68. De Albatorum Secta. CLXXXVI
§. 69. Jubilæum Romæ ad annum 1400. celebratum. CXC
§. 70. Iter, & adventus Imperatoris Constantinopolitani in Galliis. CXCII
§. 71. Wenceslaus imperio exauctoratus. CXCV
§. 72. Rupertus Bavariæ Dux Imperator electus. CXCVI

Conspectus Librorum

LIBER CI.

§. 1. Unionis negotium electo novo Imperatore mutatum. Pag. 1.
§. 2. Bohemiæ ac Hungariæ regna a Bonifacii obedientia deficiunt. 3
§. 3. Richardus II. Angliæ Rex exauctoratus. 4
§. 4. Regnum Angliæ ab Henrico occupatum. 5
§. 5. Lollardorum hæresis. 6
§. 6. Decretum Regis Angliæ adversus Lollardos. 8

§. 7. Errores Lollardorum. 9
§. 8. Initia Joannis Huſſi. 10
§. 9. Diſſidia Gallorum ob ſubtractam obedientiam. 13
§. 10. Joannis Galeatii Mediolanenſium Ducis obitus. 15
§. 11. Bellum Tamerlanis adverſus Bajazethem. ibid.
§. 12. Benedictus ab Aurelianenſi liberatus. 17
§. 13. Idem perſonatus auffugit. 18
§. 14. Galliarum Regi ſuam liberationem perſcribit. 21
§. 15. Cardinales denuo in gratiam Papæ recepti. 22
§. 16. Concordata Papam inter & Cardinales. 23
§. 17. Duo Cardinales a Papa in Franciam miſſi. 24
§. 18. Carolus VI. de reſtituenda Benedicto obedientia paciſcitur. 26
§. 19. Obedientia Benedicto reſtituta proclamatur. 28
§. 20. Caſtella Benedicti obedientiam adoptat. 29
§. 21. Papa electiones ad beneficia tempore ſubtractionis factas confirmare renuit. 30
§. 22. Edictum Caroli VI. pro electionum confirmatione. 31
§. 23. Legatio Benedicti ad Bonifacium IX. 32
§. 24. Benedicti Oratores minus benigne excepti. 33
§. 25. Bonifacii IX. Papæ obitus. 35
§. 26. Cardinales conclave ingrediuntur pro eligendo ſucceſſore. 37
§. 27. Juramentum a Cardinalibus ante electionem præſtitum. 38
§. 28. Electio Innocentii VII. Papæ. 39
§. 29. Diſſidia inter Gibellinos & Guelfos. 40
§. 30. Pacis conditiones Papam inter & populum. 41
§. 31. Ladislaus ab Innocentio in poſſeſſione regni Neapolis confirmatus. 42
§. 32. Innocentii epiſtolæ ad Principes & ſuæ obedientiæ Prælatos. 44

§. 33. Ducis Burgundiæ obitus. 44
§. 34. Literæ Innocentii ad Academiam Parisiensem. 46
§. 35. Innocentii excusatio de repulsa Legatis Benedicti data. 47
§. 36. Benedicti Papæ iter in Italiam. 48
§. 37. Benedictus obtinet decimas de Clero Gallicano. ibid.
§. 38. Innocentius Papa undecim Cardinales creat. 50
§. 39. Romæ Gibellinorum factio. 51
§. 40. Undecim Romani a Nepote Pontificis trucidati. 52
§. 41. Innocentius Viterbium fugit. 54
§. 42. Romani factionem Ladislai dispergunt. ibid.
§. 43. Benedictus Papa in Italiam profectus, Genuam venit 55
§. 44. Innocentius Benedicto securitatis literas denegat. 56
§. 45. Discordiæ inter Aurelianensem & Burgundum Duces. 58
§. 46. Innocentius Papa Romam redux. 59
§. 47. Excommunicatio in Ladislaum & Columnenses lata. 60
§. 48. Ladislaus Pontifici reconciliatus. ibid.
§. 49. Cardinalis de Chalanto a Benedicto Legatus missus in Franciam. 61
§. 50. Ejusdem oratio. 62
§. 51. Joannes Parvus nomine universitatis respondet. 63
§. 52. Sententia Senatus contra Tolosanæ Academiæ epistolam. 64
§. 53. Alia sententia de subtrahenda obedientia. 65
§. 54. Subtractionis sententia Parisiis in Comitiis Generalibus promulgata. 66
§. 55. Oratio Petri ad boves dicti in hoc confessu habita. 68
§. 56. Oratio Guilielmi Philasterii pro Benedicto. 71
§. 57. Petrus de Alliaco pariter pro Benedicto perorat. 73

§. 58.

§. 58. Sermo Abbatis montis S. Michaelis. 74
§. 59. Refutatio a Philasterio Rhemensi Decano facta. 76
§. 60. Advocatus Generalis hisce comitiis finem imponit. 77
§. 61. Prælatorum atque Universitatis suffragia super ultimo consessus decreto. 79
§. 62. Innocentii VII. Papæ obitus. 80
§. 63. Cardinales Innocentii Conclave ingrediuntur. 81
§. 64. Opinionum varietas in hoc conclavi. 82
§. 65. Conditiones de futura Pontificis electione. 83
§. 66. Electio Angeli Corarii sub nomine Gregorii XII. 85
§. 67. Genium & mores Gregorii XII. Papæ. 86
§. 68. Epistolæ Gregorii ad Benedictum, ejusque Cardinales, Principes, Episcopos atque Academias. 87
§. 69. Subtractionis edictum ab Ecclesia Gallicana editum, & a Rege confirmatum. 89
§. 70. Epistola Benedicti ad Gregorium Papam. 90
§. 71. Literæ publicæ Galliarum Regis. 91
§. 72. Regis ad utrumque Papam legatio. 92
§. 73. Legatorum postulata a Benedicto. 94
§. 74. Benedictus cessionem suam Bulla firmare detrectat. 95
§. 75. Subtractionis edictum Benedicto indicare morantur. 96
§. 76. Adventus Oratorum Gregorii in Aula Galliæ. 97
§. 77. Epistola Caroli VI. ad Gregorium Papam. 98
§. 78. Gregorius pro perficienda unione Savonam petere renuit. 99
§. 79. Conditiones ab Oratoribus Gallis Gregorio propositæ. 101
§. 80. Legati ad Senatus Romani alloquium admissi. 103
§. 81. Iidem pariter adeunt Gregorii Cardinales. 104

§. 82. Libellus ſupplex Legatorum ad Cardinales Romanos. 106
§. 83. Excommunicatio Benedicti in omnes ceſſionis Fautores. 107
§. 84. Epiſtola Legatorum Franciæ ad Gregorium. 110
§. 85. Iter Benedicti Savonam. ibid.
§. 86. Gregorius Roma Viterbium & Senas profectus 111
§. 87. Idem Luccam venit. 112
§. 88. Cædes Ducis Aurelianenſis juſſu Burgundiæ Ducis perpetrata. 114
§. 89. Fuga Burgundi in Flandriam. 116
§. 90. Numeroſo milite cinctus Lutetiam venit. 117
§. 91. Joannis Parvi Apologia pro Duce Burgundiæ. 119
§. 92. Rex Duci delictum condonat. 120
§. 93. Condonationis tabulas revocat. 121
§. 94. Pax Regem inter & Burgundum. ibid.
§. 95. Roma a Ladislao capta. 122
§. 96. Quatuor Cardinales a Gregorio creati. 125
§. 97. Veterum Cardinalium defectio a Gregorio. 126
§. 98. Appellatio Cardinalium ad Concilium. 127
§. 99. Gregorii reſponſum ad hanc appellationem, excommunicatio Cardinalium. 129
§. 100. Bulla Benedicti adverſus Gallos. 130
§. 101. Senatus ad perlegendam Bullam a Rege convocatus. 132
§. 102. Oratio Joannis de Curtacoxa Doctoris adverſus Benedictum. 133
§. 103. Sententia hujus confeſſus. 134
§. 104. Bulla Benedicti dilacerata. 135
§. 105. Neutri parti obediendum eſſe, in Galliis proclamatur. 136
§. 106. Benedictus e portu-veneris Perpinianum abit. 137
§. 107. Cardinales a Benedicto creati. 138
§. 108. Gregorius impactam ſibi calumniam diluit. 140

§. 109.

§. 109. Idem Lucca Senas redux. 141
§. 110. Concilium ab utriusque obedientiæ Cardinalibus Pisas convocatum. ibid.
§. 111. Concilium nationale Parisiis celebratum. 142
§. 112. Hujus Concilii decreta. 143
§. 113. A nonnullis reprobata. 147
§. 114. Hujus Bullæ latores castigati. 148
§. 115. Promotio Cardinalium a Gregorio facta. 151
§. 116. Utriusque Collegii Cardinalium epistola ad Carolum. 153
§. 117. Epistola Cardinalium Gregorii ad Brunswicensem & Luneburgensem Duces. Ibid.
§. 118. Alia ad Gregorium. 154
§. 119. Literæ a Benedicti Cardinalibus ad eundem, & a toto S. Collegio ad omnes Prælatos datæ. 156
§. 120. Florentinorum & Bononiensium responsum super quæstione de convocando Concilio. ibid.
§. 121. Gregorius a suis derelictus. 158
§. 122. Iterata Cardinalium Benedicti ad eum epistola. 159
§. 123. Benedicti responsum. 160
§. 124. Concilium Perpiniani a Benedicto celebratum. 161
§. 125. Libellus supplex Benedicto a suis Prælatis oblatus. 163
§. 126. Septem Oratores ad Concilium Pisanum a Benedicto nominati. 164
§. 127. Gregorius Concil. convocare meditatur. 165
§. 128. Historia Leodiensis schismatis. 167
§. 129. Episcopus Leodiensis Trajecti obsessus. 169
§. 130. Episcopus a Burgundo adjutus; rebelles cæsi. 170
§. 131. Comitia Francofordiensia. 173
§. 132. Gregorii Nuncius ad Comitia Pisanorum Cardinalium Orator. 174
§. 133. Legatio Cæsaris ad Gregorium. 175
§. 134. Mors tragica Guidonis de Roye Remensis Archiepiscopi. 177

§. 135.

§. 135. Pisani Concilii initia. 178
§. 136. Illius solemnia; Sessio prima. 180
§. 137. Sessio II. præliminaris. 182
§. 138. Sessio III. dies utrique Papatus competitori dictus. 184
§. 139. Sessio IV. Ruperti Oratores auditi. 188
§. 140. Dubia Legatorum Ruperti in Congregatione audita. 189
§. 141. Oratorum discessus non exspectato responso. 193
§. 142. Carolus Malatesta Gregorii nomine Pisas delatus. 194
§. 143. Sessio V. Commissarii designantur. 196
§. 144. Legatorum Franciæ aliorumque adventus ad Synodum. ibid.
§. 145. Sessio VI. Saresberiensis Episcopi oratio. 198
§. 146. Sessio VII. Legatorum Ruperti dubia confutantur. 199
§. 147. Oratores a Concilio missi ad Ladislaum Regem. 200
§. 148. Sessio VIII. subtractio obedientiæ decreta. 201
§. 149. Sessio IX. subtractionis sententia. 202
§. 150. Sessio X. Commissariorum relatio. 203
§. 151. Sessio XI. Continuatio relationis. 204
§. 152. Sessio XII. solemnis decreti synodalis promulgatio. 205
§. 153. Sessio XIII. dies promulgandæ sententiæ præfixus. 206
§. 154. Sessio XV. sententia definitiva alta voce promulgata. 207
§. 155. Epistola Academiæ Parisiensis ad Synodum. 209
§. 156. Sessio XVI. Synodi continuatio de eligendo Papa. 210
§. 157. Sessio XVII. Epistola Cardinalium de electione Pontificis. 211
§. 158. Sessio XVIII. solemnis supplicatio pro eligendo Papa. 213
§. 159. Benedicti Oratores auditi. Cardinalium ingressus in Conclave. 214

§. 160.

§. 160. Alexander V. eligitur Papa. 215
§. 161. Hujus Pontificis indoles 216
§. 162. Gerſonii oratio coram Papa. 217
§. 163. Seſſio XIX. Papa Concilii Præſes. 219
§. 164. Pariſienſium lætitia ob Alexandri electionem. 221
§. 165. Coronatio Alexandri V. ibid.
§. 166. Ultimum ſupplicium Joannis de Monte acuto. 223
§. 167. Cardinalis Barenſis in Franciam legatus. 224
§. 168. Seſſio XX. Florentinorum & Senenſium Oratores auditi. ibid.
§. 169. Ludovicus Andegavenſis ab Alexandro in Neapolis jure firmatus. 226
§. 170. Seſſio XXI. Electiones canonice factæ a Papa confirmatæ. ibid.
§. 171. Cauſſa Archiepiſcopi Genuenſis a Synodo ad Papam devoluta. 228
§. 172. Seſſio ultima. Synodus ſolvitur. 229
§. 173. Concil. Piſanum a quibusdam rejectum. 230
§. 174. Rationes pro hujus Concilii auctoritate. 232
§. 175. Rupertus Romanorum Rex Alexandro V. obluctatus. 235
§. 176. Concilium a Gregorio Utini convocatum. 237
§. 177. Papatus abdicatio a Gregorio ſub certis conditionibus promiſſa. 239
§. 178. Gregorius ſub Mercatoris habitu Utino auffugit. 241
§. 179. Ejus loco Cubicularius comprehenſus. 242
§. 180. Bulla Alexandri V. in favorem Mendicantium. 244
§. 181. Querelæ Univerſitatis Pariſienſis adverſus eam. 245
§. 182. Bulla Alexandri V. adverſus Ladislaum. 248
§. 183. Alexander Piſis Piſtoriam abit. ibid.
§. 184. Bulla ejusdem de ſacro bello in Turcas. 250
§. 185. Alia adverſus Huſſitas. ibid.
§. 186. Joannes Huſſus ab Archiepiſcopo Pragenſi damnatus. 251
§. 187. Diſſidia in Univerſitate Pragenſi. 252

§. 188. Joannis Huſſi provocatio ad Gregor. XII. 254
§. 189. Wiclefi errores ab Archiepiſcopo Pragenſi proſcripti. 255

LIBER CII.

§. 1. Alexandri V. imbecillitas in regendo. 257
§. 2. Bulla Pontificis adverſus utrumque æmulum. 260
§. 3. Alexander a Romanis ad Urbem invitatus. 261
§. 4. Alexandri obitus. 262
§. 5. Joannis XXIII. electio. 263
§. 6. Dubium de electionis libertate. 265
§. 7. Genium & mores hujus Papæ. 267
§. 8. Ruperti Romanorum Regis obitus. 272
§. 9. Sigismundus in Imperatorem electus. 273
§. 10. Cardinalis quidam a Joanne XXIII. legatus in Hiſpaniam miſſus. ibid.
§. 11. Bulla Alexandri V. pro Mendicantibus a Joanne revocata. 275
§. 12. Pontificis oratores ad Univerſitatem Pariſienſem. ibid.
§. 13. Minus benigne habiti. 277
§. 14. Joannes a Romanis Papa agnitus. Ladislai clades. 278
§. 15. Sigismundi Legati ad Joannem. 279
§. 16. Martini Arragonum Regis obitus. 280
§. 17. Vincentius Ferrerius pro decidenda Martini ſucceſſione arbiter electus. 281
§. 18. Ferdinandus Rex Arragonum declaratus. 282
§. 19. Huſſitarum progreſſus in Bohemia. 283
§. 20. Huſſus coram Papa comparere recuſat. ibid.
§. 21. Tres Procuratores loco ſui a Huſſo miſſi. 284
§. 22. Huſſi cauſſa ad Papam revocata. 285
§. 23. Hieronymi Pragenſis initia. ibid.
§. 24. Joannis Galeatii Mediolanenſium Ducis cædes. 286
§. 25. Diverſæ factiones in Italia. 287
§. 26. Æqualia in Gallis diſſidia. 288
§. 27. Ingens clades Equitibus Teutonicis a Polonis illata. 290

§. 28.

§. 28. Bulla Gregorii XII. Cajetæ fulminata. 291
§. 29. Archiepiscopus Cæsar-Augustanus ab Antonio de Luna proditorie occisus. 292
§. 30. Papæ & Ludovici Andegavensis consilia ad pellendum Ladislaum. 294
§. 31. Joannes Papa Romam venit, & Bononiam Minutulo Cardinali administrandam committit. ibid.
§. 32. Pontificis ingressus solemnis in urbem. 296
§. 33. Papæ & Ludovici copiæ in aciem eductæ. 297
§. 34. Uterque exercitus Lyri fluvio divisus in occursum venit. 298
§. 35. Ludovici exercitus Lyri superata Ladislaum aggreditur. 301
§. 36. Ingens Ladislai clades. 302
§. 37. Ludovicus hac victoria uti nescius. 304
§. 38. Inglorius Ludovici in Gallias reditus. 305
§. 39. Quatuordecim Cardinales a Joanne XXIII. creati. 306
§. 40. Ladislaus ab eodem excommunicatus. 308
§. 41. Hussus a Joanne anathemate perculsus. 310
§. 42. Praga discedit. ibid.
§. 43. Sbinco ad implorandum Sigismundi auxilium in Hungariam profectus, Posonii moritur. 311
§. 44. Albicus in Archiepisc. Pragensem electus. 312
§. 45. Bullæ contra Ladislaum in Bohemia promulgatæ. 313
§. 46. Seditio Hussitarum contra Indulgentiarum Prædicatores Pragæ commota. 315
§. 47. Dissidia in Galliis Burgundum inter & Aurelianensem. 316
§. 48. Lanionum Parisiensium temeritas. 317
§. 49. Aurelianensis factio a Burgundo dispersa. 318
§. 50. Pax Polonos inter & Teutonicos restituta. 319
§. 51. Bellum sacrum a Joanne XXIII. in Mauros decretum. 320
§. 52. Concilium a Papa Romæ indictum. 321
§. 53. Tractatus pacis inter Joannem XXIII, & Ladislaum Regem. 322

§. 54. Pacis articuli. 324
§. 55. Ladislaus palam Joannis XXIII. obedientiam profeſſus. 325
§. 56. Gregorius XII. Ariminum profugus. 326
§. 57. Concilium Romæ celebratum. 327
§. 58. a Papa diſſolutum, & ad aliud tempus remiſſum. 328
§. 59. Bulla adverſus Wiclefiſtas & Huſſitas. 330
§. 60. Papa ob impoſitas exactiones Romanis exoſus. 331
§. 61. Bullæ Pontificis ad Univerſitatem Pariſienſem. 332
§. 62. Ferdinandus Rex Arragoniæ nominatus. 333
§. 63. Commentarius Hieronymi a S. Fide. 334
§. 64. Fœdus Imperatoris cum Poloniæ Rege. 336
§. 65. Henrici IV. Angliæ Regis obitus. 337
§. 66. Lollardorum tumultus in Anglia. 338
§. 67. Aurelianenſis fœdus cum Anglia. 339
§. 68. Bituricum Urbs cum ejus Duce a Rege obſeſſa. 340
§. 69. Roma a Ladislao capta. 341
§. 70. Joannes XXIII. Roma auffugiens. 343
§. 71. Tyrannis a Ladislao Romæ exercita. 344
§. 72. Cardinalis de Chalanto ad Sigismundum Legatus. 346
§. 73. Papa Bononia profugus. ibid.
§. 74. Cardinales Legati ad Sigismundum Cæſarem miſſi. 347
§. 75. Papa mutato conſilio hos Legatos plena poteſtate inſtruit. 348
§. 76. Leonardi Aretini relatio. 349
§. 77. Conſtantia a Cæſare pro Synodi loco nominata. 350
§. 78. Locus Concilii Papæ minus acceptus. 353
§. 79. Colloquium Laudæ Papam inter & Cæſarem 353
§. 80. Papa & Imperator Cremonam abeunt. ibid.
§. 81. Synodus edicto Cæſareo convocata. 355
§. 82. Literæ Sigismundi ad Gregorium & Benedictum PP. 356
§. 33. Epiſtola Cæſaris ad Galliarum Regem. 357

§. 84.

§. 84. Synodus a Joanne XXIII. per Bullam convocata. ibid.
§. 85. Subsidium charitativum Pontifici in Galliis indultum. 359
§. 86. Liberiores Pontificis ausus in Francia repressi. 360
§. 87. Conventus Universitatis Parisiensis ad sedandas Gallorum dissensiones. 361
§. 88. Oratio Gersonii coram Rege. 363
§. 89. Joannis Parvi propositiones jussu Regis discussæ. 364
§. 90. Propositiones ex libro Joannis Parvi decerptæ. 365
§. 91. Hæ propositiones ad rogum damnatæ. 372
§. 92. Sententia hæc a Rege confirmata. 373
§. 93. Sigismundi Oratores Parisiis auditi. 374
§. 94. Responsum Galliarum Regis ad oratores. 375
§. 95. Joannes Hussus iterum a Papa citatus. 376
§. 96. Hussi sermones, ac mores nefarii. 377
§. 97. Ejusdem scripta ac libri. 380
§. 98. Variæ epistolæ Joan. Papæ contra Hussum. 381
§. 99. Samogitia per Ladislaum Jagellonem ad fidem conversa. 382
§. 100. Flagellantium secta in Misnia. 384
§. 101. Joa. Parvus Mantua Bononiam profectus. 385
§. 102. Ladislai Regis obitus. 386
§. 103. Joanna Regni Neapolitani hæres. 387
§. 104. Dubia mens Joannis Papæ. 388
§. 105. Pontifex a Cardinalibus Constantiam venire rogatus. 389
§. 106. Provisiones Ioannis ante suum discessum adhibitæ. 390
§. 107. Fœdus Papæ cum Friderico Austriæ Duce. 391
§. 108. Cardinalis Vivariensis jussu Pontificis Constantiam profectus. ibid.
§. 109. Papa Bononia Constantiam pergit. 392
§. 110. Constantiam solemniter ingreditur. 393
§. 111. Solemne Concilii principium ad tertiam, demum ad quintam Nov. diem remissum. 394
§. 112. Joannes Hussus Constantiæ. 395

§. 113. Concilium die quinta Nov. inchoatum. 395
§. 114. Nonnullorum Cardinalium, & ſupremi Rhodiorum Magiſtri adventus. 396
§. 115. Specialis Congregatio ante primam Seſſionem. 397
§. 116. Supplex libellus in alia Congregatione Pontifici porrectus. 398
§. 117. Seſſio I. Concilii Conſtantienſis. 400
§. 118. Gregorii XII. inſignia Joan. juſſu dejecta. 402
§. 119. Continuatio cauſſiæ Joannis Huſſi. ibid.
§. 120. Citatur ad Papam & Cardinales. 404
§. 121. Huſſus comprehenſus. 405
§. 122. Ab Imperatore liberari juſſus. ibid.
§. 123. Sigismundus Imp. Aquisgrani coronatur. 406
§. 124. Accuſationum capita adverſus Huſſum. 407
§. 125. Commiſſarii ad inſtruenda judicii acta nominati. 408
§. 126. Adventus plurium illuſtrium Virorum ad Synodum. 409
§. 127. Libelli in quadam Congregatione particulari oblati. 410
§. 128. Alia Congregatio de unionis negotio. 411
§. 129. Adventus Legatorum Franciæ. 413
§. 130. Sigismundus Imperator Conſtantiæ. ibid.
§. 131. Congregatio præſente Sigismundo celebrata. 415
§. 132. Bellum Galliarum Regis adverſus Burgundiæ Ducem. ibid.
§. 133. Pax utrinque compoſita. 417
§. 134. Colloquium Deputatorum cum Cæſare. 418
§. 135. Bohemiæ Procerum epiſtolæ ad Sigismundum pro Huſſo. 420
§. 136. Controverſa Huſſi fuga. 421
§. 137. Oratores Petri de Luna & Angeli Corarii ad Synodum. 422
§. 138. Acceſſus Electoris Palatini ad Concilium. 423
§. 139. Oratores Gregorii ad alloquium admiſſi. 424
§. 140. Libellus a Legatis Joanni oblatus, ab eoque rejectus. 425
§. 141. Joannis anxietas in Concilio. 426

§. 142. Vota conſultiva, adverſante Papa, ſæcularibus conceſſa. 427
§. 143. Decretum de ſuffragiis in omni Seſſione publica per Nationes ferendis. 428
§. 144. D. Birgitta in Concilio Sanctorum faſtis adſcripta. 430
§. 145. Ceſſionis via a Concilii Deputatis Pontifici propoſita. 431
§. 146. Ceſſionis formula Pontificis juſſu recitata. 432
§. 147. Eadem in conſeſſu diſcuſſa. 433
§. 148. Altera a Synodo rejecta. 434
§. 149. Tertia ab Imperatore Pontifici oblata. 435
§. 150. Adventus Deputatorum Pariſienſis Academiæ. ibid.
§. 151. Ceſſionis formula a Joanne acceptata. 437
§. 152. Seſſio II. Concilii Conſtantienſis. 439
§. 153. Papa ceſſionis ſuæ Bullam expedire renuit. 440
§. 154. Ceſſio per Joannis Bullam omnibus Chriſtianis denunciata. 441
§. 155. Congregatio de novi Pontificis electione. 442
§. 156. Papa de fuga ſuſpectus. 443
§. 157. Anglorum conſilium de Papa cuſtodiæ dando. 445
§. 158. Diſſidia Imperatorem inter & Nationem Gallicam. 446
§. 159. Fuga a Joanne firmiter ſtatuta. 448
§. 160. Sigismundi conatus Papam a propoſito revocandi. 449
§. 161. Joannes Conſtantia profugus. 450
§. 162. Epiſtola Papæ ad Cæſarem Scaphuſiæ data. 451
§. 163. Joannes per Deputatos Cardinales ad reditum ſollicitatus. 452
§. 164. Oratio Gerſonii de auctoritate generalium Conciliorum ſupra Papam. 453
§. 165. Pontificis de hoc ſermone, aliisque querelæ. 454
§. 166. Archiepiſcopi Rhemenſis ad Synodum relatio de Papæ conſiliis. 455

§. 167.

§. 167. Seſſio III. Synodi continuatio decreta. 457
§. 168. Cardinalium ad Papam deputatorum relatio. 458
§. 169. Congregatio de eodem negotio habita. 459
§. 170. Pontificii Procuratoris munus a Cardinalibus Cæſari oblatum. 460
§. 171. Papa Scaphuſia Lauttenburgum profugus. 461
§. 172. Congregatio ante ſeſſionem habita. 462
§. 173. Seſſio IV. 464
§. 174. Decretum Seſſionis IV. 465
§. 175. Diverſæ opiniones circa poſtrema hujus articuli verba. ibid.
§. 176. Articulus II. 467
§. 177. Articulus III. 468
§. 178. Articulus IV. & V. 469
§. 179. Propoſitiones Cardinalium. 470
§. 180. Congregatio de omiſſis a Cardinale Florentino articulis. 471
§. 181. Concilium a Joanne per epiſtolam de ipſius fuga edoctum. 472
§. 182. Congregatio de ſecunda Pontificis fuga. ibid.
§. 183. Seſſio V. 474
§. 184. Prioris ſeſſionis decreta, aliaque approbata. 474
§. 185. Alii articuli a Poſnanienſi Epiſcopo propoſiti. 476
§. 186. Commiſſarii ad informanda Judicii acta contra Joannem Huſſum nominati. 476
§. 187. Preces ad Imperatorem de Papa Conſtantiam revocando. 477
§. 188. Eccleſiæ Gallicanæ ſententia de Decretis hujus ſeſſionis. 479
§. 189. Schelſtrati conatus ad evertendam horum Decretorum auctoritatem. 484

HISTO-



Hussi Supplicium. *Heisbig fec. A.V.*

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CI.

BONIFACIUS, PAPA IX.
RUPERTUS IN OCCIDENTE, EMANUEL IN ORIENTE IMPERATORES.

§. I.

Unionis negotium electo novo Imperatore mutatum.

Cum Imperii ſtatus tam propter Wenceslai depoſitionem, quam Ruperti electionem novam induiſſet faciem, in ipſo quoque unionis negotio nonnullæ exor- Sæcul. XV. A.C. 1401. *Gobel. Perſon. cap. 70. p. 219.*

Sæcul. XV. A. C. 1401.

exortæ sunt rerum vicissitudines. Equidem S. R. I. Electores antehac ad extinquendum schisma juncta opera cum Carolo VI adlaborare decreverant; dum vero, ut ad novam electionem possent procedere, Bonifacio Papæ supplicant, obtento illius consensu haud ultra quicquam in Pontificis præjudicium moliri voluerunt, satis se feciſſe rati, si generatim sponderent, se ad restituendam Ecclesiæ pacem, quicquid virium suarum fuerit, collaturos. Tam subita Principum mutatio ampliſſimis, quibus Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus a Germanis omnibus subtractionis viam esse adoptandam retulit, pollicitationibus minime correspondens, quo minus expectata fuit, eo vehementius Regis animum perculit. Quare ad Imperii Electores Archiepiscopum Aquensem, & Joannem Montrolium Secretarium Status ablegat, qui solido trimestri nil intentatum reliquerant, ut Germaniæ Principes ad promovendam una cum Rege cessionis viam inducerent, & Bonifacium Papam, ut juxta datam prius fidem Pontificatum abdicaret, quantum in ipsis esset, permoverent. Pergunt itaque hi Francofordiam, ubi ad prosequendum idem negotium agebantur Comitia. Verum ab Electoribus non aliud obtinere poterant responsum, quam omnino tuendam esse

Rayuald. ad hunc ann. n. 2. 3. &c.

esse Bonifacii auctoritatem, ac ideo ad procurandam Ecclesiæ unionem longe aliam quam cessionis viam excogitandam. Aliunde Rupertus, cui ad instituendam in Italiam expeditionem Bonifacii gratia plurimum necessaria erat, se nunquam in hanc abdicationis viam iturum, Pontifici spopondit. Inde ortum est, quod Patriarcha Alexandrinus ab aula exulare juberetur, quamvis forte isthæc Electorum inconstantia ejus culpæ adscribi non posset, utpote qui bona semper fide in hoc negotio proceſſit. Sæcul. XV. A.C. 1401.

§. II.

Bohemiæ & Hungariæ regna a Bonifacii obedientia deficiunt.

Verum etsi Ruperti electio Bonifacii rebus propitia accideret, ex altera tamen parte hæc ipsa non levem duorum regnorum defectionem promoverat, scilicet Bohemiæ, quia idem Papa Wenceslai depositionem assensu suo firmaverat, & Hungariæ, eoquod neglecto Sigismundo, Ladislaum Caroli de Dyrrachio filium coronari feciſſet. Postquam enim Pontifex compererat, quod illa Hungarorum factio, quæ Carolum Dyrrachinum advocabat, ceteris potentia & numero emineret, quodque Sigismundus carceri

Sæcul. XV. A.C. 1401.

mancipatus, & Ladislaus Caroli Filius in Regem ſalutatus eſſet, ipſe quoque hujus neo-electi Principis partibus acceſſit, utque illius animum ſibi devinciret, eundem Jaderæ in Dalmatia per Cardinalem Florentinum Legatum ſuum in Regem Hungariæ coronari voluit. Exinde Sigismundo a ſubditis ſuis, qui fere omnes ad officium redibant, e carceribus erepto, Ladislaus ſibi timens, ne in Hungaria eadem, qua Pater ſuus, ſorte premeretur, in Regnum ſuum reverſus eſt, nullaque mora duo etiam illi fratres, Wenceslaus, & Sigismundus, relicta Bonifacii obedientia, Benedicti obſequio adhæſerunt, hac repentina defectione præcox in Rupertum & Ladislaum Pontificis ſtudium caſtigaturi. Ita nempe tunc temporis integræ nationes & regna ſummorum Pontificum obedientias mutabant, prout privati commodi ratio, ac paſſionum viciſſitudo, quibus ipſorum Principes tenebantur, eisdem ſuadebant.

Niem. l. 2. c. 17. & 18.

Summon. cap. 2. l. 4.

§. III.

Richardus II Angliæ Regno exauctoratur.

Walſing. pag. 264.

Diſſenſiones in Anglia ſub Richardo II ob malam regni adminiſtrationem, necnon ob Joannis Gandavenſis Lancaſtriæ

ſtriæ & Thomæ Gloceſtriæ Ducum, Regis Patruorum ambitionem ſuſcitatæ, tandem devolutæ fuerunt ad Cataſtrophen ignavo huic ac voluptatibus dedito Principi non minus exitioſam, quam tragicam. Connubio enim cum Caroli V. Galliarum Regis Filia inito gravem in ſe concitavit Anglorum invidiam, qui eum velut Gallorum arbitrio ancillantem deſpiciebant, accedente inſuper novo averſionis incremento, eoquod Breſtum & Caroburgum urbes Gallis tradidiſſet. Sæcul. XV. A.C.1401. *Polyd. Virg. l.20. & 21.*

§. IV.

Henricus regnum Angliæ occupat.

Henricus Comes Derbicenſis, Lancaſtriæ Dux poſt Patris ſui obitum turbato hoc rerum ſtatu opportune uſus, Richardum ut ſolemni abdicatione regno Angliæ cederet, compulit, ac ſupremi regii Senatus auctoritate deponi juſſum, & ad perpetuos carceres damnatum, demum turri Londinenſi incluſit; Poſtridie vero die vigeſima octava Septembris Henricus hujus nominis quartus Rex ſalutatus, anno milleſimo quadringenteſimo die tertia decima Octobris regia corona donatur, qui Anglorum mortem Richardi expoſcentium favorem aucupaturus, infelicem Regem laqueo ſuffocari præcepit.

Sæcul. XV. A.C. 1401.

§. V.

Lollardorum hæreſis.

Anno poſteriore milleſimo quadringenteſimo primo non multum poſt Epiphaniæ ſolemnia Henricus Rex coacto Londini Senatu decretum edidit adverſus Lollardos. Erant ii Wiclefiſtarum propago, antehac ingentium cauſa tumultuum: pro ſuo Anteſignano quemdam agnoſcebant Anglum nomine Cobhamum, magis vero ſub nomine Joannis Odel-Caſtelli notum, qui anno milleſimo quadringenteſimo decimo ſeptimo ad finem vergente ſub obtentu rebellionis, reipſa autem ob Wicleſianam hæreſin ultimo ſupplicio affectus fuerat.

Walſing. pag. 327. & 364.

Lollardi, Dupino teſte, in Germania pro ſuo Coryphæo habebant Gualterum Lollard, qui circa Annum milleſimum trecenteſimum decimum quintum ſuos errores diſſeminare cœperat. Hi ſacramenta Eccleſiæ ſpernebant, & illius cæremonias ac præcepta deridebant, nec jejunia nec abſtinentias obſervabant, Sanctorum interceſſionem aſpernabantur & reprobos quoque Angelos aliquando ſalvandos fore profitebantur. Trithemius horum Sectariorum errores referens, teſtatur, Bohemiam æque ac Auſtriam e-

jusmo-

jusmodi hæresi infectas, & in Germania octoginta hominum millia & amplius hac errorum peste contaminata fuisse, pluresque eorum a sua pertinacia ad mortem usque dimoveri haud potuisse. Tandem etiam sese in Angliam usque diffuderunt, ubi dogmata prorsus abominanda contra Clericos & Sacramenta effutierunt. In undecimo Conciliorum tomo legimus, quod Bonifacius Papa jam Anno supra millesimum trecentesimum nonagesimo sexto datis literis Richardum Regem obtestatus sit, ut Prælatis Ecclesiæ contra Lollardos opem ferret, eosque, qui hæresis convincerentur, condemnaret. Vero satis simile est, intuitu hujus Pontificis Epistolæ eodem adhuc anno Londinense coactum fuisse Concilium, in quo octodecim ex Trialogo Wiclefi damnabantur articuli, quorum aliqui concernebant Eucharistiam, infantes sine baptismo decedentes, summum Pontificem, & Episcopos; alii vero Matrimonium, oblationes, decimas, ac bona ecclesiastica. Thomas Arundelius Cantuariensis Archiepiscopus a Bonifacio in hac eadem Sede collocatus, & a Richardo II Angliæ Cancellarii munere decoratus, articulos istos proscripsit.

Sæcul. XV. A.C. 1401.

Labbæus Coll. Concil. tom. XI. p. 209.

Sæcul. XV. A.C. 1401.

§. VI.

Decretum Regis Angliæ contra Lollardos.

Cum vero Lollardi, insuperhabita hac condemnationis sententia, suas hæreses ubique locorum disseminare pergerent, Henricus Rex eodem hoc anno contra eos illud condidit decretum, quod paulo ante commemoravimus. In hoc Decreto sancitum est, ut ubicunque perversam suam doctrinam tueri deprehensi fuissent, caperentur, Episcopo Diœcesano tradendi; si vero in defendendis suis opinionibus contumaces persisterent, e gradu suo dejecti, a judice sæculari puniendi darentur. Walsinghamus in vita Henrici IV Angliæ Regis testatum reliquit, hanc legem executioni mandatam fuisse in quodam ex his sectariis simplici opifice, qui scandalosam hanc tenebat propositionem, scilicet, quod Corpus Christi realiter in Eucharistia non existat, sed id, quod in ea sumitur, nil nisi nescio quid inanimatum sit, minus æstimandum, quam bufonem quemdam aut araneam, cum ista saltem forent animata. Postquam igitur blasphemus iste judicio sæculari subjectus fuerat, dolio ferventis olei pleno injectus misere periit, errori suo pertinaciter immortuus. Jam percipiamus

Walsing. p. 339.

piamus articulos, quos idem Scriptor in allegato opere Lollardis attribuit. Sæcul. XV. A.C. 1401.

§. VII.

Lollardorum errores.

Docebant Lollardi, Sacramenta eo modo, quo in Eccleſia Romana adminiſtrantur, nil niſi mortua ſigna eſſe, nulliusque valoris; Virginitatem & Sacerdotum cælibatum non eſſe ſtatus a Deo approbatos, ac proin, Virgines, Sacerdotes, Religioſos ſi ſalutem conſequi velint, vel ad nuptias, vel ſaltem ad nubendi propoſitum teneri; ſecus agentes, fore homicidas, utpote ſacrum ſemen deſtruentes, unde altera conſurgeret Trinitas, atque numerum ſalvandorum, aut damnandorum interrumpentes; Solam vero voluntatem, qua Vir & mulier invicem nubere ſtatuerent, ad actuale matrimonium jam ſufficere, nec aliam Eccleſiæ obedientiam eſſe præſtandam; ex quo conſequeretur, numerum conjugatorum longe majorem dici debere, quam crederetur; Eccleſiam eſſe ſynagogam Sathanæ, hancque ob cauſam templa ad adorandum Deum ab eis non frequentari, nec ullum recipi Sacramentum, præcipue S. Euchariſtiæ, quæ, juxta ipſos, nil niſi fruſtum panis mortui eſſet, turris ac pinaculum Anti-Chriſti; Si haberent

Sæcul. XV. A. C. 1401.

puerum recens natum, non esse baptizandum per manus Sacerdotum, ne infans iste, utpote altera Trinitas, & nullo coinquinatus peccato, pejor evaderet, si deveniret in Presbyterorum manus; Nullam diem, nequidem ipsam Dominicam ceteris magis sanctam esse; In ordine ad laborandum, manducandum aut bibendum omnes dies æqualis reputari libertatis; Post hanc vitam nullum dari purgatorium; Ad expianda peccata nullam aliam requiri pœnitentiam, quam ut homines crimina desererent, & de iis pœniterent.

§. VIII.

Initia Joannis Hussi.

Trith. chron. an. 1401. Cochl. Hist. Hussit.

Errores isti in Bohemiam usque penetrantes, opitulante Joanne Husso, cujus historiam impræsentiarum exordimur, in hoc regno non modicos nacti sunt progressus. Joannes Hussus, alias Hussinetz, a quodam Bohemiæ oppido, in quo natus erat, nomen traxit, nam nomen suum a nativitatis loco mutuare, illius ævi consuetudo ferebat. Illum majore ingenii subtilitate, quam oris eloquentia præditum fuisse referunt. Ast morum suorum severitas, vitæ rigor, facies pallida atque extenuata, comitasque sermonis non paucos ei conciliavit secta-

Sæcul. XV. A.C.1401.

sectatores. Quia vero nil magis Viri indolem detegit, quam ipsius scripta; hinc vel maxime etiam ex libris Joannis Hussi proditur immanis illius rabies adversus Ecclesiam, & generatim contra omnes Clericos, præcipue contra Judices ecclesiasticos, quamvis cæteroquin sua dictione ingentem mentis simplicitatem, & cordis candorem simulasset. Hic, cum non mediocri polleret ingenii acie, & terso ac expedito uteretur sermone, in Academia Pragensi, quæ tunc temporis florentissima erat, sua mentis perspicacitate magnum sibi nomen peperit. Exorta enim in hac Universitate quadam dissensione, Wenceslaus Rex contra Teutones Doctores decretum edidit, quo in patriam reverti juberentur, qua rerum vicissitudine non parum Joannis Hussi existimatio augebatur. Quare omnes honorum gradus conscendit, si Doctoratus Lauream exceperis; hac enim unquam eum insignitum fuisse haud constat. Creatus fuerat artium liberalium Magister & anno millesimo trecentesimo nonagesimo tertio Theologiæ Baccalaureus; anno vero sequenti Decanus facultatis Philosophicæ, demum anno salutis millesimo quadringentesimo nono Rector magnificus salutatur. Ipso anno millesimo quadringentesimo Sophiæ de Bavaria, Bohemorum Reginæ & Wenceslai Conjugi

Æn. Sylv. hist. Bohem. cap. 35. & epist. 130.

Sæcul. XV. A.C. 1401.

Conjugi a confeſſionibus fuit, apud quam, ut fertur, multum auctoritate ac gratia valebat. Pauco poſt tempore prædives quidam Cives Pragenſis ibidem Eccleſiam ſub nomine Bethleem ſuo ære condidit, cujus Parochus deſtinabatur Joannes Huſſus, qui ſuis ſermonibus, & catecheticis inſtructionibus ad vulgus habitis in lingua Bohema (quæ a Sclavonica derivatur) vel maxime ſe commendabat. In dicta Eccleſia contra Indulgentias libere ad populum dicere cœperat, illo fultus decreto, quo Sigismundus, qui ſe tunc Bohemiæ Rectorem dicebat, ac contra Bonifacium Ladislai fautorem non modice exacerbatus erat, quascunque demum pecunias in regno colligere, ac tranſmittere Romam prohibuit. Joannes Huſſus hac Regis indignatione in rem ſuam uti haud neglexit, cui etiam minime incognitum erat, Wenceslaum propter ſui depoſitionem conſenſu Pontificis firmatam, Bonifacio infenſum, haud indignanti animo ſacrilegos ejusmodi ſermones laturum; acceſſit quoque funeſtum inter Pontifices ſchiſma, quod Huſſo talia impune effutiendi licentiam tribuebat.

§. IX.

Sæcul. XV.
A.C. 1402.

§. IX.

Dissidia Gallorum ob subtractam obedientiam.

Dum interea isthæc fierent in Bohemia, tota Gallia partim ob subtractam Benedicto obedientiam, partim propter Avenionensem illius captivitatem jam quartum in annum protractam, gravibus agitabatur tumultibus. Gallorum enim quamplurimi in contraria scindebantur studia, nonnullis utrumque palam criminantibns, aliis vero id ipsum approbantibus; quos inter postremos præcipui erant Bituricensis, & Burgundus Duces, & potissima Cleri Gallicani pars, nec non Parisiensis Universitatis quam plurimi. Ex adverso Aurelianensis Dux, Arragoniæ Legati, Academia Tolosana, complures Clerici, atque ipsius quoque Parisiensis Universitatis nonnulli omnem suam impendebant operam, auctoritatemque, ut Pontifex e carcere liber dimitteretur, & subtracta eidem obedientia redderetur, Omnes istæ animorum dissensiones acerrima inter Principes excitabant jurgia, utpote inter quos jam ex aliis titulis haud magna adeo vigebat concordia. Academia Parisiensis publice proclamari jussit, quod quicunque subtractam obedientiam damnaret, schismatis

Monach. S. Dionys. Ursin. hist. Carol. VI.

Sæcul. XV. A.C.1402.

tis fautor esset. Ex altera parte, Petrus Rabanus S. Pontii Episcopus, ut Ducis Aurelianensis, & Arragonensium Legatorum gratiam aucuparetur, palam profitebatur, pessime actum fuisse, quod Pontifex carceri datus esset, addens, si Benedictus fatis cederet, præsentes Cardinales alium Pontificem eligendi jus amisisse, eoquod proprium suum Dominum in carcerem detrudentes, criminis læsæ Majestatis se reos feciissent. Plebs quoque, prout semper assolet, ad plurium, & potentiorum partes accessit.

Igitur Rex Galliæ animos circa subtractæ obedientiæ articulum tantopere divisos comperiens, Præsulum, regnique Procerum coegit comitia, in quibus tandem maturiore deliberatione totum decideretur negotium. Aurelianensis Dux Papam pristinæ libertati restituendum omni contentione postulabat, quinimo se velle propria sua manu liberare Pontificem, Bituricum Duce, ipsoque Rege præsentibus jactitabat, quem propterea Bituricensis durioribus verbis excepit, & juncto cum fratre suo Burgundiæ Duce consilio excubitorum stationes duplicato præsidio firmari jussit, ut eo arctius omne epistolarum commercium, & cujuscunque hominis alloquium Benedicto intercluderetur.

§. X.

Sæcul. XV.
A. C. 1402.

§. X.

Joannis Galeatii Mediolanenſium Ducis obitus.

Eodem hoc anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, Joannes Galeatius Mediolani Dux in medio ſummæ proſperitatis curſu vitæ ſuæ ſtadium abſolvit. Tota Italia morte ipſius formidabili hoſte liberata tripudiabat. Ditiones ejus, quia inter tres filios ſuos (quorum unus erat ſpurius) eas diviſerat, in partes diſſectæ, tandem in prædam ceſſerunt iis, qui ceteris potentiores erant. Bonifacius hac opportunitate temporis uſus plures urbes, uti Bononiam, Peruſium, & magnam Mediolanenſis Ducatus partem recuperavit, flocci pendens Ruperti Imperatoris prætenſiones, qui ſtatus iſtos atque Provincias ſibi jure competere, & a Joanne Galeatio nonniſi injuſte ab Imperio avulſas contendebat.

Leonard. Aret. l. 12.

Poggius lib. 4.

§. XI.

Bellum Tamerlanis adverſus Bajazetem.

In Oriente Bajazetes, poſtquam decennali obſidione Conſtantinopolitanam urbem cinxerat, aut potius exercitu ſuo circum-

Leunclav. lib. 7.

Sæcul. XV. A.C. 1403.

circumseptam incluserat, tandem a cæptis desistere cogebatur, ut vires suas Tamerlani Mogolis seu Tartariæ Imperatori objiceret. Genuinum hujus nomen erat *Themir-lanc*, seu *Timur-lenc*, quod in Persico idiomate claudum significat. Regnavit sex & triginta annos, quibus Syriam, Chorasan, Indiam & Persiam suis subjiciebat armis, & Anatoliam usque progressus, Sebastiam Turcis eripuit. Bajazethes victricibus ejusdem signis metam positurus, illum bello aggredi statuit. Jamque uterque exercitus Anguriæ, quæ olim Ancyra dicebatur, sibi occurrunt, ibidemque die vigesima octava Julii anno millesimo quadringentesimo secundo magna utrinque victoriæ ac mutuæ cædis aviditate dimicant. Tandem Bajazethes immani clade affectus capitur, & Tamerlanis jussu ferreæ caveæ includitur, cujus clathris caput violentis adeo ictibus allisit, ut repetita ejusdem percussio octavo captivitatis Mense Hegiræ anno octingentesimo quarto desperabundam Imperatoris animam extruserit. Silet hoc mortis genus Chalcondyles: Alius etiam quidam Persa, Auctor coævus paucis abhinc annis Gallico sermoni redditus narrat, Bajazethem apoplexia tactum obiisse die vigesima tertia Martii anno millesimo quadringentesimo decimo tertio.

Chalcondyl. lib. 1.

Leunclav. lib. 9.

Chalcondyl. lib. 3.

Petit a Cruce hist. Tamerl.

§. XII.

Sæcul. XV. A. C. 1403.

§. XII.

Benedictus ab Aurelianenſi liberatus.

Equidem Dux Aurelianenſis nil magis in votis habebat, quam ſubtractam Benedicto obedientiam reſtitui; Aſt cum tam ob virium ſuarum impotentiam, quam ob Normannorum excubias a Bituricenſi & Burgundo Ducibus auctas, aperta vi Benedictum libertati aſſerere deſperaret, rem dolo perficere tentat, hunc in finem opera uſus cujusdam Nobilis Normanni, Robineti ſeu Roberti Braquemontii, qui in quadam exigua civitate prope Avenionem præſidiariis imperabat Gallorum copiis. Hunc omnes Aurelianenſis partibus addicti (quorum haud parvus inter Aulicos erat numerus) ſollicitant, illumque facili negotio inducunt, ut ſummi cujusdam Pontificis a ſe liberati gloria ſtimulatus tantum facinus aggredi non dubitaverit. Braquemontio liberrimus ad Palatium patebat acceſſus, illucque ſæpius ſe contulit, ſuos populares, qui ejus perfidiam minime ſuſpectam habebant, inviſurus. Tandem animi ſui propoſitum, & demandatam ſibi a Duce provinciam Pontifici exponit. Benedictus etiam ab Amicis ſuis, quos

Juven. Urſin. hiſt. Carol VI. pag. 142.

Sæcul. XV. A. C. 1403.

ex Aulicis numerabat, de mediis ad ipsum liberandum excogitatis, necnon de probata Braquemontii fide satis edoctus, totum se ejus dexteritati concredidit. Qualiter autem Braquemontius rem aggressus sit, percipiamus. Opportune quingentos circiter collegit equites, partim ex suis præsidiariis, partim ex Aragonensibus copiis, aliisque ab Aurelianensi Duce clam sibi submissis; hisce, ut ad diem duodecimam Martii convenirent, haud procul Avenione constitutum edicit locum; nonnulli quoque Nobiles Viri vario sub prætextu ad dictam urbem confluentes quamdam domum occupant, ad quam Pontifex, simul ac Palatio auffugisset, sese reciperet.

§. XIII.

Benedictus personatus custodia liberatur.

Juven. ibid.

His omnibus ita dispositis, ac destinato die tandem appropinquante Braquemontius more suo Palatium adibat, totoque pomeridiano tempore ibidem moratus serotinas expectabat horas, quo cunctis, qui ex civitate cænaturis efferebant cibaria, liberior ingressus ac egressus permittebatur. Tunc ipse cum aliis per hanc portam, obsistente nullo, urbe egressus

Monach. S. Dionys. lib. 22. c. 11.

sus est, quem Pontifex peregrina veste indutus, & quodam Braquemontii famulorum pallio, ac si ex eorum numero esset, tectus presso pede sequebatur. Inde Benedictus abducitur in domum, in qua Nobiles Galli anxie illius præstolabantur adventum; quo viso omnes ad pedes ejus provoluti, eosdem exosculantur & medium inter se incedentem extra urbis mœnia ducunt ad locum quingentis militibus antea designatum, qui eum ad castrum-reginaldi, parvam quamdam civitatem exiguo intervallo Avenione dissitam comitabantur. Dicitur autem Benedictus nihil eorum, quæ in Palatio habebat, secum abstuliſſe, si exceperis Regis Galliæ literas, quibus se nunquam subtractioni ab ejus obedientia consensisse testabatur, & Corpus Christi Domini in quadam pixide asservatum, tunc quoque antiquam servare volens summorum Pontificum consuetudinem, quibus iter facientibus semper sanctissimum Sacramentum præferri solebat. Monachus Sancti Dionysii, cujus historiam Laborius idiomate Gallico donavit, quoddam subjungit factum, ex quo Benedicti indoles, ingeniique acies elucet. Cum enim toto captivitatis suæ tempore barbam prolixius aleret, parum anxius, quod inde criminis argueretur, etsi id S. Canonibus contrarium esset, tan-

Sæcul XV. A.C. 1403.

Juven. Ursin. Hist. Carol VI. pag. 153.

Monach. S. Dionys. l. cit. p. 461.

Sæcul. XV. A.C. 1403. dem barbitonsorem, qui eum raderet, vocari jussum, qua domo esset, interrogat. Hic cum Picardum patriâ se esse diceret, Papa reposuit; ergo Normannos vere mendaces esse oportet, utpote qui non semel meam barbam se tonsuros jurarunt (*). Solo igitur hoc faceto sale de Normannis vindictam sumere voluit; quamvis ab eis sat indigne habitus fuisset; quo facto illius animum ab ulciscendi cupidine alieniſſimum fuisse perspicitur.

Itaque Papa resumptis Pontificalibus insignibus, totius Auctoritatis suæ plenitudine uti cæpit, quam quoque ad mortem usque conservare firmiter statuebat, quicquid demum ad occultandos veros animi sui sensus in contrarium dixerit. Post hæc militibus, qui ad palatium Avenionense antehac excubias agebant, amotis, Cives, qui olim Pontificem adeo acerbe exagitabant, nunc ut eos in gratiam suam denuo recipere dignaretur, supplices

(*) Ti foglio far la barba, *apud Italos tritum est proverbium, quod idem significat, ac apud Latinos:* te supplantabo, naso adunco suspendam, insidias struam, in tui ruinam conspirabo &c. *cum ergo a Normanno Benedictus invitis etiam Normannis, qui sæpius ei mala minitabantur, ereptus fuerit, per jocum eos mendaces fuisse, nec sibi barbam rasisse dixit.*

plices rogarunt, quod & ipse præterito- Sæcul. XV.
rum immemor, benevole promisit, hoc A.C.1403.
tamen adjecto pacto, ut Magistratus, cujus fidelitatem semper sibi suspectam habebat, Palatii muros tormentorum ictibus eversos repararet, quod Papa postmodum numeroso milite ex Arragonensibus copiis selecto munivit.

§. XIV.

Galliarum Regi datis literis suam fugam nuntiat.

Post hæc Benedictus Regi Franciæ data Epistola suam e carcere ereptionem significat, simulque protestatur, se nunc utpote libertati restitutum, pacis ac unionis negotium, prout bono ac quieti Ecclesiæ magis expedire videretur, securius ac decentius, Deo opitulante, prosecuturum; si forte Nobiles suis dictis fidem adhibere dubitarent, quorumdam siniſtris malevolorum narrationibus seducti; eos se obsecrare atque hortari, ut ejusmodi detractoribus faciles non præberent aures; se enim nunquam suo defuturum officio, quominus fideliter suis staret promissis. Pariter ad Principes & Parisiensem Universitatem speciosas expedivit Epistolas, in quibus quanto studio pro pace Ecclesiæ arderet, exponit, *Hist. Univers. Paris. tom. IV.*

Sæcul. XV. A.C. 1403.

tandemque obedientiam sibi debitam restitui, & subtractioni postulat abrenuntiari.

§. XV.

Cardinales denuo in gratiam recepti.

Cardinales, qui ab eo defecerant, pariter in ejus gratiam redire allaborarunt; A principio repulsam simulabat Pontifex, postquam vero ea, quæ antehac egerant, ipsis acerbiore objurgatione exprobraverat, eosque ad majorem fidelitatem imposterum sibi exhibendam adhortatus fuerat, plenam eis concessit delicti gratiam, Bullamque abolevit, qua sua dignitate exutos, ad eligendum Papam, si occasio ferret, incapaces declaraverat, intentato etiam contra eos anathematis fulmine. Hi ergo vigesima nona Aprilis Papam adeunt, & in genua provoluti supplices veniam deprecantur, quos Benedictus in reconciliati animi testimonium mensæ suæ adhibet: Ast necdum omnis eorum disparuit timor, nam nil nisi militiæ Præfectos prandio accumbere, totamque aulam armatis plenam conspicientes, cum tamen potius Antistites, aliosque Ministros Ecclesiasticos interventuros sperarent, se certo certius omnes truci-

trucidandos fore pertimescebant. Tandem vero omnem exuunt metum, dum se a Pontifice admodum benevole haberi conspiciunt, utpote qui ipsus tunc de propriæ suæ Personæ securitate non parum sollicitus, nunquam sibi satis tutus videbatur, quamvis valida militum manus ad Ecclesiam euntem comitaretur, & usque ad ipsum Altare conduceret. Vero simile est, quatuor duntaxat præsentes fuisse Cardinales, scilicet Guidonem Malesinum, Cardinalem tituli S. Crucis, alias dictum Cardinalem Pictavien-sem, quod hujus Ecclesiæ Episcopus esset; Nicolaum Prancatium Cardinalem Albensem, Amadæum de Salutiis, sancti Marci Cardinalem, & Petrum Cardinalem S. Angeli. Hisce quatuor Cardinalibus illi, qui Avenione manserant, nomine suo rei gerendæ auctoritatem relinquebant. Sæcul. XV. A.C. 1403.

§. XVI.

Concordata Pontificem inter & Cardinales.

Facta hac reconciliatione Papa & Cardinales omnibus adhibitis solemnitatibus mutua inter se inierunt pacta, comprehensis quoque Avenionensis Urbis Civibus atque inquilinis, quorum o-

Sæcul. XV. A.C. 1403.

mnium mediatorem agebat Ludovicus Avenionenſis, eaque præſentibus Cardinale Pampilonenſi, Jacobo de Prato Imperatoris Ruperti propinquo, nec non Regis Arragoniæ & Ducis Aurelianenſis Oratoribus firma rataque habita ſunt. Conventionis vero capita erant. I. Papa Cardinalibus & Avenionenſibus Civibus generalem offenſionum veniam atque oblivionem concedat. II. Cuncta in priſtinum, quo ante ſubtractionem obedientiæ erant, ſtatum reſtituantur. III. Cardinales, ejusdemque Civitatis incolæ Pontifici obedientiam præſtent. IV. Cardinales omnem ſuam auctoritatem æque ac poteſtatem impendant, ut Benedicto in Galliis quoque reſtituatur obedientia, V. tandem, Papa his adimpletis, ex omnibus, qui ſuæ ſubſunt obedientiæ, cogat Concilium.

Marten. Anecd. tom 2 pag. 1266.

§. XVII.

Duo Cardinales a Papa in Franciam miſſi.

Juven. Urſin. Hiſt. Carol. VI. pag. 153.

EOdem tempore Papa in Gallias ablegavit Cardinalem Pictavienſem & Salutianum, qui jam a ſexto Menſe & amplius denuo adhærebant Pontifici. His datum eſt negotium, ut obedientiæ reſtitutionem omnibus viribus procurarent;

rent; sed in hac legatione non modica experti sunt obstacula, donec tandem altercationibus sat diutinis finem imposuisset versutia Aureliæ Ducis, qui Carolum VI eo induxerat, ut Benedicto, quicquid ab eo exigeret, lubens præstaret. Die quinta decima Maji ambo isti Cardinales in Palatio S. Pauli fuerunt admissi ad Regis alloquium, cui etiam intervenerant Bituricensis, Burgundus, atque Aurelianensis Duces cum pluribus aliis primæ Nobilitatis Viris. Cardinalis Pictavienſis ceterorum nomine perorans, sermonem suum absolvit, suppliciter exorando Regem, ut ad obsequium Benedicti rediret: postea vero maturiori deliberationi totum relinquens negotium unacum suo Collega abscessit. Non mediocris animorum ac sententiarum varietas partes dividebat. Aurelianensis Dux, qui pro restituenda Pontificis obedientia sententiam dixit, unacum pluribus aliis Doctoribus, Aurelianensi, Montis-pessulana, & Tolosana Universitatibus opinioni suæ adstipulantem habuit Petrum de Alliaco Cameracensem Episcopum. Horum judicio sese opponebant Bituricensis ac Burgundus Duces, potior Parisiensis Academiæ pars, Simon Cramaudus Alexandriæ Patriarcha, & Petrus de Turejo, S. Susannæ Cardinalis. Nihilo secius Aurelianensis Dux, Bitu-

Sæcul. XV. A.C. 1403.

Monach. S. Dionys. l. 23. cap. 4.

Sæcul. XV. A.C.1403.

ricum ac Burgundiæ Ducum necnon & Præſulum Benedicto adverſantium abſentia in optatum propoſiti ſui ſucceſſum uti non deſtitit; nam Regis animum repetitis morbi ſui aſſultibus vehementer debilitatum dexterrime in ſuas partes flectere ſcivit, cum eidem ferme innumeras recitaret centurias omnium eorum, qui Benedicto obedientiam reſtituendam eſſe judicarent, utque dictis ſuis plenam conciliaret fidem, tam ponderoſis Regem adorſus eſt argumentis, ut Monarcha ſe Benedictum pro legitimo Pontifice veneraturum jurejurando promitteret, & ad conteſtandam cordis ſui lætitiam ipſus Hymnum Ambroſianum inchoaret, quem dein totus adſtantium cœtus cantando profecutus eſt.

§. XVIII.

Carolus VI de reſtituenda Benedicto obedientia paciſcitur.

Vix ad aures Bituricum, ac Burgundiæ Ducum pervenerat iſthæc rerum mutatio, mox Regem illi accedunt, eidem factum hoc exprobraturi. Verum eorum animos facile placaverat, illis declarans, Papam juſta, ac æquiſſima fovere conſilia, & toti Franciæ adeo proficua ſpopondiſſe, ut diutius eidem obedientiam detre-

detrectare nefas foret. His addidit Rex, Ducem Aurelianenſem in ſe recepiſſe, quod velit in caſu mortis, ceſſionis, vel depoſitionis æmuli ſui Benedictum inducere ad acceptandam, ſuoque ſigillo firmandam ceſſionis viam, necnon ad omnes contra abdicationis medium factas interceſſiones, plene revocandas; inſuper quod ſua auctoritate Dux perſuaſurus eſſet Benedicto, ut onera, quibus Eccleſia Gallicana gravaretur, minueret, & Beneficiorum collationes, ac promotiones, quæ durante ſubtractæ obedientiæ tempore ab Ordinariis factæ fuiſſent, ratas haberet, & in ſua obedientia Concilium Generale, quamprimum occaſio tulerit, celebraturus eſſet. Equidem ſat ſpecioſæ erant omnes iſtæ promiſſiones: aſt fides earum valde dubia, cum aliunde Benedictus ſemper ſolitus fuerit, quicquid peteretur, ultro promittere, nunquam vero promiſſis ſtare. Nihilominus omnia iſta promiſſa, licet mere illuſoria, Bituricenſis ac Burgundi Ducum animos captivarunt, ipſa quoque Pariſienſis Univerſitas horum ſequebatur exemplum, excepta Normannorum Natione, ſuum aſſenſum præbere diu ac pertinaciter recuſante, quæ tamen & ipſa tractu temporis ſeſe Gallis atque Picardis adjunxit, ſola Natione Germanica neutras ad partes inclinante.

Sæcul. XV. A.C. 1403.

Monach. S. Dionyſ. l. 23. cap. 4. n. 5.

§. XIX.

Sæcul. XV.
A. C. 1403.

§. XIX.

Proclamatur reſtitutio Obedientiæ Benedicto præſtandæ.

Omnium ferme animis in eandem ſententiam abeuntibus, Rex Duces ad ſuum Palatium ſancti Pauli convocari jubet, quibus circa undecimam diei horam advenientibus equum conſcendit, Ducumque, & plurimorum Epiſcoporum ac Abbatum comitatu ſtipatus ad Eccleſiam Cathedralem pergit. Ibidem Re divina per Pictavienſem Cardinalem ſolemni ritu peracta, Petrus de Alliaco Cameracenſis Epiſcopus prolixum habuit ſermonem, in quo Regis nomine obedientiam Benedicto reſtitutam proclamavit, declaravitque, promiſſis a Papa in gratiam Franciæ Aurelianenſi factis Regem fuiſſe permotum, ut ei obedientiam reſtitueret. Legit poſtea Epiſcopus promiſſorum articulos. Eadem die, ſcilicet trigeſima Maji edictum promulgatum eſt, quo Rex omnibus ſuis ſubditis Benedicto obſequium præſtari præcepit. Ut vero in Pariſienſi quoque Univerſitate mutua pax & concordia adlectis denuo omnibus Academiæ membris, ex integro reſtitueretur, opportunum fore judicatum fuit, ſi & ipſi quoque FF. Prædica-

dicatores Universitati iterum associaren- Sæcul. XV.
tur, & abolita præteritarum dissensio- A.C.1403.
num memoria in omnem jurium suorum, ac privilegiorum possessionem revocarentur, restituta eisdem plena omnibus officii sui partibus vacandi libertate.

§. XX.

Castella Benedicti obedientiam adoptat.

Castellani, qui antehac Gallorum exem- *Monach.*
plo a Benedicti obedientia defece- *S. Dionys.*
rant, mox illos in obsequium ejusdem *l.23. cap. 6.*
redeuntes imitati sunt; tantaque ab ini- *Mariana*
tio apud eos erat Benedicti auctoritas, ut *l. 19. cap. 11.*
illis omnino conniventibus Papa Archiepiscopatum Toletanum, qui redituum abundantia ceteros in Christiano orbe facile superat, Nepoti suo Petro de Luna conferret, paucisque post diebus in quietam illius possessionem eundem introduceret. Galli vero, quod in hoc Pontifice non mediocriter arguerent, brevi habebant; nullum enim ex omnibus, quos Duci Aurelianensi promiserat Benedictus, implevit articulum. Nihilo secius Dux Pontificem sine dolo procedere ratus, ipsum Regem induxit, ut ad eum solemnem mitteret Legationem; pro qua seligebantur Philippus Vilettus, Abbas

sancti

Sæcul. XV. A.C. 1403.

ſancti Dionyſii, & Archi-Diaconus Atrebatenſis. Qui anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo octavo ad hanc Abbatiam ab ipſis Monachis, obtento Regis aſſenſu, electus fuerat, a Petro autem Orgemontio Pariſienſi Epiſcopo Pontificis, a cujus fide tunc temporis Gallia receſſerat, vices ſupplente confirmatus. In ejusmodi enim caſu ad Epiſcopum Diœceſanum electionis confirmandæ jura devolvi, celebriores deciderunt Canonum Doctores. Benedictus quidem ambos hoſce Legatos a principio perbenigne recepit; verum exiguo poſt tempore Abbatis electionem carpere, ac Virum tanquam vi intruſum objurgare cæpit, utque de novo eligeretur, omnino voluit.

§. XXI.

Papa electiones ad beneficia tempore ſubtractionis factas confirmare renuit.

Hæc Pontificis cavillatio haud parum Regis, atque Aulicorum exaſperavit animos. Interim Dux Aurelianenſis, cui ſane Pontifex ſummis titulis obſtrictus erat, Beloquadra, ubi tunc morabatur, die tertia Octobris Avenionem abiit, Benedictum ſalutaturus, ſed irrito colloquii ſucceſſu; nam ut beneficiorum collationes

nes tempore subtractionis factas confirmaret, nullis precibus exorari potuit. Universitas quoque Pontificem de promissi sui fide ea, qua par est, reverentia admonuit, & celebris Joannes Gersonius prima die hujus anni Tarasconæ coram illo hanc in rem sermonem habuit, sed Papa ad omnia ista inflexibilis permansit. Tandem etiam duo alii Oratores, Archiepiscopus Aquensis, & Episcopus Cameracensis, qui illum ad fidem exsolvendam urgerent, ablegati sunt: ast Pontifex hac in re nullis monitionibus unquam cessit. Sæcul. XV. A.C.1403.

§. XXII.

Edictum Caroli VI pro Electionum confirmatione.

Rex Galliæ comperta Pontificis pertinacia, qui non solum sui promissi immemor, sed etiam cuncta, quæ durante subtractione gesta sunt, irrita pronuntiare statuebat, ad finem hujus anni promulgat edictum, quo declarat, omnes electiones subtractæ obedientiæ tempore factas, omnino in suo vigore subsistere, ad Beneficia, dignitates, aut Prælaturas promotos in pacifica eorumdem possessione permanere, illisque sine omni obstaculo frui posse, nec Pontifici, nec ejus quæsto- *Hist. Univers. Paris. tom. 5. pag. 67. & seq.*

Sæcul. XV. A.C. 1403.

quæſtoribus, aut Inquiſitoribus quicquam ſolvere, nec alias pecunias ad ærarium Pontificis ratione beneficiorum vacantium, ſpoliorum, procurationum, decimarum, aut aliorum onerum, cujuscunque nominis, ac naturæ ſorent, pendere obſtrictos eſſe; Denique ſeveriſſime prohibet cunctis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Capitulis, Conventibus, aliisque Perſonis Eccleſiaſticis in dignitate conſtitutis, ne præſenti huic mandato quacunque ratione contravenirent, illud infringerent, ei derogarent, aut violare præſumerent. Hoc edictum prodiit die decima nona Decembris currente hoc anno, quod eo majorem Pontifici indignationem creavit, quo ampliori gaudio a Clero Gallicano exceptum eſt.

§. XXIII.

Legatio Benedicti ad Bonifacium IX.

Niem. de ſchiſm. l. 2. cap. 23.

Juven. Urſin. pag. 164.

Nihilo ſecius tamen Benedictus ad procurandam Eccleſiæ pacem pronum ſemper ſimulabat animum, atque ut eo certius pro redintegranda unione opportuna fovere conſilia crederetur, ad Bonifacium IX tunc Romæ reſidentem Epiſcopos, ſancti Pontii, Maleſinum, & Ilerdenſem una cum aliis ablegat, eo fine (ut

(ut inquiebat ipse & prout re ipsa Gallis persuasum erat) ut Bonifacium ad pacem Ecclesiæ Pontificatus cessione restituendam inducere conarentur. Oratores isti anno millesimo quadringentesimo quarto mense Septembri ad finem vergente Romam ingrediuntur. Non erat, qui certissimum non haberet, hisce Legatis unice injunctum esse, ut Bonifacio abdicationis viam proponerent, cum & ipse Benedictus se vicissim Pontificiæ dignitati renuntiaturum ubique sparsisset. Verum, quo pacto ipsa ejus perfidia in proprium caput reciderit, totumque suum negotium ad pessimam reduxerit conditionem, mox palam nobis fiet. Sæcul. XV. A.C. 1404.

§. XXIV.

Benedicti oratores minus benigne excepti.

Postquam Benedicti Oratores Romæ advenerant, Bonifacius Papa illis aditum negabat, nisi prius fidem darent, se illi Pontificalia delaturos obsequia, eumque tanquam Papam veneraturos, qui quamvis ab initio nonnihil tergiversarentur, tandem, ne pacis negotio obstacula ponerent, Pontificis voluntati morem gesserunt. Legati ad colloquium a Bonifacio admissi ex parte Benedicti

Sæcul. XV. A.C.1404.

haud alia proponunt, quam quæ Bonifacius, ut diutius illuderet Orbi, jam ipsus dudum exoptaverat, nimirum, communi utriusque consensu tutum quemdam seligendum esse locum, ubi de mediis ad abolendum schisma opportunis ambæ partes agere possent, declarantes, suum Dominum ad tam salutare negotium paratissimum esse. Ipsi quoque Cardinales Bonifacio addicti oppido benignis auribus hanc propositionem excipiunt. Verum Pontifex iste Benedictum sese jam antea ad cessionis viam solemni sacramento adstrinxisse optime gnarus, in primo hoc consessu suam suspendit sententiam, responsumque decretorium ad subsequens remisit colloquium, quod etiam Oratoribus concessit, atque ad vigesimam nonam Septembris, quæ erat sancto Michaeli sacra, in suo Palatio penes Basilicam Principis Apostolorum indixit, celebratumque fuit præsentibus ipso Bonifacio, suis Cardinalibus, multisque aliis Curiæ Ministris.

Episcopus sancti Pontii in hoc colloquio præsentis schismatis mala omni virium contentione exaggerabat, eo fine, ut Bonifacium ad cogitationes pacis, a quibus valde alienus videbatur, tandem flectere valeret. Attamen, cum Episcopus Benedicti merita extollere non posset, quin eoipso Bonifacium deprimeret,

ret, Pontifex, cui plene persuasum erat, quod, si Competitoris sui agendi ratio cohonestari, atque probari valeret, ipse jure suo excideret, indignabundus respondit: se legitimum Pontificem, Benedictum vero Antipapam esse. Tunc Legati haud parum offensi replicant, Dominum suum non esse simoniacum, tacite fugillantes propudiosam beneficiorum nundinationem, cujus Bonifacius reus dicebatur. Hoc responso Papa vehementiori ira commotus jussit eos rupta omni mora Roma excedere, atque ad sua redire. Ad quæ Legati respondent, sibi a Papa, populoque Romano fidei publicæ literas datas, illis proin, utpote tempore sibi præstituto necdum elapso, sese usuros. Sæcul. XV. A. C. 1401.

§. XXV.

Bonifacii IX Papæ obitus.

Bonifacius hoc Legatorum responso immoderatius fervore animi excandescens in morbum incidit, violenta febri correptus, cui accessit gravissimus, quo jam diu laborabat, calculi dolor, hujus morbi vis tribus ex post diebus feria quarta die prima Octobris, anno sexagesimo quinto ætatis suæ, Pontificatus vero decimo quinto e vivis eum exturbavit. Vix extremum egerat spiritum, cum illico Castelli sancti Angeli Præfectus, qui Papæ *Monach. S. Dionys. l. 24. c. 12.*

Sæcul. XV. A. C. 1404.

defuncto sanguine junctus erat, Legatos Benedicti comprehendi, illosque insuperhabita, qua muniti erant, fide publica, carceri mancipari jubet, in eos temere culpam mortis Bonifacii conjiciens. Qui tamen instantibus Cardinalibus paulo post libertati restituti sunt, exsoluto, ut dicebatur, arcis Præfecto quinque aureorum millium pretio. Hi recuperata libertate Cardinales exorant, ut electionem, donec nova Benedicti consilia intellexissent, differrent, certissimum hoc pacem Ecclesiæ restituendi medium fore asseverantes. Cum autem Oratores isti, ut Benedicti nomine Papatu cederent, nulla auctoritate instructi essent, nil ipsorum deferebatur precibus, maxime cum aliunde non parum suspecta haberetur eorum sinceritas. Quocirca Cardinales neglecta Legatorum petitione conclave ingrediuntur, ex quibus tamen novem duntaxat numerati sunt. Duo enim aberant, nempe Balthasar Cossa ipso illo tempore Legationis Bononiensis munia obiens, & Valentinus Cardinalis Quinqueeccleſienſis Episcopus in Hungaria.

Niem. l. x. cap. 24.

§. XXVI.

Sæcul. XV.
A.C. 1404.

§. XXVI.

Cardinales ingrediuntur Conclave pro eligendo ſucceſſore.

Novem illorum Cardinalium, qui pro electione Pontificis conclave ingreſſi fuerant, nomina ſunt: Angelus Acciajolus, primum Florentinus, poſtea Oſtienſis Epiſcopus, & Collegii Cardinalitii Decanus, ac Presbyter tituli S. Laurentii in Damaſo; Franciſcus Carbona patria Neapolitanus, Monopoli ejusdem regni urbis Epiſcopus, Cardinalis Presbyter tit. S. Suſannæ; Henricus de Minuſolis Neapolitanus, Tuſculi in Campania Romana Epiſcopus, & Presbyter Cardinalis tit. S. Athanaſii; Coſmatus de Melioratis Sulmonenſis Epiſcopus in regno Neapolis, Archiepiſcopus Ravennas, & Cardinalis Presbyter tit. S. Crucis in Hieruſalem, & Theſaurarius S. R. Eccleſiæ; Chriſtophorus de Maronibus Iſerniæ in regno Neapolis Epiſcopus, & Cardinalis Presbyter tit. S. Cyriaci; Antonius Cajetanus Romanus, Aquilejenſis Patriarcha, & Cardinalis Presbyter tituli S. Cæciliæ; Angelus de Summaripa Neapolitanus Laudi in Longobardia Epiſcopus, & Cardinalis Presbyter tit. S. Pudentianæ. Raynaldus de Brancaciis Cardina-

Sæcul. XV. A.C.1404.

lis Diaconus tit. S. Viti. Landulphus de Maramaris, seu Maramauro Neapolitanus, Barensis Archiepiscopus & tituli S. Nicolai in Carcere Tulliano Cardinalis Diaconus.

§. XXVII.

Juramentum a Cardinalibus ante electionem præstitum.

Spicil. tom. VI. p. 169.

Itaque Cardinales isti conclave ingressi, antequam ad ipsam electionem procederent, coram Notariis, & testibus juramento se obstrinxerunt, quod quilibet eorum, si eum in Papam eligi contingeret, pro restituenda Ecclesiæ unitate Papatu cedere velit, si Benedictus quoque juri suo renunciaret; nullusve eorum unquam ab hoc jurejurando absolutionem petiturus esset, nec eandem acceptaturus. Quibus insuper addebant, quod ille, qui ab eis in Pontificem assumeretur, neminem ab hac jurata fide absolvere vellet, & denique quod Cardinales absentes, aut si forte novi postea a Neo-electo Pontifice crearentur, ante omnia simile præstarent juramentum.

§. XXVIII.

Sæcul. XV.
A. C. 1404.

§. XXVIII.

Electio Innocentii VII Papæ.

Cardinales hac ratione futuris malis proſpicientes unanimi ſuffragiorum conſenſu die decima ſeptima Septembris eligunt Coſmam ſeu Coſmatum de Melioratis Ravennatem Archiepiſcopum, antea Cardinalem Bononienſem dictum, eoquod ad Archiepiſcopatum hujus urbis promotus, quamvis nunquam illius poſſeſſionem adierit, ſemper tamen ad hanc Eccleſiam jus ſibi reſervatum voluerit. Hic nuncupatus eſt Innocentius VII. interim Benedictus & Carolus VI Galliarum Rex comperta Bonifacii Prædeceſſoris morte ad Cardinales Romanos direxerunt epiſtolas, rogantes, ut antequam ad novam electionem procederent, ſuos expectarent Oratores. Verum harum literarum adventum jam prævenerat novi Pontificis electio. Hiſtorici Papæ hujus ſcientiam, morumque integritatem multis deprædicant, Sacrorum Canonum peritia clarus, & in Curiæ Romanæ negotiis longe expertiſſimus erat. *Iſte Pontifex*, inquit Theodoricus Niemus, *fuit mitis, benignus, & compatiens afflictis, nec erat aliqua ſuperbia in eo, neque apud ipſum acceptio perſonarum, neque cupidus ſeu avarus exiſtebat, ſimoniacos exoſos habuit.*

Niem. de ſchiſm. l. 2. c. 39. Gobel. Perſon. in Coſmod. at. 6. c. 88.

Sæcul. XV. A. C. 1404.

buit. Ipsi cetera laudatissimo id vitio unice datum est, quod aliquantulum nimia propensione sanguine sibi junctos prosequeretur, idemque Author mox allegatus observat, eum semel in Papam electum ab amplectenda cessionis via, prout tamen in Conclavi promiserat, alienum monstrasse animum. Die Dominica secunda Novembris solemnis suæ inaugurationis insignia recepit.

§. XXIX.

Dissidia inter Gibellinos, & Guelfos.

Pontificatus sui primordia non modicis tumultibus divexabat Gibellinorum factio; Hi enim Joannis & Nicolai, Principum de Columna auctoritate & potentia fulti omnem moverunt lapidem, ut duodenarum urbis Romanæ regionum Præfectis, qui Duces vexiliferi a proprio cujusque vexillo nuncupabantur, totius Civitatis regimen restitueretur, quod ipsis Romani eripuerant, illud in Bonifacium transferentes; eoquod nisi Papa urbis regendæ auctoritate polleret, haud tuto Romam redire potuisset. Itaque Gibellini Romanam urbem in libertatem asserturi, ejus supremum imperium Magistratibus a populo nominandis restitui petie-

petierunt, antiquæ inhærentes regiminis formæ, antequam ſumma rerum cederetur Bonifacio. Econtra vero communi civitatis bono longe magis conſultum eſſe affirmabant Guelfi, ſi Eccleſia, excluſis Civibus, ſupremum teneret regiminis clavum; quare potenti Urſinorum præſidio nixi ſummam urbis adminiſtrationem Pontifici, ac ſacræ Sedi ſartam tectamque conſervare omnibus viribus adlaborabant. Ex hac animorum diſſenſione exarſit bellum, cujus tamen flammæ Ladislai Neapolitani Regis auctoritate, quem Gibellini in auxilium advocarunt, non nihil ſopitæ fuerunt. Sæcul. XV. A. C. 1404.

§. XXX.

Pacis conditiones Papam inter & populum.

Innocentius decimo poſt electionem die inducias cum Romanis iniit, ac mutua inter eos conventione ſancitum eſt: *Ut Senator urbis Romanæ per ſummum Pontificem eligi, ac deputari debeat ſemper, & poſſit, qui habeat omnimodam jurisdictionem, præterquam in factis & negotiis præfecti Pontificis & Eccleſiæ, ac crimina læſæ Majeſtatis concernentibus: de cetero eligantur ſeptem Officiales Urbis Romanæ, qui nominentur Gubernatores almæ* *Antonin. tit. 22. cap. 4. Niem. cap. 43. n. 33.*

Sæcul. XV. A.C. 1404.

Urbis, quique ad præsens in dicti Pontificis præsentia eligi debeant, & in ejus manibus præstare juramentum, deinceps vero in præsentia Senatoris: officium eorum duret spatio duorum mensium: habeant facultatem duntaxat exigendi, & expendendi Reipublicæ Romanæ proventus, de aliis quibuscunque causis omni jurisdictione ipsis interdicta. Denique nec populus Romanus, nec Officiales quemcunque cum aliquo numero armatorum, aut aliquos nuncios Antipapæ, vel ei adhærentium in urbem recipere, admittere, vel audire possint. Pax quidem hisce conditionibus firmata rediit, sed haud diu admodum perduravit; nam Ladislaus Romanam urbem in suam potestatem redigere intentus, unice eo sua convertit studia, ut dissensionis flammas, quas extinguere sese simulabat, eo vehementius accenderet.

§. XXXI.

Ladislaus ab Innocentio in possessione Regni Neapolis confirmatus.

Decret. Innoc. pro Ladisl. apud Raynald.

Neo-electus Pontifex non minus Regis hujus potentiam veritus, quam in ejus amicitia plurimum præsidii collocans, in illius favorem authenticum confecit instrumentum, vi cujus sane de pace Ecclesiæ reddenda conclamatum esse crede-

credebatur; Nam Ladislaum ſuſpicione, qua ipſum Ludovico Andegavenſi patrocinaturum metuebat, liberaturus undecima Novembris die Decretum, ſive Bullam edidit, declaravitque, nec ſe, nec ſuos Cardinales de reſtituenda Eccleſiæ unione ulterius acturos, niſi prius de utriusque partis conſenſu Ladislaus Rex in plena, ac pacifica Regni Neapolis poſſeſſione decerneretur, prohibitis omnibus adverſus eum quovis pacto attentandis. Sane hæc proviſio Ladislao admodum neceſſaria erat, timebat enim, ne Galli, conſtituta ſemel Eccleſiarum concordia, iterum in Italiam penetrarent, ut Ludovicum Andegavenſem in priſtinam Regni Neapolitani poſſeſſionem inducerent. Cum autem Pontifex hac ſua Apoſtolica ſanctione Ludovici jura palam infringeret, facile prævideri poterat, nec Gallos, nec Galliæ Cardinales unquam talibus concordiæ legibus conſenſuros. Ex quibus haud temere aſſeveramus, Innocentium Papam exiſtimaſſe, a ſe Cardinalem Bonnonienſem a juramento in Conclavi præſtito, dummodo fideles exempli pravitate non offenderentur, abſolvi poſſe.

Sæcul. XV. A.C. 1404.

§. XXXII.

Sæcul. XV. A. C. 1404.

§. XXXII.

Innocentii Epistolæ ad Principes, & suæ obedientiæ Prælatos.

Interea temporis Innocentius ut totam Europam de traditis sibi universæ Ecclesiæ gubernaculis certiorem faceret, encyclicas expedivit literas ad omnes Archiepiscopos, atque obedientiæ suæ Præsules, necnon ad suarum Provinciarum Clericos, hortans eos, ut vel Romam venire, vel saltem idoneos Viros ad Concilium Generale prima Novembris die anno sequenti celebrandum mittere, & ad extirpandum schisma omnia sua studia convertere velint. Epistola hæc vigesima septima Decembris ejusdem anni millesimi quadringentesimi quarti data legitur. Eadem quoque vota sua exponebat Regibus, & Principibus obedientiæ suæ addictis, quinimo nequidem Benedicto Pontifici epistolam scribere intermisit, in qua ardentissimum suum recuperandæ pacis desiderium palam fecit.

§. XXXIII.

Ducis Burgundiæ obitus.

Eodem hoc anno millesimo quadringentesimo quarto die vigesima septima Aprilis

Aprilis Halæ in Brabantia ad D.Virginis, animam reddidit Burgundiæ Dux, Benedicto parum affectus. Cor ejus translatum est ad Ecclesiam S. Dionysii, cadaver autem repositum quiescit in Divionensi Carthusia, quam ipse suis impensis magnifice extruxerat. Quamvis Princeps iste ex ditionibus suis ingentem pecuniæ vim collegerit, nihilominus immoderato suo luxu, & immensis omni tempore profusis sumptibus ad tantam redactus est inopiam, ut Conjux superstes communioni bonorum renunciaret, atque cincturam suam cum clavibus & marsupio, Mariti sarcophago imponeret. Dux tres Filios, & quatuor reliquit Filias: Ex quibus Joanni natu Majori Ducatus & Comitatus Burgundiæ, Flandria, & Comitatus Atrebatensis cesserunt; Antonius, Brabantiæ, & Limburgi Dux renuntiatus est; Philippo demum Comitatus Nivernensis, & Rethalensis adjudicati. Ex quatuor vero Filiabus Margarita matrimonio juncta fuerat Filio primogenito Alberti Bavariæ Ducis, secundo nata nupsit Amadæo VIII Sabaudiæ Duci, quem postea Synodus Basileensis ad Pontificiam dignitatem, sub nomine Felicis V, evexit. Catharinam tertio genitam Leopoldus IV Austriæ Dux, & Tyrolis Comes sibi thalami sociam adlegit; denique quarta, Bona nomine, ante-

Sæcul. XV. A. C. 1404.

Sæcul. XV. A.C. 1405.

antequam connubium iniret, morte præventa deceſſit.

§. XXXIV.

Literæ Innocentii ad Academiam Pariſienſem.

Spicil. Dacher. tom. VI. pag. 171.

Academia Pariſienſis jam Menſe Novembri ſuperioris anni binis literis ad Innocentium VII datis ipſum ad reſtaurandam Eccleſiæ pacem adhortata eſt, cui Papa die decima ſeptima Februarii anno milleſimo quadringenteſimo quinto reſcribens ſignificat, ſe Concilium coacturum, in quo de optimis ſchiſma extinquendi modis conferretur; eundemque in finem jam ſeſe ad Reges, Principes, & univerſos Europæ ſtatus encyclicas dediſſe epiſtolas, quibus eos, ut ad futuram Synodum ſuos quoque Oratores ablegarent, monuiſſet. Quia vero Pariſienſis univerſitas in ſuis ad Innocentium literis conqueſta erat, quod Romana Curia ceſſionis viam a Benedicti Legatis Boniſacio, ejusque Cardinalibus oblatam reſpuerit, Pontifex omnia in hac legatione geſta, necnon & horum Oratorum ac Benedicti perfidiam ingenue in ſuis reſponſoriis expoſuit, declaravitque, hos nunquam de ceſſione, ſed ſolummodo de mutuo quodam congreſſu egiſſe, quem

quem ipse omnino rejeciſſet, cum ſibi perſuaſum haberet, ejusmodi colloquium nil niſi ſolitum æmuli ſui artificium eſſe, quo omnibus illudere, ac inanes ad fruſtrandum pacis negotium moras nectere ſtuderet. Sæcul. XV. A.C. 1405.

§. XXXV.

Innocentii excuſatio de repulſa Legatis Benedicti data.

Inſuper in eadem epiſtola exponit, Cardinales, antequam Conclave, ubi electus eſſet, intraſſent, ex Legatis ad Bonifacium paucis ante ejus obitum diebus a Benedicto miſſis, ſciſcitatos fuiſſe, utrum mandato ad cedendum Papatu a Domino ſuo inſtructi eſſent? eisque a toto ſacro Collegio fidem fuiſſe datam, ſe in hoc caſu ad novam electionem nullatenus proceſſuros; Legatis autem mandati defectum allegantibus demum Cardinales enixe petiiſſe, ut oratores ex ſuo cœtu aliquem ad Benedictum ablegarent, cui cedendi auctoritas, per ſyngraphamm committeretur; cum vero Legati reſpondiſſent, Benedictum ab ejusmodi abdicatione omnino abhorrere, utpote æquitati oppido contraria, Cardinales electionem haud ultra differendam eſſe cenſuiſſe. Tandem Innocentius Cardinales ſuos,

Sæcul. XV. A.C. 1405.

ſuos, cum Benedicti Legatos detinuiſſe inſimularentur, defendendos ſuſcepit, totamque culpam in ipſosmet conjecit Legatos & Caſtelli Præfectum, apud quem, licet incaſſum, pro eorum liberatione (vacante ſacra ſede) ipſi Cardinales egiſſent.

§. XXXVI.

Benedictus Papa iter in Italiam meditatur.

Antonin. part. 3. tit. 22. c. 4.

Omnes iſtæ Benedicti Papæ fraudes hoc pacto detectæ, grave rebus ſuis intulerunt diſpendium; Qui tamen deſperatæ cauſſæ opportunum quærens remedium, ubique jactitabat, ſibi nil antiquius eſſe pace Eccleſiæ reddenda, atque eo fine ſe ipſum in Italiam profecturum, ut Innocentium, quem tanquam Sedis Apoſtolicæ invaſorem criminabatur, ad amplectendam quoque unionis viam permoveret.

§. XXXVII.

Obtinet decimas de bonis Cleri Gallicani.

Monach. S. Dionyſ. l. 25. c. 1. & 2.

Specioſa hæc promiſſio deluſit plurimos, & Benedictus ad hujus itineris expenſas de cunctis Cleri Gallicani bonis decimas, ſeu decimum exigendi nummum facultatem obtinet, quam etiam ſuper

per cetera aliarum obedientiæ ſuæ Ecclesiarum bona extendit, deſignans duos, qui haſce decimas colligerent, Epiſcopos, Toletanum ipſius Nepotem, & alterum, quem nonnulli Leitorenſem in Vaſconia fuiſſe autumant: hanc rem Pariſienſis Univerſitas, quamvis ipſa ſicut & nonnullæ aliæ ab hoc onere immunes eſſent, admodum moleſte tulit. Interim Benedictus iter Genuam aggreſſus eſt, illo autem viam ſuam proſequente quædam Romæ contigerant, quæ omnino hic recenſenda veniunt. Sæcul. XV. A.C. 1405.

Dux Bituricenſis Innocentii dictis fidem adhibens, mittit ad eum Oratores una cum epiſtolis, quibus Pontificem ad procurandam Eccleſiæ unionem verbis oppido gravibus incitaverat. Innocentius haud ſegnius ardentiſſimum pacis ſtudium in ſuis demonſtrabat reſponſis, & cuncta, quæ Univerſitati Pariſienſi circa Benedicti Legatos ad Bonifacium miſſos expoſuerat, iterato confirmabat: Idem quoque ad Epiſcopos Florentinum, & Feſulanum, necnon ad alios duos Doctores reſcribit, remiſſo tamen ſemper toto negotio ad futurum Concilium, quod ad diem feſtum Omnium Sanctorum indixerat. Ceterum neque iſtud ad extinquendum ſchiſma idoneum erat medium, partim quod locus, in quo haberetur, ſuſpectus eſſet, partim quod ipſum Concilium

Sæcul. XV. A C. 1405.

cilium nonnisi ex solis obedientiæ suæ addictis fuisset congregandum: quapropter non pauci sinceram Pontificis intentionem in dubium vocarunt.

§. XXXVIII.

Innocentius Papa undecim creat Cardinales.

Raynald. num. 7.

Innocentius ad augendum sui Collegii numerum die duodecima Junii undecim creavit Cardinales, scilicet octo Presbyteros, & tres Diaconos. Quorum primus erat Conradus Caracciolus patria Neapolitanus, Episcopus Melitensis tituli S. Chrysogoni, summus Pontificii ærarii Præfectus; Alter, Angelus Corarius nobilis Venetus, titulo tenus Patriarcha Constantinopolitanus; Tertius, Franciscus Archiepiscopus Burdegalensis Cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum; Quartus, Jordanus Ursinus Archiepiscopus Neapolitanus; Quintus, Joannes Melioratus, Pontificis Nepos & Ravennas Archiepiscopus; Sextus Petrus Cretensis Archiepiscopus Mediolanensis, qui assumpto Alexandri V nomine postea Pontificatum gessit; Septimus, Antonius de Arcionibus Episcopus Asculanus, Cardinalis tituli S. Petri ad vincula; Octavus, Antonius de Calvis Romanus, Episco-

piscopus Tudertinus, qui titulum S. Praxedis optavit. Hi omnes octo fuere Presbyteri. Tres autem illi Cardinales Diaconi vocabantur: Otho Columna, qui ad Pontificatum evectus Martinus V. appellatus est. Petrus Hannibaldus patria Romanus tit. S. Angeli, & Joannes Ægidius Normannus Parisiensis Ecclesiæ Chori Præfectus, & tunc Præpositus Leodiensis, ad titulum SS. Cosmæ & Damiani vocatus. Ex omnibus hisce Pontifex quinque patria Romanos dignitate Cardinalitia consulto exornavit, ut sibi Romanum populum hoc beneficio devinciret. Sed sua illum spes fefellit. Sæcul. XV. A C. 1405.

§. XXXIX.

Romæ Gibellinorum factio.

Præter Senatorem a Pontifice ad regendam Romanam urbem electum adhuc septem alios Officiales seu Judices designatos fuisse, jam supra memoravimus. Hi quidem glorioso *Prudentum* nomine insignes erant: ast gestorum suorum splendore hunc titulum condecorare parum curabant. Clandestinis enim Ladislai, quem Romanæ urbis potiundæ cupiditas vehementer stimulabat, sollicitationibus accensi, varia contra pacti fidem consilia adversus Pontificem moliti sunt. Præterea Joannes de Columna

Sæcul. XV. A. C. 1405.

Gibellinorum Princeps copias Romanæ Urbi circumfusas habebat; Papa contra arcem sancti Angeli valido præsidio munitam tenebat; hinc in singulos ferme dies non sine multo sanguine, ac cæde velitares conserebantur pugnæ, undique locis ingenti strage repletis. Quo comperto Pontifex pacifici, ac mitis genii Vir incredibili afficiebatur dolore. Ergo summa mansuetudine furentium corda emollire, eisque in omnibus complacere tentat, sed incassum; *Prudentes* enim, ut vocabant, nunquam a suis, etsi æquitati tantopere contrariis, atque iniquis postulationibus quicquam remittere cogitabant, proterviæ suæ patrocinio in Ladislai potentia collocato, qui licet Innocentii partes tueri simularet, cum illis tamen secreta communicabat consilia, eosque auro corrumpere non dubitabat. Pontificis Nepos, nomine Ludovicus de Melioratis, Juvenis temerarius, atque ad quævis audenda projectus plurimum dolebat, Pontificem Patruum suum ab hisce Judicibus *prudentibus* adeo inique haberi.

§. XL.

Undecim Romani a Nepote Pontificis trucidati.

Theod. de Niem. l. 2. c. 36.

Cum quondam isti Judices cum aliis nonnullis Civibus Romanis a Pontificis

ficis colloquio, ubi oblatis quibusdam conditionibus de concordia egerant, re infecta discederent, Melioratus undecim ex illis, quos inter duo erant Judices, a suis militibus comprehensos, illata vi ad se adduci imperat, & tandem in quoddam cubile abstractos propria sua manu trucidat, atque eorum corpora penitus denudata e fenestris in plateam dejicit, ubi ad vesperam usque remanserunt. Romani luctuoso hoc spectaculo impotenti furore agitantur; ipsi quoque Judices, quos militum manibus fors eripuerat, magis, magisque populum contra Papam, ejusque curiam concitant; Quare confestim crebro campanarum strepitu ad arma conclamant, factoque in Viros Ecclesiasticos impetu, nonnullos effræni rabie occidunt, alios vestibus dilaceratis nudant, eorum domos exspoliant, & cuncta Cancellariæ regesta, ac tabulas diripiunt; præterea plurimi carceribus includuntur, & ipse Pontifex, insons quidem, atque exsecrandæ hujus cædis a Nepote suo perpetratæ omnino inscius erat, de propria tamen salute maxime anxius, furori cedendum ratus, cum Curialibus suis, qui eum sequi poterant, Roma auffugere statuit.

Sæcul. XV. A.C. 1405.

Sæcul. XV. A.C. 1405.

§. XLI.

Innocentius Papa Viterbium fugit.

Raynald. Contin. Baron. ad annum 1405. *n.* 7.

Non ſine gravi periculo, ſole ad occaſum jamjam inclinante, Innocentius Urbe elapſus eſt, & tandem poſt triduanum iter Viterbium pervenit, ubi etiam tota reliqua anni parte ſubſtitit. Hac Pontificis fuga Joannes de Columna opportunam nactus occaſionem Romam ingreditur, ſimulque Pontificium occupat Palatium, & ſummo in Urbem imperio utitur, adeo, ut per ironiam Joannes XX, perinde ac ſi foret Pontifex, appellaretur. Cum vero haud diu quietam ſibi ſpondere poſſet urbis poſſeſſionem, Ladislaum Regem in auxilium vocat, qui quemdam Comitem (*) cum ſuo exercitu Romam ablegavit, dato negotio, ut ſupremum urbis dominium ipſi vindicaret.

§. XLII.

Romani factionem Ladislai fugant.

Vid. infra §. XLVI.

Verum Romani extrema quævis potius ſuſtinere parati, quam Regis poteſtati ſubjici, pro defenſione libertatis ſuæ tanta animorum conſtantia, ac virium robore

(*) *Is erat Perretus Troyæ Comes.*

bore decertabant, ut Capitolio obsidione cincto, paulo post Columnenses, totamque Ladislai factionem urbe pellerent. Judices vero, utpote ob concivium suorum cædem graviter exulcerati ad Papam, ejusque Nepotem acerbas admodum exarabant epistolas, & dejectis undique eorum insignibus, se Innocentium haud ultra tanquam Pontificem veneraturos profitebantur. Sæcul. XV. A.C. 1405.

§. XLIII.

Benedictus Papa in Italiam profectus, Genuam venit.

Dum in Italia hæc geruntur, Benedictus Niceæ in Provincia conscensa navi, Mense Majo anno millesimo quadringentesimo quinto Genuæ appulsus est. Civitas hæc eo tempore sub Gallorum dominio constituta ab obedientia Innocentii defecit, & suadente Pileo Marino suo Archiepiscopo, Bonifacii obsequio sese addixit. Respublica Pisana secuta est Genuensem, auctore Gabriele Maria Visconti, seu Vice-Comite, qui supremam hujus ditionis potestatem sibi arrogabat. Benedictus Papa Genuæ a Bucicaldo supremo militiæ Præfecto, atque a Civibus maximis honoribus excipiebatur. Verum in hac quoque urbe sini- *Theod. Niem. l. 2. c. 28.*

Sæcul. XV. A.C. 1405.

stræ fortunæ ludibria experiri debuit Pontifex, occasione nata ex militibus, quos secum adduxerat: aucto enim in dies eorum numero, Pontificis potentia Genuensibus suspecta fuit. Quare illi opportunum hasce copias recensendi locum obtendentes, illas dextere urbe extractas reditu intercluserunt. Ea re Benedictus haud parum commotus de injuria sibi illata graves ad senatum querelas deferebat. Ast Genuensibus a suscepto consilio nec latum unquem discedentibus Papa necessitati temporis cedere cogebatur.

Juven. Ursin. & Monach. S. Dionys. in hist. Caroli VI.

§. XLIV.

Innocentius Benedicto salvum conductum denegat.

Niem loc. cit.

Exiguo post tempore Benedictus simulatum unionis studium prosequi cupiens, Innocentium Papam exorat, ut novis suis Oratoribus, quibus plenam pacis cum eo componendæ auctoritatem tribuisset, literas publicæ fidei testes daret: Quas tamen Innocentius Viterbii adhuc hærens vel Benedicti calliditatem veritus, vel pactum inire e re sua non esse arbitratus, concedere recusavit. Lætus hac repulsa Benedictus, datis sine mora ad omnes Provincias literis, æmulum

mulum ſuum ubique ſchiſmatis fautorem proclamat; eoquod ſalvum conductum (ut vocant) denegando unionis negotium promovere palam detrectaſſet. Innocentius haſce criminationes aliis longe prolixioribus epiſtolis refutaverat, atque eas dedita opera per totam Italiam ſpargi fecerat. Tali artificio ambo iſti competitores nil niſi ceſſionis viam eludere, & quisque ſibi Papalem Tiaram aſſerere ſtudebant. (*) Innocentius, cum Synodum ad feſtum omnium Sanctorum indictam celebrari haud poſſe probe perſpexiſſet, Bullam Viterbii die vigeſima Octobris datam evulgat, in qua tum tumultus Roma excitatos, tum itinerum diſcrimina ad Concilium euntibus timenda exponit. Quapropter primam Maji diem anni ſequentis præfixit, quo junctis viribus extinquendo ſchiſmati adlaborarent.

Sæcul. XV. A.C.1405.

§. XLV.

(*) *Ob denegatum Legatis ſalvum conductum hoc vitium Innocentio perperam imputatur; perſpectam enim & centies expertam habuit Petri de Luna perfidiam. Sincera econtra Innocentii pro unitate Eccleſiæ Papatu cedendi voluntas manifeſta fit ex Concilio hanc in rem indicto, quod quidem præter ſuam culpam ſemel impeditum, omnino tamen alio tempore celebrari voluit.*

Sæcul. XV. A.C. 1406.

§. XLV.

Discordiæ inter Duces Aurelianensem & Burgundum.

Monstrelet. l. I. c. 25. Sub idem ferme tempus Aurelianensis Dux, atque Regina ob arctam, quæ inter eos intercesserat, amicitiam sibi populi imo, & Principum invidiam conciliabant. Hinc Burgundiæ ac Britanniæ Duces indignabundi aula excedunt, sed quantocius convocato eam ob causam supremo Senatu redire jussi sunt. Regressus est quidem Burgundus; cum autem tam suæ, quam regiorum liberorum, quibus Reginam, atque Aureliæ Ducem insidiari noverat, securitati consulturus, ingentem armatorum manum secum traxisset; ideo bellicus iste aspectus tantum utrique terrorem incussit, ut ipsi Melodunum auffugerent; Ludovico autem Bavaro Reginæ fratri negotium darent, Delphinum unacum Ducis Burgundi liberis ad castrum Pauliacum quantocius deduceret. Quo comperto Burgundiæ Dux, eos tanta celeritate insecutus est, ut Principem Delphinum Juvisii ex fuga interceptum Lutetiam Parisiorum secum reduceret. Inde acerbius inter Principes odium exarsit. Nihilominus dissensionis flammas, Navarræ Regis ac Borbonii

bonii Ducis opera, saltem ad tempus so- Sæcul. XV.
pitas fuisse exinde constat, quod Aureliæ A.C. 1406.
ac Burgundiæ Duces Parisiis mutuo se se recepissent amplexu, & reciproca fide sibi amicitiam spopondissent. Verum hæc reconciliatio nec diuturna, nec seria fuit.

§. XLVI.

Innocentius Papa Romam revocatur, & redit.

Romani servitutis a Rege Ladislao, ac Columnensibus sibi jamjam imminentis periculo feliciter defuncti, Innocentium VII Romam revocant, polliciti, se illi omnem Imperii Romani auctoritatem, prout ejus habebat Prædecessor, plene reddituros. Nuntium excepit Papa non sine ingenti gaudio, ac confestim Bartholomæum Episcopum Cremonensem, suumque Romæ Commissarium, ut Pontificis nomine Urbis possessionem caperet, ablegavit. Hujus mandati literæ datæ sunt Viterbii die vigesima septima Januarii anno millesimo quadringentesimo sexto. Postmodum Papa maximis honoribus, & sub festivis populi acclamationibus circa medium mensem Martium Romam ingressus est. *Niem de Schism. l. 2. c. 39.*

§. XLVII.

Sæcul. XV. A.C. 1406.

§. XLVII.

Excommunicatio in Ladislaum & Columnenſes lata.

Raynald. ad hunc ann. n. 3.

Verum Papa nullatenus, quamdiu Ladislaus Columnenſium potentia fultus, arcem ſancti Angeli in ſua ſervaret poteſtate, ſe tutum ratus, contra illos ejusque fœderatos die decima octava Junii excommunicationis Bullam edidit, qua Ladislaum omnibus ſuis ſtatibus, cunctisque juribus exſpoliabat, adjectis graviſſimis pœnis, acerrimisque clauſulis.

§. XLVIII.

Ladislaus reconciliatur Pontifici.

Ladislaus ſacro fulmine territus, ac regno ſuo, necnon Campaniæ Præfectura ſpoliari metuens, pacem, priſtinamque Pontificis gratiam exorat, quam etiam Paulo de Urſinis & Ludovico Meliorato Innocentii Nepote deprecatoribus obtinuit, hac tamen lege, ut arcem S. Angeli, & omnia ac ſingula Eccleſiæ bona prius ablata reſtitueret. Hujus fœderis articuli utrinque firmati fuere tertia decima Aprilis. Inſuper eodem tempore Papa Ladislaum Sedis Apoſtolicæ creabat vexiliferum, qui nihilo ſecius

cius tamen Ecclesiam in Pontificis Per- Sæcul. XV.
sona persequi non destitit. A. C. 1406.

§. XLIX.

Cardinalis de Chalanto a Benedicto missus Legatus in Franciam.

Haud longas Genuæ moras traxit Benedictus; pestis enim ibidem exorta eundem Massiliam redire coegit. In hac eadem urbe nuntium accepit, Universitatis Parisiensis Oratores ad Innocentium decretos attulisse Bullam, qua Synodus ad mensem Majum indiceretur, atque eandem Universitatem denuo adversus ipsum insurrexisse; simulque nuntiatum, Henricum III Castellæ Regem Legatos suos in Franciam destinasse, cessionis viam omni modo sollicituros, denique ad discutiendam subtractionis viam in Galliis Præsulum Comitia fuisse convocata. Cognitis his omnibus Benedictus Cardinalem de Chalanto Sabaudum Legatum a Latere in Franciam mittere statuit, qui impediret, ne Universitatis querelæ audirentur, nec Galli indictam ab Innocentio Synodum accederent. Cardinalis in Galliam delatus ægre admodum ad Regis alloquium admittebatur; palam enim dicebant quamplurimi, hunc Legatum eo dunta-

Monach. S. Dionys. l. 6. c. 1.

Juvenal. Ursin. p. 179.

Sæcul. XV. A. C. 1406.

duntaxat missum consilio, ut amplis suis promissis, quæ tamen Benedictus Dominus ejus nunquam præstare intenderet, inani ludificatione pacis negotium remoretur.

§. L.

Oratio Cardinalis in pleno consessu dicta.

Tandem vero obtenta dicendi copia in pleno consessu legationis suæ argumentum exposuit, atque die vigesima nona Aprilis latinam declamavit orationem, sed nonnisi elumbem illam, atque insipidam, Benedictum enim usque ad sydera extulit, animum ejus ad Ecclesiæ unionem optime affectum jactitans, cunctaque ejus studia & labores pro bono Ecclesiæ exantlatos, præcipue vero iter in Italiam nuperrime amore pacis maximo cum incommodo susceptum deprædicans. Dum econtra venditatis hujus meritis acerbius in Innocentium Papam invectus, eundem omni studio deprimere conabatur, tandem suo sermoni colophonem imponens, totum consessum obtestatur, ut, si schisma extinctum vellet, non nisi Benedicti partibus adhæreret.

§. LI.

Sæcul. XV.
A. C. 1406.

§. LI.

Joannes Parvus nomine Universitatis respondet.

Cardinalis Legati verba tam exigui crederebantur momenti, ac ponderis, ut ea publico responso excipiendi Universitas ægre admodum veniam a Rege obtinuerit; qua tamen data die decima septima Maji Academiæ nomine Joannes Parvus Ordinis S. Francisci Alumnus Parisiensis Doctor in præsentia Principum orationem habuit, & refutatis omnibus, quæ Cardinalis de Chalanto proposuerat, totam rei summam ad tres revocavit articulos. I. Universitatis Tolosanæ Epistolam, quam contra cessionis viam confeciſſet, tanquam Regi ac regno injuriosam, esse damnandam. II. Ecclesiam Gallicanam ab exactionibus, quibus Benedictus eam opprimere cæpisset, exonerandam esse. III. Subtractionem obedientiæ, prout antehac factum fuisset, denuo innovandam. Circa secundum Articulum ultro, citroque acriter disceptatum est; in hoc enim consessu non pauci, quibus etiam non modica pars auri ex Francia extorti per Benedictum obvenerat, numerabantur; quocirca ut semoto partium studio dijudicaretur causa, Princi-

Hist. Univers. Paris. tom. IV. pag. 120.

Monach. S. Dionys. l. 26. c. 1. 2. & 3.

Sæcul. XV. A.C.1406. Principes totum negotium ad ſupremum Senatum deferunt.

§. LII.

Sententia Senatus contra Toloſanæ Academiæ epiſtolam.

Bothel. in Decret. Eccleſ. Gallic. l. 4. tit. 21. c. 41.

Ergo cauſſa in Senatu agi cæpit die quinta Junii, perorantibus Petro Plauto Theologiæ Profeſſore, & Joanne Parvo, de quo mox diximus. Horum primus in Toloſanæ Academiæ epiſtolam, quæ obedientiæ ſubtractioni impietatis notam inuſſerat, acriter declamavit. Alter vero exaggeratis omni ratione vexationibus, quibus Eccleſia opprimeretur, tandem obedientiam eſſe ſubtrahendam concluſit, dixitque, hac prætermiſſa via de reſtauranda Eccleſiarum unione conclamatum eſſe. Verum eoipſo die totius negotii ratio ſuſpenſa hæſit, ſequenti vero, id eſt, ſexta Junii, Joannes Juvenalis Urſinus Advocatus Regius ſententiam ſuam edixit, nempe Toloſanæ Univerſitatis epiſtolam tanquam ridiculam, mordacem, Regique injurioſam omnino dilacerandam, atque ejus Auctores velut reos læſæ Majeſtatis puniendos. Poſtulabat inſuper, ut Benedicto denegaretur obedientia, quod ille conditionem, ſub qua reddita eſſet, ſcilicet ceſſionem,

Clemangis in faſciculo rerum.

nem, licet ab eo promiſſam, non adim- Sæcul. XV.
pleſſet. Diu multumque ea res agitata A.C. 1406.
eſt, tandem vero nonniſi Toloſanæ Academiæ cauſſa definita fuit, ejusque epiſtola per ſententiam die decima ſeptima Julii emanatam Toloſæ & Avenione publice dilacerata eſt, ſalva inſuper manente Procuratori Generali in ejusdem quoque Auctores animadvertendi facultate. Quibus peractis Cardinalis Legatus hoc tribunal Pontificis ſui poſtulatis minus propitium advertens diſceſſit, & quam citiſſime Maſſiliam ad Benedictum reverſus eſt.

§. LIII.

Alia ſententia de ſubtractione obedientiæ.

Alterum Senatus Decretum nonniſi un- *Monach.*
decima Septembris die editum fuit, *S. Dionyſ.*
quod Pariſienſis Univerſitatis Hiſtoria *l. 26. cap. 2.*
tomo quinto integrum recitat. In eo prohibetur, ne Quæſtoribus Papæ deinceps quicquam ſolveretur, aut argentum vel aurum ad ejus Curiam transferretur, item declaratur, quod Benedictus haud amplius exigere valeat annatas fructuum, procurationum, & aliarum obventionum a Prælaturis, atque aliis quibuscunque Beneficiis tam antea, quam modo vacan-

Sæcul. XV. A.C. 1406.

tibus, vel inpoſterum vacaturis præſtandas. Tandem ſancitur, quod qui ob memorata onera non ſoluta, excommunicationis ſententia perculſi eſſent, ab ea abſoluti cenſerentur, donec aliter proviſum fuerit. De generali autem obedientiæ ſubtractione eodem edicto ſtatutum fuit, hujus Articuli definitionem usque ad feſtum Omnium Sanctorum remittendam eſſe, ut in Generalibus Cleri Gallicani comitiis, ad quæ omnes Franciæ Prælati convocandi eſſent, ultimata ſententia proferretur.

§. LIV.

Subtractionis ſententia Pariſiis in Comitiis Generalibus promulgata.

Hæc Comitia ad diem feſtum S. Martini auctoritate Regis indicta, & præſentibus Carolo VI, Delphino, Principibus, Coronæ Officialibus, totoque ſupremo Senatu, omnibusque Præſulibus, qui jam antea Pariſios confluxerant, in Palatio regio celebrata fuere.

Duodecim denominabantur Doctores ultro citroque peroraturi, ſex, qui Benedicti cauſſam agerent contra ſubtractionem, & ſex alii, qui pro Univerſitate dicerent adverſus Benedictum. Hujus Ponti-

Pontificis Advocati erant Amelius Du Brellius Archiepiſcopus Turonenſis, Petrus de Alliaco Cameracenſis Epiſcopus, Guilielmus de Philaſtrio Rhemenſis Decanus poſtea Cardinalis. Qui vero Univerſitatis cauſſæ patrocinabantur, erant Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, Petrus Regis, vulgo *le Roye* dictus, Montis ſancti Michaelis Abbas, Petrus ad Boves Franciſcanus, Theologiæ Doctor, Petrus Plautus, & Joannes Parvus pariter Doctores. Ad calcem Hiſtoriæ Concilii Conſtantienſis a Bourgeſio de Chatenet conſcriptæ, & anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo octavo Pariſienſibus literis excuſæ leguntur ferme omnes Orationes tunc temporis Gallico idiomate habitæ, quibus eas perlegere vacabit, ilias nonniſi vano verborum apparatu, inſulſis, & a ſcopo longe aberrantibus ſimilitudinibus refertas comperient; Verbo, ut inquit, Abbas Fleurius, *orationes iſtæ verbis multis pauca admodum comprehendunt rationum momenta*; unicum horum exemplum proferre juvat. Petrus ad Boves dictus, ceterorum primus hocce modo perorabat. Nihil omnino nec de idiomate, nec de orthographia immutabimus.

Sæcul. XV. A. C. 1406.

Sæcul. XV.
A. C. 1406.

§. LV.

Oratio Petri ad Boves dicti in hoc conſeſſu habita. (*)

Hiſt. Univerſ. Pariſienſ. tom. V. pag. 120.

„ Je vous dirai, mes chers Seigneurs, „ pourquoi j'ai ceci mis en avant. Par „ ce cercle nomé *Halo*, que l'on voit en„ tour le corps du Ciel, je entends ce „ ſciſme ; car pour la grande ſimilitu„ de, que je voi, qu'ils ont l'un a l'autre, „ & en la fourme de leur figure, qui „ est ſpherique, & circulaire .... He„ las ! le ſcisme present n'a-t-il pas „ bien fourme d'un cercle, ou l'on ne „ trouve ne fin, ne iſsuë? Plusieurs ont „ été autres Scismes ; mais ce ne fu„ rent que demi cercles : ce n'étoient, „ que lignes droites, oú on trouvoit „ tantot le but, & les mettoit-on en „ leur affin. Mais en ce ſchisme present „ nous ne trouvons ne fonds, ne rive... „ Si les parties de la circonference „ touchoient au point du milieu, le cer„ cle seroit despecié. Ainsy ſemble-t-il „ des deux Seigneurs, desquels depend „ cette besogne. Trop bien demeurent „ entour

(*) *Ut lector Gallici idiomatis peritus perſpiciat, quam inconcinna fuerit Petri oratio, eandem integram huc referimus.*

„ entour le milieu de la raison, entour Sæcul. XV.
„ le point de union. Qui eſt le milieu A.C.1406.
„ de la raison? Qui eſt le point de u-
„ nion? C'est le point de ceſſion. C'esſt
„ le moïen plus raisonnable, & le point
„ plus expedient pour venir tost a u-
„ nion. Entour le point trop bien tour-
„ nent, querents alibi forains. Ambi-
„ tion de presider & convoitise de pos-
„ ſeder c'est le vent figuré en Job. &c.

Orationis verſio linguæ Gallicæ vitio accommodata.

„ Dicam vobis, amantiſſimi Domini,
„ quare iſta ante omnia dixerim.
„ Nam per hunc circulum, qui *Halo* di-
„ citur, & quem circum circa cœli cor-
„ pus videmus, præſens ſchiſma intelli-
„ go, quippe ob maximam ſuam affini-
„ tatem, quam inter ſe habere depre-
„ hendo, & propter formam ſuæ figuræ,
„ quæ ſphærica, & circularis eſt . . .
„ Eheu! Schiſma hoc, nonne æque ex
„ circulo, in quo nec finis nec exitus
„ habetur, formatum eſt? Plura alia da-
„ bantur Schiſmata, ſed hæc nonniſi ſemi
„ circuli erant, duntaxat lineæ rectæ
„ erant, in quibus aliquando terminus
„ reperiebatur, & quæ ad ſuum finem
„ ducebantur. Verum in Schiſmate
„ præſenti nec fundum nec ripam inve-

Sæcul. XV. A. C. 1406.

„ nimus . . . . Si circumferentiæ par-
„ tes punctum medii attingerent, circu-
„ lus esset divisus. Idem videmus in
„ hisce duobus contendentibus, a quibus
„ tota dependet præsens calamitas. O-
„ ptime morarentur circa punctum ra-
„ tionis, circa punctum unionis. Quod-
„ nam est illud punctum rationis? quid
„ est punctum unionis? Est punctum
„ cessionis Hoc est medium omnium
„ prudentissimum, & punctum ad conse-
„ quendam brevi unionem, vel maxime
„ expediens. Nimium circum circa hoc
„ punctum volvuntur, qui tergiversatio-
„ nes quærunt. Præsidendi Ambitio,
„ & possidendi cupiditas, istæ, istæ sunt
„ ille ventus in Jobo figuratus &c.

Hisce non minus insulsis, quam jejunis locutionibus, absurdisque floseculis conspersam iste Doctor declamavit orationem, quam tandem absolvit, Benedictum, & Innocentium contumeliosis juxta ac mordacissimis verbis omnium, quæ retulerat, malorum Auctores denuncians. Finito hoc sermone Joannes Parvus suum tam in hac, quam in proxima sessione auspicatus est.

Ambos hosce Doctores die Sabbati ante Dominicam primam Adventus Simon Cramaudus excepit, demonstrans, Pontifices ad conservandam Ecclesiæ unionem

nionem conſtitutos eſſe; proin rejicien- Sæcul. XV.
dos, qui, exemplo utriusque hujus Com- A.C.1406.
petitoris, non ſolum illam promovere negligerent, ſed etiam eandem turbarent, ac funditus everterent, additque, ex utriusque obedientia Oecumenicum convocandum eſſe Concilium, in quo decerneretur, neutri Pontifici obedientiam præſtandam eſſe. Poſtea quædam, quibus Eccleſia durante ſubtractionis tempore régeretur, ſubjecit media, vi quorum I. Provincialia, atque ordinaria celebrentur Concilia. II. Servetur appellandi ordo ab Epiſcopis ad Archiepiſcopos, & ab illis ad Primatem. III. Sit minus frequens diſpenſationum uſus, utpote quas rarius concedere, longe conſultius fore exiſtimabat. Abſoluta hujus Præſulis oratione, Cancellarius eos, qui in favorem Benedicti dicturi aderant, interrogabat, utrum, quæ proferrent, haberent; his vero ulteriores petentibus inducias proximam Mercurii diem præfixit.

§. LVI.

Oratio Guilielmi Philaſterii pro Benedicto.

Præſtituto die Guilielmus Philaſterius Rhemenſis Decanus præſentibus Rege, atque Principibus pro Benedicto perorabat.

Sæcul. XV. A.C.1406.

orabat. Ac primo quidem oſtendit, nemini ex cunctis Nationibus hic congregatis competere auctoritatem Papam judicandi, minus vero condemnandi; Dein multis deprædicavit pietatem Benedicti, generis nobilitatem, morumque integritatem, antequam purpuram induiſſet, qua demum atque Pontificatu decoratus omnibus præfulſiſſet aſſiduo virtutum exercitio, præcipue ardentiſſimo procurandæ unionis ſtudio. Tandem intulit, Benedictum (ut dictitabat ipſe) præſtitiſſe plura, ac quidem ſui muneris ratio exegiſſet, ideoque defectionem ab ejus obedientia eo magis injuſtam eſſe, quod ſine omni adjecta conditione in ejus obedientiam Galli rediiſſent. Demum exiſtimabat Philaſterius, ejusmodi ſubtractionem non ſolum æquitati adverſam, ſed prorſus inutilem, ſcandaloſam, ac periculis plenam eſſe, nec ullo pacto per eam Pontifici clavium poteſtatem aufferri poſſe. Verum cum præfatus Doctor in ſua oratione Galliarum Regem ſceptrum ſuum Pontifici debere affirmaret, vel ſaltem id innuere videretur, adeoque ad extollendam Papæ auctoritatem, Regis dignitatem deprimeret, imo eidem lepræ pœnam adducto Regis Oziæ exemplo tacite comminaretur, in Seſſione die quarta Decembris habita, injuriam reſarcire, culpam ſuam confiteri, ac petita teme-

temeritatis venia palinodiam canere compellebatur. Eodem die Archiepiscopus Turonensis, sed cum majori animi moderatione, ac minori verborum vehementia, quam paulo antea Philasterius pro Benedicto perorabat. Sæcul. XV. A.C.1406.

§. LVII.

Petrus de Alliaco pariter pro Benedicto loquitur.

Præterlapsis octo diebus, nimirum undecima Decembris ejusdem Mensis Petrus de Alliaco Cameracensis Episcopus, postmodum Cardinalis causſam Benedicti propugnaturus exedram conscendit. Satius longe fuisse affirmat, si totum negotium in consessu minus numeroso & mediante Legatorum opera pertractatum fuisset. Dein declarat, nullatenus sibi in animo esse adversus cessionis viam declamare, quam non modo bonam, sanctamque censeret, sed semper sibi probatam habuisset. Post hæc Universitatem summis laudibus celebrat, quædam tamen illius membra in sermonibus suis, non nihil acerbioribus contra Pontificem indignationis motibus efferbuisse redarguit. Factis hisce præliminaribus concludit, omnino necessarium esse, ut Concilium non quidem utrius- *Hist. Univers. Paris. tom. V. p. 133*

Sæcul. XV. A.C. 1406.

que obedientiæ Oecumenicum (cum tale haud permitterent præsentes rerum circumstantiæ) bene tamen Concilium ex obedientia Benedicti convocaretur, atque in eo opportune caperentur consilia pro celebranda utriusque obedientiæ Synodo, in qua unionis, ac reformationis Ecclesiæ negotium omni studio promoveretur. Cum vero Universitas Benedictum tanquam Schismaticum, & Patriarcha Alexandrinus illum velut hæreticum fugillassent, Petrus de Alliaco totam reliquam sermonis sui partem refellendis binis hisce accusationum capitibus impendit, concludens, missis omnibus rationibus, quas pro asserenda subtractionis via in medium protulissent, nihilominus Benedicto obedientiam nullo pacto denegandam esse. Oratio ista tantopere offendit Universitatem, ut conventum mox egerit de castigando Petro Alliacensi deliberatura. Hic vero provocavit ad Regem; Equidem Joannes Parvus Universitatis caussam in se suscepit defendendam: prævaluit tamen Petri Alliacensis appellatio.

§. LVIII.

Oratio Abbatis montis S. Michaelis.

Satis itaque perspectis iis, quæ Advocati in defensionem Benedicti proposuerant.

rant, Cauſſidicis quoque Univerſitatis dicendi facultas data eſt. Horum primus, qui peroravit, Petrus Regis, alias *le Roye* dictus, Montis Sancti Michaelis Abbas fuit. Differebat perquam copioſe de Auctoritate Conciliorum Generalium ſupra Papam, de jure Ordinariorum in conferendis beneficiis, & de ſummorum Pontificum exactionibus. Poſtmodum ſermonem ſuum ad ipſum Regem convertens, illum ad extirpandos hoſce abuſus, & ad ſtrenue reſiſtendum Uſurpatori, Eccleſiam bonis ſuis exſpolianti, adhortabatur. Tandem neminem ob metum intentatæ excommunicationis turbandum aſſerebat, quia Schiſmatico, atque hæretico Pontifici non modo nulla obediendi obligatio, ſed eidem obſequi crimen foret. Poſtridie, atque etiam die tertia Petrus Plautus Eccleſiæ Pariſienſis ad Beatam Virginem Canonicus ſermonem habuit, ac poſteaquam in hoſce duos Pontificiæ dignitatis Competitores invectus fuerat, tandem ſubtractionis viam amplectendam decidit, donec ad totalem ſchiſmatis extirpationem Concilium Generale convocari poſſet. Idem ſummis laudibus extulit Regis auctoritatem, quam *poteſtativam*, atque *auctoritativam* nuncupavit; cum econtra Pontificiam re quidem ipſa ſupremam, ſimul tamen miniſteria-

Sæcul. XV. A.C. 1406.

lem

Sæcul. XV A.C. 1406.

lem esse dixisset. Quibus suam absolvit orationem.

§. LIX.

Refutatio a Philasterio Rhemensi Decano facta.

Die sequenti sexta decima Decembris Rhemensis Decanus utrumque Abbatis Montis S. Michaelis, & Petri Plauti orationem contrario diluit responso. Præprimis duplicem statuit potestatem, unam spiritualem, quam comparabat Soli, temporalem alteram, quam Lunæ similem dixerat; supponens, Christum utpote utraque insignitum utramque Divo Petro communicasse. Inde vero intulit, Pontifici dominium esse in bona temporalia Regum. Præmissa hac utriusque potestatis differentia, jurisdictionem earundem exponit, statuitque Regi integrum non esse, debitam summo Pontifici subtrahere obedientiam, cum nec Regi competeret eundem judicandi potestas: proin ad inducendam ejusmodi subtractionem requiri Synodum ab ipsomet Pontifice convocandam, eoque Præside celebrandam, alias nullam fore: in tali Synodo Papam suo remittendum judicio, & Principum auctoritate, si necessitas exigeret, ejusdem Synodi decreta

creta executioni mandanda, ac nemini nisi huic ipsi Concilio competere potestatem hanc dijudicandi quæstionem: *Utrum Benedictus sit Schismaticus vel non? quamvis schismatis accusetur, nisi prius secundum juris præscripta talis esse probatus fuerit?* Demum adstruit, præsentem confessum, atque illos omnes, ad quos sermonem suum dirigeret, legitimæ Synodi vim non habere, cum illi potestate spirituali carerent, temporali vero in Conciliis locus haud esset. Inde Orator transit ad Pontificis potestatem in Beneficia, cujus prærogativam supra Concilia generalia nimium quantum extollit,

Sæcul. XV. A C. 1406.

§. LX.

Advocatus Generalis hisce comitiis finem imponit.

Postridie Patriarcha Alexandrinus pro Universitatis sententia sermonem habuit, quem excepit Turonensis Archiepiscopus Pontificis causam defensurus, & tandem Joannes Parvus ejusdem Universitatis jura protecturus. Verum cum hi nec specialia nec nova afferrent, Joannes Ursinus Generalis Advocatus & illius Ursini Parens, qui posteris Caroli VI Historiam descriptam reliquit, celebrem hunc confessum suam proferendo sen-

Sæcul. XV. A.C. 1406.

sententiam absolvit. Orationis initium a jure convocandi concilia desumebat, quod penes Regem esse, pluribus etiam Historiæ Ecclesiasticæ monumentis comprobabat, & non minori vi pro jure eligendi Antistites Regi asserendo declamabat. "Olim, inquit, Romani Episco„ pi electio Ecclesiasticorum, ac Laico„ corum suffragiis perficiebatur; Ceteri „ Episcopi sunt illius Confratres, atque „ eodem, quo ille, electionis jure potiun„ tur „. His dictis petit, ut Ordinariis possessio jurisdictionis suæ sarta, tectaque conservetur, & deinceps ab Episcopo ad Archiepiscopum, & ab illo ad Primatem appellatio interponatur, instatque, ut ad tuendam hanc Ecclesiæ disciplinam frequenter Provincialia convocentur Concilia. Tandem vero concludit, per Synodum modo congregatam Galliarum regno jam satis esse provisum, Regni Prælatis consilium a Rege esse petendum, hunc vero posse eos congregare, talique Concilio, uti Imperator Imperio suo, præesse, denique Regem, cuncta, quæ publicæ utilitatis essent, intra Regni sui fines, adhibitis Academiæ consiliis, decernendi potestatem habere; de cetero in præsenti Concilio non agi de ultimato in Pontificem judicio, sed illud unice, ut Gallicanæ provisum sit Ecclesiæ, convocatum fuisse.

§. LXI.

Sæcul. XV.
A.C.1406.

§. LXI.

Prælatorum, atque Universitatis suffragia super ultimo consessus decreto.

Cancellarius, absoluta Generalis Advocati oratione, nomine Principum (Rex quippe absens erat) solos Prælatos postera die ad eundem locum convenire jubet, ut suis suffragiis gravissimum hoc negotium ad exitum deducerent. Hi itaque omnes præstituta die totius caussæ seriem referentes, communibus votis in eam abierunt sententiam, ad schisma penitus abolendum utriusque obedientiæ Synodum esse congregandam. Sed non idem omnibus placuit amplectendæ subtractionis consilium; Vicerunt tamen plurimorum suffragia illam decernentium, simulque statuentium, ut deinceps eo modo, quo tempore primæ subtractionis observatum fuisset, tam Ecclesia Gallicana regeretur, quam beneficia conferrentur. Quod decretum ut sua firmitate consisteret, Universitas omnia sententiæ suæ capita ad Concilium deferre jubebatur; cui rei residuam mensis partem dicabat.

Hist. Univers. Paris. tom. V. p. 134

Gerson. tom. I. p. 20.

§. LXII.

Sæcul. XV. A.C. 1406.

§. LXII.

Innocentii VII Papæ obitus.

Congregatus adhucdum erat Conventus Nationalis Gallorum, cum fama de morte Innocentii VII Lutetiam perferretur, qui ſexta Novembris die anno reſtauratæ ſalutis milleſimo quadringenteſimo ſexto apoplexia tactus mortalitatem exuiſſe dicebatur. Rumor quidem erat, illum propinato veneno extinctum eſſe. Aſt Leonardus Aretinus, qui ejus fato præſens aderat, morte naturali Pontificem occubuiſſe in quadam Epiſtola ad Franciſcum Cortonæ Principem in hanc rem ſcripta teſtatum reliquit. Extremum ergo diem clauſit Romæ in Baſilica Vaticana ætatis ſuæ circiter ſeptuageſimo, ſecundo vero Pontificatus ſui anno. Corpus ejus in eadem Eccleſia apparatu vere inſigni terræ mandatum fuit. Galliarum Rex comperto Innocentii obitu vigeſima tertia Decembris die, annuente Concilio, ad quatuordecim Cardinales Romæ reſidentes literas dedit, novi Pontificis electionem, ut differrent, rogans, pariterque ſignificans, non minus ſe, quam totum Concilium, ſumma animi lætitia percepiſſe, eos, antequam ad ipſum pro exploranda ſua mente Legatos miſiſſent, ad novam electionem nullo modo

Aretin. in epiſt. ad Franc. Princ. Cort.

Gobellin. p. 283.

Niem. lib. 2.

modo progredi ſtatuiſſe; Præterea ſcribebat, ex eo, quod Benedictus, emergente Competitoris ſui morte, Papatu ſe abdicare jurato ſpopondiſſet, jam non modicam redintegrandæ pacis, quam tanto tempore fruſtra exoptaſſet, ſpem affulgere. Si vero, ſubjungit Rex, præter omnem noſtram expectationem, ipſe ſuam ceſſionem, vel differret, vel omnino recuſaret, ipſimet Prælati noſtri de certi Pontificis electione vobiscum communicabunt conſilia. Tandem hortatur, ut electione ſuperſedeant, donec utrinque Oratores expediti fuiſſent. Verum hæc Regis epiſtola juſto tardius advenerat. Sæcul. XV. A.C. 1406.

§. LXIII.

Cardinales Innocentio addicti Conclave ingrediuntur.

Jamjam die octava Novembris Cardinales, numero quatuordecim conclave ingreſſi fuerant; horum vero nomina ſunt, ut ſequuntur: Cardinalis Angelus, patria Florentinus, Epiſcopus Oſtienſis; Henricus Cardinalis Neapolitanus, Epiſcopus Tuſculanus; Cardinalis Antonius dictus Aquilejenſis Prænestinus Epiſcopus; Angelus Laudenſis Cardinalis Presbyter tit. S. Potentianæ; Conradus Cardinalis, tit. S. Chryſogoni Melitenſis; *Niem. l. 3. cap. 2.*

Sæcul. XV. A.C. 1406.

Angelus Cardinalis tit. S. Marci, dictus Constantinopolitanus; Jordanus de Ursinis Cardinalis tit. S. Martini; Joannes Ravennas tit. Sanctæ Crucis; Antonius Tudertinus Cardinalis tit. S. Praxedis; Raynaldus de Brancaciis Cardinalis Diaconus S. Viti; Landulphus Barensis tit. S. Nicolai; Cardinalis Otto de Columna S. Georgii, & tandem duo Cardinales, Leodienses dicti, Petrus S. Angeli, & Joannes S. Cosmæ. Hi ante omnia maturo subjiciebant examini, utrum attento præsenti Ecclesiæ statu alium Pontificem in demortui locum sufficere expediret? sed suffragantium animi in duas secabantur sententias.

§. LXIV.

Opinionum varietas in hoc conclavi.

Horum nonnulli electionem differendam censebant, donec plenius constaret, quibus mediis Gallia, quæ certissimam extinquendi schismatis viam proposuerat, uti decreverit, ut Benedictum, evenientе æmuli sui obitu ad dimittendum Pontificatum urgeret, prout ipsus promiserat. Si enim, inquiebant isti, hoc ad exitum perveniret, ob singulare Galliarum Regis studium, atque auctoritatem certo certius sperandum fore, jam omnibus in unum sensum conspirantibus, talem,

talem, qui ab universo Orbe acceptare- Sæcul. XV. A. C. 1406.
tur, Pontificem communibus suffragiis eligi posse. Alii ex adverso dicebant, non levia ex longiori electionis mora, timenda fore pericula, maxime, ne forte Romæ novi suscitarentur tumultus, Romanis, cum nullus interim Urbis gubernacula teneret, facile temporalem sibi auctoritatem denuo vindicaturis. Dein, Benedictum jam aliunde, insuperhabita fide toties data ad deponendum Papatum minime pronum, abs dubio hanc cunctationem in rem suam versurum, ac magis magisque animum in solita sua pervicacia obfirmaturum, certa spe fretum, quod, cum præter se ipsum nullus alius renuntiatus sit Pontifex, sensim totus orbis in sui obedientiam concessurus sit. In hac opinionum varietate, quid tandem conclusum fuerit, percipiamus.

§. LXV.

Conditiones, sub quibus Electio Pontificis decreta fuit.

Tandem Papam eligere statuunt, ea tamen lege, ut electus se nonnisi velut Pontificii muneris Administratorem gereret, ac Papatu cederet. Ergo vigesima tertia Novembris in Conclavi publicas conficiunt tabulas, vi quarum singuli *Theod. Niem de schism. lib. 3. cap. 1.*

Sæcul. XV. A.C. 1406. Cardinales tactis sacrosanctis Evangeliis jurarent, quemcunque eorum ad Pontificiam dignitatem assumi contingeret, eum juri suo, ac Papatui, libere, ac simpliciter renuntiaturum, si Antipapa pariter aut cederet, aut obiret, & utriusque obedientiæ Cardinales in unum communi sententia conspirarent: Si quis vero ex Cardinalibus absentibus assumeretur, easdem omnino conditiones adimplere adstrictum fore; Necnon à Neoelecto Papa infra mensem a die inaugurationis suæ computandum, Antipapam, ejusque Cardinales, Imperatorem, Reges, Principes, Prælatos, Universitates, & totius Orbis Christiani Communitates de sua electione, atque præfatis conventis certiores reddendos, suisque epistolis significandum, infra tres Menses locum ad tractandam unionis caussam idoneum communi consilio definiendum fore, ac se cessionem, atque omnem aliam rationi consonam viam amplecti paratum esse. (Hæc clausula ad impune eludendam cessionem consulto adjecta videtur) Præterea a novo Pontifice promittendum, se pendente unionis tractatu nullos creaturum Cardinales, nisi Cardinalium suo æmulo addictorum numerum coæquandi necessitas aliter suaderet. Tandem, se statim post suam electionem, ac coronationem, sicut etiam in primo publico

Patrum

Patrum Senatu a se cogendo omnia al- Sæcul. XV.
testata conventa solemni ritu confirma- A.C. 1406.
turum, erecto desuper instrumento manu propria signando.

§. LXVI.

Electio Angeli Corarii sub nomine Gregorii XII.

Omnes Cardinales publicis hisce tabulis subscripserunt, & ad hanc formulam observandam juramento sese obstrinxerunt. Ergo trigesima Novembris die in festivitate S. Martini uno animo, omniumque suffragiis Pontificem salutarunt Angelum Corarium Nobilem Venetum, Patriarcham Constantinopolitanum, Presbyterum Cardinalem tituli S. Marci, septuagenario majorem, nonnulli eundem omnino octogesimum ætatis annum attigisse referunt; Gregorius XII nuncupari voluit. Hunc ipsum laudatam juramenti formulam summo procurasse studio historica testantur monumenta. Igitur in Conclavi statim peracta sui electione eadem pacta, atque juramenta rata habuit, & præsentibus iisdem Cardinalibus, omnibusque Prælatis verba fecit, in quibus desiderium, quo Ecclesiam sub uno solo capite adunatam conspicere ardentissime flagraret,

Niem. lib. 3. cap. 12.

Aret. Ital. pag. 256.

Sæcul XV. A.C. 1406

tanta vi expressit, ut sua opera tandem schisma radicitus extirpatum iri, nemini ultra ambigendi locus supereſſe videretur. " Ad quemcunque demum locum, „ inquiebat, ubi unionem fieri oporte- „ ret, nulla mora me transferam, unice „ ut promissa mea adimpleturus ingens „ hoc negotium absolvam, & si forte il- „ luc per mare transire debeam, navigiis „ autem carerem, etiam parvæ cym- „ bæ me committam; si vero terre- „ stri itineri cetera quæque deessent, pe- „ dibus & baculo meo sustentatus ad „ perficiendam Ecclesiæ pacem pergam.„ Verum eventus hisce speciosis promissis neutiquam conveniebat.

§. LXVII.

Ingenium & mores Gregorii XII Papæ.

Aubery hist. Card. tom. II. pag. 2.

Gregorium Historici præclaris celebrant elogiis. Omnes Ecclesiæ dignitatum gradus non sine ingenti laude pertransiit. Cum adhuc Venetorum Episcopus esset, a Bonifacio IX tanquam extraordinarius Legatus ad regnum Neapolis mittebatur, ut hujus regni Metropolim suo hortatu Ladislai imperio adjiceret; quo negotio sibi demandato feliciter perfunctum idem Papa creavit Marchiæ

Marchiæ Anconitanæ Legatum, tandem vero ob eximia in Eccleſiam merita dignitate Cardinalitia decoravit, qua etiam ab Innocentio VII anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo quinto donatus præfulſit. Ingenii ſui aciem ſtudio indefeſſo adeo feliciter exacuit, ut in Theologicis diſciplinis peritiſſimus audiret, nec minus ob morum integritatem commendandus; nil officiorum ac dignitatum, quibus continuo fungebatur, periculis candorem vitæ ſuæ obfuſcantibus. Indolis erat admodum mitis, & ad debitæ moderationis regulas compoſitæ, atque antequam ad ſupremum Pontificatus apicem aſcenderet, ab omni ambitionis affectu valde alienus videbatur. Cardinales harum virtutum ſplendore pellecti Gregorium ad ſupremum Pontificatum evexerunt, nequaquam dubitantes, quin quocunque demum tempore, ſi id pacis bonum exigeret, eundem relicturus, & ad revocandam Eccleſiæ unionem ſine dolo collobaraturus eſſet. Sæcul. XV. A.C.1406.

§. LXVIII.

Epiſtolæ Gregorii ad Benedictum, ejusque Cardinales, Principes, Episcopos, & Academias.

Gregorius non aliter, ac ceteri Cardinales pacis negotium omnibus viri- *Niem. in nemore unionis pag. 196. tom. 1. c. 1.*

Sæcul. XV. A. C. 1406.

bus procurare ante suam electionem promiserat, & postea quoque ratihabuit; ut vero exequendæ suæ sponsionis prima jaceret fundamenta, ante ipsam suam inaugurationem ad Benedictum tunc temporis Massiliæ commorantem literas dedit, quibus communicato animi sui consilio declaravit, se nullatenus tergiversationibus, aut fallacibus artificiis Ecclesiam decepturum, quinimo, quo validiora juxta ac certiora sua essent jura, tanto laudabilius, atque securius sibi videri, si pro redintegranda Christianæ Reipublicæ concordia cunctis hisce cederet juribus; hinc paratissimum sese esse ad renuntiandum Papatui, dummodo pariter æmulus prætenso juri se abdicare voluerit; in hoc secuturum se exemplum veræ illius Matris, quæ proprium filium amittere, quam in partes secari præoptasset, quamvis illum suum esse, certissime sciret. Hæc Epistola Romæ die undecima Decembris anno Domini millesimo quadringentesimo sexto scripta, a quodam fratre Laico Ordinis S. Dominici ad Benedictum perlata est. Dedit quoque literas iisdem ferme sententiis conceptas ad Cardinales Benedicti, necnon Encyclicas ad omnes Principes, Prælatos, atque Universitates, contestans, se pro bono pacis Papatu libentissime cessurum, simulque hortatus, ut & ipsi, quantum

tum potentia, atque auctoritate valerent, ad tam sanctum, tamque necessarium opus concurrerent. Sæcul. XV. A. C. 1407.

§. LXIX.

Subtractionis Decretum ab Ecclesia Gallicana editum & a Rege confirmatum.

Cum interea Gregorius ejusmodi literis ad Ecclesiæ unionem, quam tantopere desiderare credebatur, universum excitasset orbem, die tertia Januarii anno millesimo quadringentesimo septimo Nationali Gallorum Concilio exhibentur Articuli ab Universitate Parisiensi in caussa cessionis concepti. In illis ergo decretum fuit, quemlibet Pontificem, quotiescunque a Cardinalibus requisitus esset, ad amplectendam abdicationis viam teneri, si vero cedere disertis verbis recusaret, eundem tanquam perjurum, Deo & hominibus perfidum, de fide ac Religione perperam sentientem habendum esse, atque ut talem hæresis suspicionem incurrere, ejusdem incusari, & velut hæreticum declarari posse. Hosce articulos Universitas ad sex reducebat capita, ex quorum summa Ecclesia Gallicana Decretum condidit, quod Rex die septima Januarii ejusdem anni edicto

Sæcul. XV. A. C. 1407.

confirmavit, declaravitque, pro reformatione Ecclesiæ in suo Capite, ac membris Universale Concilium convocandum esse; & generalem obedientiæ subtractionem decernendam, ita tamen, ut nec Benedictus, nec Gregorius tanquam summi Pontifices colerentur; interea temporis Ecclesiam Gallicanam priscis suis usuram libertatibus, secundum juris communis præscripta, prout durante prima subtractione observatum, deinceps regendam. Omnibus ita absolutis solemnis instituta est supplicatio, cui sexaginta sex Episcopi cum ingenti Abbatum numero intererant. Executio tamen præfati decreti ad tempus suspensa permansit, ingenti rerum vicissitudine interim Romæ suborta.

§. LXX.

Epistola Benedicti ad Gregorium Papam.

Niem de Schism. l. 3. c. 13.

Benedictus Epistola Gregorii vix accepta, confestim rescribit, & dilaudato sancto illius proposito constantiam commendat, declarans, se quoque haud segniori ac ipsum animi studio schismatis extinctionem peroptare, atque ad accelerandum hocce negotium se esse promptissimum, ideoque ad eundem cum illo locum

locum utrique commodum brevi venturum, ac de unione Ecclesiæ acturum, ibidemque sub propositis conditionibus juri suo renuntiaturum. Tandem etiam insinuat, se summo desiderio Gregorii Legatos exspectare, & hunc in finem iisdem securitatis literas transmittere. Hæc Epistola data est Massiliæ apud S. Victorem trigesima prima Januarii. Cardinales Gregorii literas unacum Benedicti responsoriis ad Bituricum Ducem mittunt, simulque suam adjiciunt epistolam, qua Ducem exorant, ne, cum semel de mutuo utriusque Competitoris congressu feliciter conventum esset, quicquam usque ad illud tempus vel in favorem Gregorii, vel in odium Bonifacii decerni pateretur. Sæcul. XV. A.C.1407.

§. LXXI.

Literæ publicæ Galliarum Regis.

Carolus VI Galliarum Rex, comperta utriusque Pontificis prompta ad cedendum voluntate, edicti sui executionem suspendit, atque legationem maxime solemnem ad utrumque decernit. Prius vero, quam id fieret, ad omnes Christi fideles Regias expedivit literas, quibus eosdem certiores reddidit, se ad Benedictum & Gregorium utpote cessionis viam amplectentes, suos missurum Lega- *Niem in nem. unionis pag. 203.*

Sæcul. XV. A. C. 1407.

Legatos, qui utrumque hunc Competitorem inducerent, ut eandem abdicationem edita Bulla confirmarent, & postmodum duo Cardinalium Collegia in eodem loco ad novi Pontificis electionem ibidem instituendam convenire juberent. Si vero ad protelandum hocce negotium nova quærerent subterfugia, aut omnino cedere renuerent, tunc ex sententia ipsius Concilii se Gallicanæ Ecclesiæ præcepturum, ut omnes se ab illis tanquam schismaticis ab Ecclesiæ corpore abscissis separarent, nullamque ultra eis deferrent obedientiam. Denique Cardinales, qui saniorem partem secuti fuerint, unacum illis alteriusCollegiiPatribus convenirent, unum electuri Pontificem. Si autem inter illos dissensionis Zizania succresceret, tunc legati regii pro viribus allaborarent, ut dissentientes cum saniore Cardinalium parte ad concordiam reducerentur. Hæc Epistola data legitur die decima octava Februarii anno Regni sui vigesimo septimo.

§. LXXII.

Regis ad utrumque Papam legatio.

Itaque Rex legationem injungit Simoni Cramaudo Patriarchæ Alexandrino, Turo-

Turonenſi Archiepiſcopo, Cameracenſi, Bellovacenſi, Meldenſi, Trecenſi, & Ebroicenſi Epiſcopis; Sancti Dionyſii, Gemeticenſi, Montis S. Michaelis, Clarevallenſi, & Divionenſi ad S. Stephanum Abbatibus, item tribus Viris ſæcularibus, & plusquam viginti Doctoribus, quos inter celeberrimus quoque Joannes Gerſonius Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius numerabatur. Hi omnes præprimis Benedictum tunc temporis Maſſiliæ commorantem accedunt, atque ab eo perbenigne excipiuntur; in itinere vero colloquuntur cum Gregorii Oratoribus, ſcilicet Antonio Bononienſi Epiſcopo, ejus Nepote, Epiſcopo Tudertino, & Antonio de Butrio Bononienſi Doctore, qui Aquis Sextiis agebant; ab illis intelligunt, tandem poſt plurimas diſceptationes in Urbe Savona in Liguria, quæ tum Regis imperio parebat, congreſſum celebratum iri, illucque ambos Competitores ad S. Michaelis feſtivitatem, vel tandem ad initium Novembris venturos, nec non omnia, quæ ad utriusque ſecuritatem neceſſaria forent, viginti tribus articulis rite definita fuiſſe, hac tamen lege adjecta, ut ſi forte quædam in dictis articulis promiſſa, in Savonenſi Civitate, quam ſibi Benedictus ſelegit, executioni mandari non poſſent, hic aliam urbem accepta-

Sæcul. XV. A.C. 1407.

Bochel. in Decret. Eccleſ. Gall. lib. 4. tit. 22. c. 3.

Sæcul. XV. A.C. 1407.

ceptare teneretur, a Gregorio designandam.

§. LXXIII.

Postulata Legatorum a Benedicto.

Gallorum Oratores his omnibus in præfato colloquio perceptis, cognitoque ex Legatis propenso ad cedendum Gregorii animo, Massiliam petunt, Benedictum conventuri. Ibidem appulsi exponunt, Gregorium pro unione Ecclesiæ Papatui cedere paratissimum esse, simulque declarant, a Gallis fuisse decretum, ipsos, si resisteret Papa, utrique obedientiam denegaturos; ideoque ab eo Bullam expectari, qua juxta fidem a se datam, & Regis postulata, cessionem ratam haberet, atque resiliendi libertatem sibi restringeret. Benedictus publice sermonem satis prolixum ad Legatos habuit, & nil hæsitans se cessurum promisit, tot tamen ambigua intexuit verba, ut ad eludendam promissi sui fidem semper sibi plena adhuc maneret libertas; quasdam enim interpretationes reconditas in promptu habuit, quibus, si se nimium in angustias redigi cerneret, opportune utens sese facile extricare posset. Verbo, nihil speciosius, magisque artificiose compositum excogitari poterat, quam hæc ipsa Benedicti oratio. Quoniam vero Legatos

Monach. S. Dionys. t. 3. pag. 577.

gatos nonnisi vano verborum apparatu lactassetⁱ, inter eos fuit conventum, postridie ab illo exigendas esse Bullas, quibus clare, & semotis omnibus æquivocationibus cuncta, quæ mox ad eos verbis expressit, scripto confirmaret. Illud, ut Benedicto proponeret, Archiepiscopo Turonensi commissum fuit, addito simul mandato, ut declararet, attenta utriusque Competitoris multum provecta ætate oppido consultum fore, si de opportunis caveretur mediis, ne alterutro horum, vel utroque e vita migrantibus, utriusque partis Cardinales per duplicem electionem schisma ulterius propagarent; atque ne hoc eveniret, sequens propositum est remedium, nempe, contraria Cardinalium pars ad eligendum idonea declaretur, ut existente mortis casu utrumque Collegium ad unam eandemque electionem concurrere posset. Sæcul. XV. A. C. 1407.

§. LXXIV.

Benedictus Papa cessionem suam Bulla firmare detrectat.

Tota res sic conventa ad Benedictum defertur; verum is spretis omnibus sollicitationibus, quibus ad expediendam cessionis suæ Bullam continuo impellebatur, cunctisque mediis ad hoc obtinendum *Monach. S. Lionys. ibid.*

Sæcul. XV. A.C.1407.

dum fruſtra adhibitis, tandem nil niſi grandiloqua verba dabat, Regem, Legatosque exorans, ut ſinceræ ejus voluntati acquieſcerent, nec plura ab eo peterent, quam ſalvo dignitatis ſuæ honore præſtare poſſet: Ceterum in præcipuo negotii articulo ipſi quoque corde & animo ſuas ſibi jungerent vires, ut Eccleſiæ concordia eo facilius reſtituatur. Interim Bullam deſuper condere, conſtantiſſime recuſabat; Quam ob rem Legati Aquas Sextias redire decernunt, ibidem maturiori deliberaturi conſilio, utrum Gregorianæ legationis eventum præſtolari conſultius eſſet, vel an ſubtractionis decretum, quo inſtructi erant, Benedicto indicandum foret, juxta mandatum ipſis commiſſum, vi cujus, ſi eum pacis conſilia foventem deprehenderent, illud occultum tenerent, ſin vero eundem renitentem, & Bullas expedire recuſantem invenirent, obedientiam ipſi ſubtrahendam fore ſignificarent.

§. LXXV.

Subtractionis edictum Benedicto indicare morantur.

Ibid. l. 27. c. 12 Dupuy hiſt. Schiſm. pag. 368.

Hoc dubium hinc inde ingenti fervore agitatum eſt; Vicerunt tamen negantium ſuffragia, & communi calculo ſub-

subtractionis intimationem suspendendam esse conclusum fuit: timebatur enim, ne edicto Pontifici denuntiato Savonensis impediretur Conventus. Horum quoque consilium placuit Regi, nil moratus querelas ab Universitate propositas; quare sancitum est, duntaxat si necessitas suaderet, hoc edictum Benedicto proponendi libertatem reservandam esse. Quibus ita conclusis Legati in tres partes divisi discedunt. Patriarcha Alexandrinus cum aliis Romam proficiscitur. Archiepiscopus Turonensis, & Abbas Sancti Michaelis Massiliæ cum Benedicto remanent, eo animo, ut illum non solum ad liberandam promissi fidem inducerent, sed etiam ut sedulo cunctas illius explorarent actiones, simulque eveniente illius obitu novi Pontificis impedirent electionem. Tandem Philippus Villetus Abbas sancti Dionysii, Decanus Rothomagensis, & ceteri Lutetiam Parisiorum regressi sunt, rei gestæ rationem reddituri. Sæcul. XV. A.C.1407.

§. LXXVI.

Adventus Oratorum Gregorii in Aula Galliæ.

Interea temporis Gregorii Oratores, ductore Episcopo Bononiensi Pontificis

Sæcul. XV. A. C. 1407.

Nepote ad regiam Franciæ deveniunt, Regemque de ſincera, ac prompta Domini ſui voluntate edocent, declarantes, Gregorium nullatenus partibus ſuis defuturum, quo minus celeriter Eccleſiarum unio perficeretur. Hi Legati perbenigne excepti omne tempus, quo Pariſiis hærebant, e regio penu ſuſtentabantur, & redeuntes magnificis cumulati muneribus, literisque muniti ſunt, quibus Rex Gregorium, & Cardinales Romanos ad bene cæpta pacis conſilia firmiter tuenda adhortatus eſt.

§. LXXVII.

Epiſtola Caroli VI ad Gregorium Papam.

Dach. Spicil. to. VI. pag. 175. Monach. S. Dionyſ. tom. 2. p. 597.

Carolus VI Gregorium appellat Amicum ſibi cariſſimum in ſua ad illum epiſtola, cujus inſcriptio hæc eſt. *Viro ſancti propoſiti, & ferveute charitate illuſtrato, Angelo dicto Corario, quem nonnullæ gentes in hoc deflendo ſchiſmate Gregorium XII nuncupant.* Hunc pro concludenda unione ad impendendos omnes ſuos conatus adhortatur, eidemque inſinuat, ut ad pium hoc juxta ac ſalutare obſequium ſtrenue præſtandum amore impellatur conſervandæ ſublimis ſuæ gloriæ, quam ſibi hucusque in totius hu-

jus

jus negotii proceſſu acquiſivit, ac propterea nullatenus permittat, ſibi adeo amplam, tamque præſentaneam e manibus eripi occaſionem, qua pacem, & concordiam JEſu Chriſti gregi nunc reſtituere poſſet, ſero nimis & fortaſſis nullo amplius tempore Eccleſiæ reddendam. Sæcul. XV. A.C.1407.

§. LXXVIII.

Gregorius pro perficienda unione Savonam pergere renuit.

Pontifex pacem Eccleſiæ promovendi, & tempore præſtituto Savonam pergendi deſiderium continuo ſimulabat, atque hujus itineris occaſione uſus, a ſuæ obedientiæ Eccleſiis pecuniaria exigebat ſubſidia. Hunc in finem die vigeſima tertia Aprilis generalem edidit Bullam, item & aliam ſpecialem prima Junii die ad Henricum IV Angliæ Regem. Verum licet eoipſo tempore Genuenſes, & Savonenſes per decretos a ſe Legatos omnia ſua Gregorio offerrent obſequia, eidem de futura pace gratulantes, imo licet cuncta jamjam eſſent optime diſpoſita pro celebri hocce Savonenſi colloquio, in quo, ambo Pontifices ſponte ſua Papatui ſeſe abdicare, & ſuorum Cardinalium Collegiis novum Pontificem eligendi poteſtatem relinquere deberent, his

Sæcul. XV. A.C.1407.

men nihil obſtantibus, Gregorius Papa, neſcio, an dominandi libidine (quæ aliunde ſenum animos illecebris ſuis faſcinare potentiſſima eſt paſſio) an vero nimio erga conſanguineos, abdicationem Pontificatus ab ipſis ſub illius nomine geſti ægre ferentes, affectu excæcatus, Galliarum Legatis non easdem, quas hi ſperaverant, exhibebat animi propenſiones. Quippe tantopere mutatus erat, ut cum ipſi, quæ Maſſiliæ concluſa fuerant, exhiberent, & eum ad exequenda tam religioſe promiſſa precibus urgerent, ille præprimis Savonam adire recuſat, ſexcenta prætexens ſubterfugia, jam defectum triremium, nunc viatici indigentiam, modo conſenſum omnium ſuæ obedientiæ Nationum adhucdum expetendum, modo metum Ladislai Regis cauſſatus. Præterea alios magis frivolos ſubjungit obtentus, quos inter præcipuus erat, quod memor eorum, quæ Galli Savonæ tunc temporis ſuæ poteſtati ſubditæ adverſus Benedictum moliti fuiſſent, nec ſibi ullo modo in hac urbe ſecuritatem promittere poſſet. Tandem omnia, & ſingula motiva, quæ ad flectendum ejus animum, ut promiſſis ſtaret, proponi poterant, ſemper pertinaci repugnantia eludebat (*).

§. LXXIX.

(*) *Immerito fractæ fidei, aut ambitionis poſtulatur Gregorius. Non colloquium pacis, ſed locum*

Sæcul. XV.
A C. 1407.

§. LXXIX.

Conditiones ab Oratoribus Gallis Gregorio propositæ.

Cuncta hæc Gregorii argumenta facili negotio diluebant Legati, eidem e- contra exponentes, a Buccicaldo Belli duce, ac Genuensium Præfecto, atque a Reipublicæ Senioribus quinque triremes, quibus veheretur, armatas fuisse, necnon urbes, territoria, arces, & Genuensium, ac Vaonensium castella cum plena auctoritate,

Monach. S. Dionys. l. 27. c. 13. & 14.

locum declinavit, utpote sibi ob gravissimas causas merito suspectum. Nam insidias sibi a Petro de Luna paratas, & Ladislai Romam invadendi conatus nequaquam inanem timorem, minus vero fallacia fuisse effugia, eventus probavit; quippe Petrus Buccicaldus classe, ac Genuensium ope armatus inermem Pontificem, ac Romanam ditionem invadere attentavit. Ladislaus quoque, dum Gregorius vix Roma pro colloquio Savonæ celebrando excesserat, copias immisit, & urbis mœnia noctu transcendit, Picenam Provinciam, Asculum, & Firmum in suam redegit potestatem. Tandem omnem ambitionis suspicionem, aut maculam liberrima Pontificatus abdicatione in Concilio Constantiensi facta plene eluit Gregorius, necnon in Epistolis a se in hanc rem scriptis, quæ videri possunt apud Odoricum Raynaldum ad hunc annum.

Sæcul. XV. A. C. 1407.

ritate, donec absolutum fuerit colloquium, Galliarum Regis nomine utriusque Competitoris manibus esse consignandas. Insuper Gregorio, ejus æmulo, cunctisque eorum sequacibus omnimodam pollicentur securitatem, opem, atque obedientiam tam a Vasallis, & utriusque hujus Civitatis subditis, & ad illas attinentibus, quam ab ipsis præstandam Venetis, quibuscum de hoc ipso articulo conveniendi provinciam sibi commissam asserebant. Tandem ipsi quoque ex parte Regis sex triremes offerebant, affirmantes, has regio ære instruendas, & per solidum semestre sustentandas; imo Gregorio, ut suæ magis provisum esset securitati, plenam suo milite hasce naves muniendi fieri potestatem, & a supremo triremium Præfecto Pontifici, omnibusque ipsi subditis, consentiente tamen Genuæ Gubernatore, fidelitatis sacramentum exsolvendum: atque eidem ex nobilioribus Genuæ Viris unum, & ex Primoribus Civitatis Savonensis quinquaginta in obsides tradendos, omnesque triremium Navarchos pariter fidelitatis juramento, & oppignoratis omnibus eorum bonis sese eidem obstricturos, item Regis Oratores semetipsos potius obsides daturos, quam inde discessuros re omnino infecta. Attamen adeo generosis Legatorum oblatis Gregorii animus nullate-

nullatenus movebatur, nec ſeſe flecti per- Sæcul. XV.
mittebat. Ultimatum ejus erat conclu- A. C. 1407.
ſum, ſe hac de re cum ſuo æmulo proxime collaturum,

§. LXXX.

Legati ad Senatus Romani alloquium admiſſi.

Quia vero tunc temporis Romanæ urbis Regimen fuerat penes Senatores, Conſervatores, & Vexiliferos, ſeu civitatis Regionum Capitaneos, Legati priusquam diſcederent, cunctis urbanitatis officia exſolvere, ſuarum partium eſſe judicarunt, quocirca ad alloquium admitti poſtulantes, ſecunda Julii die perbenigne auditi ſunt. Præcipua eorum intentio eo collimabat, ut Senatum certiorem redderent, quanto ſtudio Galliarum Rex unionem Eccleſiæ promovere, ac Gregorium ad ſolvendam promiſſorum fidem inducere conatus eſſet; Poſtmodum ibidem congregatos obteſtantur, ut & ipſi proprii honoris, atque utilitatis ſuæ memores, ad flectendum Gregorii animum pro ſuſcipiendo Savonenſi itinere cum illis ſua quoque jungere velint ſtudia, aſſeverantes, Galliarum Regem nequidem cogitaſſe de Curia Romana Avenionem attrahenda, Regem po- *Monach. S. Dionyſ. l. 27. p. 605.*

Sæcul. XV. A.C. 1407

tius ad omnia, quæcunque pro bono, ac Romanæ urbis gloria conferre posset, paratum se offerre. Joannes Parvus Doctor Legatorum nomine perorabat, ejusque sermo magno applausu exceptus fuerat. Promittunt Senatores Legatis, se piis Caroli Regis consiliis omni studio respondsuros, dummodo & ipse eis contra Ladislaum sua sponderet auxilia, utpote cui durante schismate resistendo impares forent. Denique declarant, se ex suis quosdam Deputatos selecturos, qui juncta cum Legatis opera unionis negotio insudarent, salvo tamen semper omnimodo subjectionis tam sibi, quam Gregorio Pontifici debitæ.

§. LXXXI.

Legati pariter adeunt Gregorii Cardinales.

Tandem Oratores Galli, antequam discederent, denuo ejus rei periculum facturi, Gregorii Cardinales, ut & ipsi sua concurrerent auctoritate, sollicitare meditantur; Quam ob rem per Dinensem in Provincia Episcopum proponunt, se sexta jam vice inutilibus precibus Gregorium monuisse, ut tandem Massilienssia exequeretur pacta; jam vero haud ultra suum sibi discessum absque periculo

culo differendum fore, quod comperis- Sæcul. XV.
sent, Ladislaum totum in eo esse, ut Ty- A. C. 1407.
beris ostia omni aditu intercluderet; de Benedicto autem affirmant, ipsum nunquam suis defuturum partibus, quominus cæptum negotium ad optatum finem suum feliciter perduceretur, ideoque ipsorum votum esse, ut hac eadem die Gregorium urgerent, ab eoque determinatum extorquerent responsum. Cardinales collatis mutuo consiliis Legatos obtestantur, ut Roma non excederent, donec ipsi tam Leodienses, quam Ursinos Cardinales, Collegas suos advocassent, horum quoque auctoritatem imploraturi, spe facta, se Gregorium ad servanda pacta pro viribus permoturos. Nec eorum promissis fides deerat; hinc Gregorium adeuntes ab eo impetrant, ut se Savonam profecturum sponderet, sub ejusmodi tamen conditionibus, quæ reipsa non nisi ad eludendum Massilienſem tractatum compositæ erant, quantumvis exterius se sincero animo agere simularet. Die ultima Julii Cardinalibus porrexit scripturam, in qua ferme eadem allegavit argumenta, quibus expugnatus Savonam se conferre recusasset. In alia quadam Epistola die tertio Augusti data pollicitus est, nisi de alio loco præter Savonam cum Benedicto convenire posset, se etiam illuc die prima Novembris ven-

Sæcul. XV A.C. 1407. turum, servatis tamen conditionibus, quas jam antea Gallorum Legatis indicasset.

§. LXXXII.

Libellus supplex Legatorum ad Cardinales Romanos.

Postera die Gregorius mutato consilio pro ineundo colloquio Pisanam, Senensem, & Florentinam civitates proponit; quapropter Legati assiduis animi fluctuationibus fatigati Cardinalibus libellum porrigunt, supplicantes, ne eveniente forsan Gregorii obitu ad electionem procederent, sed omni, quo possent, modo secundum datam ab eis fidem, cessionis viam urgerent, nec Savonam, etsi Gregorius eo ire renueret, accedere differrent. Quibus Cardinales respondent, se tanta non pollere auctoritate, ut suos Collegas absentes ad hoc adstringere valerent, se vero omnes (nec plures, quam octo præsentes aderant) nil intentatum relicturos, ut Pontificem ad expediendam Constitutionem inducerent, vi cujus, si ipsum mori contigeret, novi Pontificis suspenderetur electio, usque dum utrumque Cardinalium Collegium esset unitum; si tamen Papa muneri suo satis facere recusaret, se nihilominus nunquam suo defuturos officio. His ita stabilitis

Lega-

Legati Franciæ nonnullis ſuorum Romæ relictis, iter aggreſſi ſunt. Abiere quoque Benedicti Oratores, eum in Inſula ſancti Honorati conventuri, una ex Lerinenſibus Inſulis ad littora Provinciæ ſita, ad quam Benedictus ob peſtem Maſſiliæ latius graſſantem ſe recepit. Sæcul. XV. A. C. 1407.

§. LXXXIII.

Excommunicatio Benedicti in omnes ceſſionis Fautores lata.

Edictum de ſubtrahenda obedientia conditum haud ignorabat Benedictus, quamvis eidem communicatum non fuiſſet. Interim vero, dum Legati Romæ omnem adhibent operam, ut Gregorio viam ceſſionis efficaci conatu ſuaderent, Galliarum Rex ineunte anno Oratores ſuos, Joannem Caſtromorandum, & Joannem Turſajum ad Benedictum ablegat, qui ei inſinuarent, niſi usque ad proximum Aſcenſionis feſtum unio Eccleſiæ reſtituta eſſet, nec Regem, nec ejus Clerum, nec ullum Franciæ ſubditum haud amplius ipſi æque ac æmulo ſuo obedientiam delaturos, ſed deinceps, neutri Pontifici adhæſuros. Benedictus ejusmodi propoſitione, velut fulmine tactus Legatis reſpondit, ſe per Viros, quos ad Regem miſſurus eſſet, ultimatam ſuam ſenten-

Sæcul. XV. A.C. 1407

sententiam eidem insinuaturum: Nec promissum diu distulit Papa; brevi enim postmodum duos tabellarios ad Carolum Regem misit, qui quarta decima Maji Lutetiam delati huic Monarchæ Bullam ex Portu-veneris die decima octava Aprilis datam exhibent, in qua Regi declarat, eundem, si propositum, quod de obedientia utrique Pontifici deneganda moliretur, executioni daret, non solummodo incursurum pœnas a jure latas, sed etiam in alia Bulla sancitas, quam ideo se Regi mittere, inquiebat Benedictus, ne coram Deo, quod sui officii esset, aliquid prætermisisse arguereur.

Posterior hæc Bulla data est Massiliæ decima nona Maji Anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo sexto. Benedictus in ea anathemate percellit omnes, qui quocunque pacto, directe, vel indirecte ejusmodi edicto de obedientia utrique Pontifici subtrahenda in Galliis nuperrime concepto accesserunt, cujuscunque demum conditionis essent, sive Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, sive Imperatores, Reges &c.; insuper declarat, ab hoc excommunicationis vinculo neminem, nisi solum Papam, excepto articulo mortis, absolvere posse, quin etiam in posteriori hoc casu taliter absolutum, si sanitati restitueretur, absque omni mora sedem Apostolicam adire teneri,

neri, ut præstita satisfactione, admissi cri- Sæcul. XV.
minis veniam precaretur; si vero secus A.C.1407.
fecerit, excommunicationem nullatenus sublatam censeri. Addit quoque, si intra viginti dierum spatium a die publicatæ sententiæ præfati excommunicati in suscepto persisterent consilio, Ecclesiasticos omnibus suis dignitatibus, ac Beneficiis privatos, sæcularium vero ditiones, necnon Universitatem Parisiensem interdicto subjectas esse. Præterea in hac Bulla omnes subditos a juramento fidelitatis absolvebat, cuncta feuda, ac bona immobilia, quæ dicti Domini ab Ecclesia adepti sunt, fisco adjudicabat, eaque aliis concedebat Ecclesiis, quantum de eorum bonis jure possidere possent. Iisdem quoque excommunicationis, atque interdicti pœnis subjecit omnes Personas, Status, Respublicas, Urbes, castra, Academias, Collegia, & Communitates, quæ vel directo, vel indirecto modo subtractioni faverent, aut subtrahentibus quovis pacto auxilium præstarent. Cum vero hæc Bulla, licet jam expedita esset Mense Majo anni millesimi quadringentesimi septimi, tamen non nisi anno sequenti ad Regem transmissa fuisset, ideo ea, quæ currente hujus temporis intervallo gesta fuere, præmittere oportet.

§. LXXXIV.

Sæcul. XV. A.C. 1407.

§. LXXXIV.

Epistola Legatorum Franciæ ad Gregorium.

Postquam Legati ad Gregorium missi ab hoc Pontifice recessérant, Genuam sese conferentes, inde ad illum die vigesima nona Augusti scripserunt epistolam verbis non minus acerbis, quam nervosis conceptam, in qua iterato eidem omnimodam securitatem, quævis humanitatis obsequia, pecuniarum subsidia, & militares copias non solum suo, sed maxime Galliarum Regis, Genuæ Administratoris plurimum ab ipsis deprædicati, necnon Genuensium, ac Savonensium nomine offerunt, saltem hac via cunctos, quibus PapaSavonensis itineris cunctationem excusabat, dissipaturi timores, verum oleum, & operam perdiderunt.

§. LXXXV.

Iter Benedicti Savonam.

Accidit hæc tergiversatio optatissima Benedicto, qui quo magis Gregorium loci mutationem urgere intellexit, eo pertinacius ille priori congressus loco standum, atque Pisanam urbem rejiciendam asserere cæpit. Quapropter Mense Septem-

Septembri ad finem inclinante Savonen- Sæcul. XV.
se iter aggreditur; ubi summo omnium A.C. 1408.
jubilo exceptus, eodem tempore tres tri-
remes omni necessario apparatu abun-
de instructas, atque ex Hispania ad suum
obsequium adductas conspexit. Huic
Gregorius tribus Oratoribus ad eum ab-
legatis, ut hanc urbem cum alia commu-
taret, persuadere connititur. Equidem
Benedictus Gregorii votis haud obluctatus est, imo jam satis se egisse existimans, quod ipse primus ad locum congressus accessisse diceretur, usque ad Portum-veneris in Genuensium ditione situm se progressurum spopondit, suosque Legatos ad Gregorium decrevit, qui de loco, & colloquii capitulis agerent; eidemque proposuit, se ad Petram sanctam accessurum, quo Gregorius se quoque iturum nil hæsitans promisit, sed nunquam fidem exsolvit.

§. LXXXVI.

Gregorius Roma abit, & Viterbium, Senasque se confert.

Interea vero primus conventionis termi- *Niem. de*
nus expiraverat. Benedictus quidem *schism. l. 3.*
Savonæ jam præsens aderat, atque ex Præ- *cap. 24.*
latis non pauci illuc quoque sese contu-
lerant. Ex ambiguis tamen responsioni-
bus,

Sæcul. XV. A. C. 1408.

bus, quibus Castellæ Legatis in quodam loco Savonæ vicino illudebat, ejus animum a dimittendo Papatu longe alienum fuisse apparebat. Die nona Augusti Gregorius Roma profectus, primo Viterbium contendit, illic tres hebdomadas commoratus, demum ineunte Septembri unacum Curia sua Senas pervenit, ibique residuum anni tempus permanens, Cardinales suos vana spe lactare intentus fuit, ipsisque se Pontificatui renuntiaturum promisit, reservata tamen semper conditione, ut titulum Patriarchæ Constantinopolitani, Methonensem, & Coronensem Episcopatus sub ditione Veneta sitos sibi ad dies vitæ reservare posset, unacum alio quodam Prioratu, ob uberrimum vectigal insigni, quem jam ante Papatum sub titulo Commendæ possederat; insuper Eboracensem Archiepiscopatum, qui vacare credebatur, quamvis reipsa non vacaverit, sibi conferendum postulabat.

§. LXXXVII.

Gregorius Luccam venit.

Niem. c. 19. & 21.

Gregorius Papa, postquam omnes artes, omnesque tergiversandi modos exhausisse videbatur, tandem ineunte Januario unacum suis Cardinalibus, totaque

que Curia Luccæ advenit. Ibi Oratores Benedicti illum impense rogant, ut pro abolendo schismate nulli omnino parceret labori: Omnes quoque, qui ejus latus stipabant, elevatis ad cœlum manibus iterum, iterumque illum obtestantur, ut Savonam adiret, quibus cum confestim responderet, se ad abdicandum Papatum omnino paratum esse, dummodo pariter Benedictus prætensum suum jus dimittere non recusaret, pacis negotium vix non confectum videbatur. Verum tota res nullum omnino sortita est effectum. Benedictus enim ex Portu-veneris ad Gregorium perscribebat, se ejus adventu tamdiu incassum expectato, ab urbe discedendi consilium cæpisse. Hic ex adverso propagati schismatis culpam, & caussam in Benedictum regerebat, eoquod Savonam, & Portum-veneris dimittere, & Pisas, vel Liburnium, quas urbes ipse ad congressum proposuisset, acceptare noluisset. Sæcul. XV. A.C. 1408.

Sub idem tempus Cardinalis Leodiensis ad Theodoricum Niemum dedit epistolam, in qua fatetur, sibi præsentem rerum statum, quamvis ab exterioribus indiciis judicium petere nolit, valde tamen suspectum videri, cetera tempus edocturum. Theodoricus occasione ex hac epistola captata ad Gregorium literas dedit verbis admodum gravibus, li- *Niem. loc. cit.*

Sæcul. XV. A.C.1408.

cet etiam perquam asperis conceptas, in quibus eum ad servandam promissorum fidem, qua se ad abdicandum Papatum publice adstrinxerat, hortabatur, simulque eidem exponebat extrema discrimina, quæ toti Christiano Orbi jam proxime immínerent, nisi promptum adhiberet remedium, ipsam etiam cessionis viam amplectendo. Tandem illi auctor fuit, ut aliis contraria sibi suggerentibus fidem habere nolit, nec alium in locum præterquam unione absoluta, migraret, nisi filios Ephraim imitari velit, qui in ipsa die belli terga verterunt. Data est hæc epistola die vigesima septima Maji.

§. LXXXVIII.

Cædes Ducis Aurelianensis jussu Burgundiæ Ducis perpetrata.

Monstrelet. vol. I. c. 36. Juv. Ursin. Hist. Carol. VI.

Adversa Caroli VI Regis valetudo Galliarum regnum ambitioni, æmulorum invidiæ, & Optimatum factionibus in prædam expositi. Inter Regni Competitores eminebant Ludovicus Dux Aureliæ unicus Regis frater, & Joannes Burgundiæ Dux, Flandriæ Comes, & Caroli VI Patruus. Equidem unio inter hosce duos Principes restituta est, sed hæc ipsa duntaxat ad speciem composita

ta erat; Dux enim Burgundiæ caute sub externis amicitiæ signis occultabat animi sui propositum, quo Ducem Aurelianensem e medio tollere constituerat. Vigesima Novembris die anno Servatoris nostri millesimo quadringentesimo septimo coram sacratissimo Corpore Christi, quod uterque simul perceperunt, sexcentis, ut ita dicam, juramentis mutuam testati sunt amicitiam. Verum nocte, quæ diem inter vigesimam tertiam, & vigesimam quartam ejusdem Mensis fluxerat, Burgundus Aurelianensem Ducem trucidari jussit, Rauleto Octonvillo, Nobili Normanno, nefandi parricidii Ministro. Dum enim Aurelianensis ex Palatio Reginæ tum ex puerperio decumbentis, mulo vectus, ac nonnisi duobus, tribusve famulis stipatus domum rediret, Sicarius, qui eum, decem aut duodecim aliis in criminis societatem vocatis, præstolabatur, tam immani ferocia Ducem insecutus sua securi percussit, ut uno ictu manum ei amputaverit, altero vero caput medium dissecuerit. Ceteri pluribus adhuc eidem inflictis vulneribus humi stratum in platea reliquerunt, omnibus cæde peracta in Palatium Burgundiæ Ducis auffugientibus. Equidem Rauletus hoc facinore non modo Ducis Burgundi odio, sed etiam privatæ suæ satisfecit vindictæ, quam con-

sæcul. XV. A.C. 1408.

Sæcul. XV. A.C. 1408.

tra Aureliæ Ducem meditabatur, ex quo, quamvis haud injuſte, Ducis hujus opera ſuo, quo apud Regem fungebatur officio, dejectus erat.

§. LXXXIX.

Fuga Burgundi in Flandriam.

Monach. S. Dionyſ. l. 27. c. 23.

Burgundiæ Dux ad primos patrati parricidii rumores, nec vultu nec mente concidere viſebatur. Intererat quippe & ipſe exequiarum ſolemniis, mortuo Duci parentans, ſuasque lacrimas cum ceterorum fletibus permiſcens. Cum vero in Regio Senatu ſancitum eſſet, ut ad inquirendos, capiendosque ſicarios Palatia Principum luſtrarentur, tantopere perterritus eſt criminis ſui horrore, ut Bituricenſium Duci, & Siciliæ Regi, remotis arbitris colloquens ſeſe cædis auctorem eſſe, ultro faſſus fuerit. Edita hac criminis confeſſione in ſe reverſus confeſtim receſſit, & poſtera die unacum ſuis ſicariis in Flandriam ſe recepit, non jam occulte minas jactitans: ideo ejus fuga non modicum ſeditionis regno conflandæ metum, terroremque incuſſit, eoque vehementiorem, quo potentiori in Galliis valebat auctoritate, Pariſienſes enim ſummo eum complectebantur amore, econtra vero Duci Aurelianenſi parum

rum affecti erant. Quam ob rem iratum placare, quam fugientem insequi satius ducentes, Ludovicus Andegavensis Rex Siciliæ, Biturícum Dux Burgundi avunculus, aliique Principes Ambianum contendunt, ut habito cum Duce colloquio de re componenda agerent. Dux quidem eo se contulit, valido tamen satellitio stipatus: ipsumque colloquium optato caruit exitu; cum enim Joannes Parvus Burgundi Advocatus, ex tribus, quos Dux secum adduxerat, Sorbonnæ Doctoribus unus Parricidii defensionem in se suscepisset, ac sicariam Ducis Aurelianensis cædem, veluti rem optimo jure factam elatius probasset, tantum abfuit, ut Burgundus a Rege veniam delicti deprecaretur, quin potius proximis diebus Parisios accedere constitueret, facinus suum publice purgaturus.

Sæcul. XV. A.C. 1408.

§. XC.

Numeroso milite munitus Lutetiam venit.

Duciſſa Aurelianensis, cum Blesis agens Maritum suum ex insidiis interfectum comperisset, Parisios venit unacum liberis suis, numero tribus, Carolo, Philippo, & Joanne, quorum natu major decimum quartum ætatis annum vix egres-

Sæcul. XV. A.C. 1408.

sus erat; Illa ergo de Viri sui cæde pœnas sumi, lacrimis ac querula voce efflagitante, Rex quidem afflictæ Matri filiorum suorum tutellam detulit. Mariti tamen sui cædem se ulturum promittere non audebat, Ducis Burgundiæ potentiam veritus. Infelix Vidua, postquam frustra Regis aures pulsabat, ipsumque Mariti sui sicarium proxime rediturum intellexerat, cum liberis suis Blessum reversa est. Dux vero Burgundiæ, insuperhabitis Caroli VI mandatis, qui ei Parisios accedere prohibuit, exeunte Februario anni millesimi quadringentesimi octavi octingentis Nobilibus, omnibus bene armatis, cinctus Lutetiam ingressus est. Quem Parisienses expansis ulnis porrectisque brachiis exceperant, spe freti, se ab immodico tributorum jugo, quo Dux Aurelianensis eos oppressisset, ipsius ope liberandos. Quinimo ex Mezerajo discimus, ipsam Reginam, ac Principes omnibus intimæ amicitiæ signis Burgundum perbenigne excepisse, nunquam tamen ab eo obtinere potuisse, ut Ducis Aurelianensis parricidium palam confiteretur.

Sæcul. XV.
A. C. 1408.

§. XCI.

Joannis Parvi Apologia pro Duce Burgundiæ.

Paucis post adventum suum diebus Regis alloquium depoſcens admiſſus eſt. Die autem octava Martii in Palatio ſancti Pauli cauſſam Ducis in judicio dicebat Joannes Parvus, Univerſitatis Pariſienſis Doctor, qui jam antea eloquentiæ fama ſibi gloriam comparaverat maximam. Perorabat in pleno conſeſſu Delphini, Siciliæ Regis, Cardinalis dicti de Baro, Bituricum, Britanniæ, & Lotharingiæ Ducum, necnon in plurimorum Comitum, Baronum, Equitum, & diverſarum Regionum Nobilium præſentia. Pariter Pariſienſis Univerſitatis Rector unacum ingenti Doctorum numero, plurimisque Civibus aderat. Joannes Parvus in ſua oratione, quam nobis Ingelramnus ſeu Enguerrandus Monſtreletus totam atque integram ſervavit, oſtendere nititur, Aureliæ Ducem divinam, humanamque violando Majeſtatem, extitiſſe Tyrannum, quam qui unquam fuit, ſæviſſimum, nec non Regi ſalutem modo veneficiis, nunc vitam inſidiis, jam ſolium Pontifice in opem vocato adimere molitum fuiſſe. Ex quibus tandem concludebat,

Wading. ad ann. 1410. n. 19.

Sæcul. XV. A.C.1408.

debat, Ducis necem juſtam æque ac neceſſariam fuiſſe, & in ſimili eventu cuique fas eſſe, Tyrannum occidere; Hinc Burgundum non ſolum nulla pœna ob cædem Aurelianenſis plectendum, ſed potius gratia, aliisque præmiis honorandum eſſe, non ſecus ac S. Michael præmio decoratus eſt, eoquod Luciferum cœlo expulerit, & Phinees, quod Zambri vita privaverit.

§. XCII.

Rex Duci datis tabulis gratiam delicti facit.

Monſtrelet. vol. I. c. 38. & 39.

Equidem faniori Auditorum parti hæc apologia admodum injurioſa accidebat, nihilominus optatum fortita eſt eventum. Cum enim Rex imbecillioris eſſet ingenii, & facile aliorum precibus flecti ſe pateretur, aliunde vero Burgundiæ Dux magna apud ipſum valeret auctoritate, poſtera die Dux in gratiam Regis rediit, quinimo veniæ, ſeu regias condonati criminis tabulas obtinuit. Verum, cum poſt aliquot menſes in Flandriam regreſſus eſſet, bellum adverſus Leodienſes moturus, Ducis Aurelianenſis Vidua Burgundi abſentia opportune uſura Pariſios contendit, tum ut a Rege occiſi ſui Conjugis peteret ultionem, tum

tum etiam ut debitas expoſceret pœnas ob atroces criminationes, quas Joannes Parvus adverſus Ducem effutiebat, parricidium in ejus Perſona commiſſum defendendo, atque illius memoriam infamiæ maculis obfuſcando. Sæcul. XV. A. C. 1408.

§. XCIII.

Rex datas tabulas reſcindit.

Aurelianenſis Duciſſæ cauſſa in Luparæ Palatio per Abbatem S. Dionyſii Benedictinum, & Guilielmum Cuſinatem Regii Senatus Advocatum tam proſpero ſucceſſu pertractata fuit, ut Rex tabulis gratiæ, quas Duci Burgundiæ conceſſerat, reſciſſis, eum regni hoſtem eſſe declaraverit. Ceterum hæc Regis indignatio non diu admodum perduravit. Poſtquam enim anno necdum evoluto Burgundiæ Dux victricibus armis iterato Lutetiam Pariſiorum ingrediebatur, de nova actum eſt reconciliatione. Hoc vero tam vehementi dolore Aurelianenſis Duciſſæ animum obruit, ut præ mæroris vi, ut credebatur, animam exhalaverit.

§. XCIV.

Pax inter Regem & Burgundum.

Hujus Duciſſæ obitus ſatis expeditam ſternebat viam ad conciliandam Burgundo

Sæcul. XV. gundo Regis gratiam, triumque defuncti
A. C. 1408. Aurelianenſis Filiorum pacem, donec plena utrinque animorum conjunctio Carnuti in Bleſia anno ſequenti Menſe Martio ſolemni formula concluſa fuerit.

Quamvis hoc negotium non modice Regis, ac Principum ſtudia diſtenta teneret, nihilo ſegnius tamen in eorum cordibus flagrabat extinquendi ſchiſmatis propoſitum. Carolus VI ſatis manifeſte intelligens, quod uterque Pontificum nil antiquius haberet, quam ut in ſua quisque obedientia Papalem retineret Tiaram, prætexentes, æmulum ſuum non niſi ſubdolo, nequaquam autem ſincero animo procedere, tandem neutri obediendum decernit, & in epiſtola ad omnes fideles jam quidem duodecima Januarii data, ſed primum vigeſima ſecunda ejusdem Menſis promulgata, declarat, ſe ad proximum Aſcenſionis feſtum vigeſima quarta Maji omnem obedientiam hiſce Pontificibus ſic dictis excuſſurum. Verum antequam hoc tempus adveniret, nova inter ambos hoſce Papas, eorumque Cardinales jurgia fuere exorta.

§. XCV.

Roma a Ladislao occupata.

Niem. l. 3. c. 27. & 28. Interea Ladislaus victricibus armis glorioſus Romam ingreditur. Quo comperto

perto Gregorius novos ſumpſit animos, ſpe fretus, ſub auſpiciis hujus Regis reditum quoque ad urbem ſibi parandum; cum enim Ladislaus vigeſima quinta Aprilis die Romanam urbem penitus ſuo ſubjeciſſet imperio, confeſtim ſuis Legatis apud Pontificem agentibus in mandatis dedit, ut ſanctitati ſuæ indicarent, ſe nullatenus conceſſurum, ut in unionis cauſſa ulterius procederetur, donec ipſemet ad conſervanda ſua jura negotio intereſſe poſſet. Gregorius Ladislai auctoritate fultus, nec rerum, nec temporis rationem ultra habere viſus eſt, nec de ſervanda promiſſi ſui fide admoneri ſe patiebatur (*). Quemdam Carmelitam carceri

Sæcul. XV. A. C. 1408.

(*) *Theodoricus Niemus, cujus acerbus, & iniquus in Pontifices animus ubique perſpicitur, Gregorium colluſionis cum Rege Ladislao arguit, ſed majorem fidem meretur Leonardus Aretinus, Auctor coævus, & qui geſtorum ocularis teſtis, ac Pontifici a ſecretis erat, hic lib. 2. ep. 7. inquit,* Sunt, qui putant, hanc totam rem a Pontifice de induſtria compoſitam, quo mentio omnis unitatis obrueretur, quod futurum erat, ſi Rex obtinuiſſet. Nos hoc de Pontifice nullo modo credimus. *Meram quoque hanc fuiſſe calumniam patet ex literis Gregorii ad Ladislaum ſexta Idibus Septembris datis, in quibus* ipſi acerbe exprobat ſuam ingratitudinem,

Sæcul. XV. A.C.1408.

carceri mancipari jusserat, quod virili animo in quodam sermone præsentibus cunctis Legatis habito eum, ne fidem violaret, adhortari ausus esset, & Concionator iste in suo ergastulo misere periisset, nisi potenti amicorum suorum deprecatione libertati restitutus fuisset, quam tamen non aliter ac sub conditione haud amplius e suggestu dicendi obtinuit. Eodem quoque tempore Gregorii sanctione cautum est, ne deinceps ulla concionandi detur libertas, nisi prius a Viris, quorum fidem sibi exploratam habuerat, ejusmodi oratio examini subjecta fuisset. Hac severitate non parum omnes perterrebantur Prælati, quorum potior pars sub vario obtentu Luccam sese recepit. Nihil vero acrius Cardinalium animos afflixerat, quam conceptum Pontificis consilium, quo novos Cardinales creare meditabatur. Quare omnes intendebant nervos, ut Papam a suscepto proposito dimoverent, atque insuperhabitis omnibus, quibus sollicitabantur, precibus, ac minis, nunquam Pontificis voto acquiescere volebant. Quinimo collatis

nem, perjuria, iniquam urbis Romanæ invasionem, illique sub gravissimis pœnis occupatorum restitutionem præcipit, *quæ sane Gregorius, si eo conspirante Ladislaus urbem occupasset, perscribere timuisset.*

collatis inter se consiliis, nunquam se, quos Papa in Cardinalium ordinem intruderet, tanquam suos Confratres habituros, addito etiam jure jurando decreverunt. Pontifex tamen hasce eorum protestationes flocci habebat. Sæcul. XV. A.C. 1408.

§. XCVI.

Novi quatuor Cardinales a Gregorio creati.

Quam ob rem absentibus suis Cardinalibus die Mercurii, quarta post Pascha hebdomade, quatuor novos creavit Purpuratos, horumque promotionem in pleno consistorio publicam fecit. Duo ex illis sui erant Nepotes, Antonius Corarius Bononiensium, & Gabriel Condulmerius Senensium Episcopus, qui postea Eugenii IV nomen ad Pontificatus sedem vocatus accepit. Reliqui duo erant Joannes Dominici e sacra Fratrum Prædicatorum familia, Ragusinus Archiepiscopus, & Jacobus Utinensis Pronotarius Apostolicus. Verum Cardinales seniores sese huic electioni opponentes nunquam eos agnoscere volebant, usquedum tandem in Concilio Constantiensi confirmati fuere. *Niem. de schism. l. 3. c. 31.*

§. XCVII.

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

§. XCVII.

Veterum Cardinalium defectio a Gregorio.

Veteres Cardinales novorum Collegarum electione exasperati, acerba in Gregorium indignatione commoti ab illo deficere decernunt. Cum enim Pontifex in pleno consistorio, alios quosdam sacro Collegio adscripturum se pronuntiaret, Cardinalis S. Viti confestim assurgens, elata voce in hæc prorupit verba: Moriamur potius, quam quod tam indignum patiamur facinus; Hæc autem adeo intrepida voce, tamque generose protulit animo, ut ceteros ferme omnes in suam traxerit sententiam. Quia vero Gregorius expresse prohibuerat, ne quis eorum urbe Lucca excederet, aut ipsi absque suo jussu convenirent, id ipsum hoc præceptum, ut suæ saluti fuga consulerent, eos impulit. Leodiensis Cardinalis natione Germanus aliena veste indutus haud procul a Pisis ad parvam quamdam civitatem in ditione Florentinorum sitam auffugit, cujus præsidiariæ copiæ illum tuebantur, ne in manus equitum incideret, qui jussu Pontificis eum insequebantur, etiam adhibita vi illum ad Papam reducturi. Sex alii Cardinales eodem

dem quoque die Lucca abeuntes, unacum suis famulis Pisis advenerant. Sæcul. XV. A.C.1408.

§. XCVIII.

Appellatio Cardinalium ad Concilium.

Igitur apud Gregorium duntaxat sui quatuor recens creati remanserunt Cardinales, cum tribus aliis ex Senioribus, & hi quidem eo solum consilio, ut eum ad saniora reducerent. Ast Pontificem semper flecti nescium experti, brevi ad suos transiere Collegas, qui omnes concordi voto conceptam a se appellationem ad Generale Concilium, Pontifici significabant, cunctosque Christi fideles literis encyclicis de secessu suo certiores reddebant. Hanc suam provocationem tueri existimabant ex eo, quod illis Pontifex sine ipsius venia Lucca urbe abscedere inhibuisset, ejusmodi vero mandatum injustum, ac proin nullum esse declarant, cum absque periculo vitæ, aut carceris (*) metu ibidem commorari, eis inte- *Niem. l. 3. c. 32.*

(*) *Continuator in editione Parisiensi An.* 1726. *quam sequimur, in gallico textu habet:* empoisonnez, *id est veneno aliquem occidere, sed typi errorem irrepsisse, ac* empriſonnez, *seu carceri*

Sæcul. XV. A.C.1408.

integrum non esset. Insuper aliud allegant præceptum, quo sine expresso Gregorii Papæ mandato congregari prohibebantur, hoc autem S. Collegii juribus, quibus gaudet, adversari contendebant. Tandem postrema appellationis caussa erat, quod vetuisset Pontifex, ne communicent cum Legatis Petri de Luna, nec cum Oratoribus Gallicis, quod tamen repugnare dicunt juramento, quo quævis media unioni Ecclesiæ necessaria, aut utilia sese adhibituros promisissent, proin liberam conveniendi, ac cum parte adversa conferendi facultatem sibi esse relinquendam, cum sine ea nec Ecclesiæ concordia sperari, nec perfici posset. His igitur de caussis appellant I. a Papa male informato ad Papam melius informandum. II. A Papa ad Dominum nostrum JEsum Christum, cujus vices gerit. III. Ad Concilium Oecumenicum, cui summorum Pontificum gesta dijudicare competit. IV. Denique ad Papam proxime eligendum, cujus erit a suo Prædecessore perperam sancita corrigere. Hæc appellationis acta confestim Pisis publicata,

carceri tradere, legendum putamus, nam in ipso appellationis instrumento hæc habentur: non poterunt ibi morari cum securitate, & sine metu carceris aut mortis.

cata, & postera die illorum formula ad Gregorium Papam transmissa fuit. Sæcul. XV. A.C 1408.

§. XCIX.

Gregorii responsio super hac appellatione Cardinalium, quos anathemate percellit.

Gregorius in suo ad hanc appellationem responso pronuntiat, illam fuisse hæreticam, & sacris Canonibus contrariam. Dein rationes exponit, quibus permotus Cardinalibus Urbe Luccensi exire, congressus agere, & cum Cardinalibus Benedicti, atque oratoribus Gallicis conferre prohibuisset. Satis diffuso calamo exaggerat imbecillitatem caussarum appellationis, seque eam nihili omnino habiturum declarat. Tandem contra eos excommunicationis sententiam vibrat, illosque omnibus suis dignitatibus, ac beneficiis exuit. Verum Cardinales his adeo non fuere perterriti, ut potius concurrente quorumdam ex Gregorii Aulicis opera, Luccæ Pontificem famoso prosciderint libello, quem ad nostra usque tempora servatum Theodorico Niemo in acceptis referre tenemur. In eo summus Pontifex non solum traducitur velut schismaticus, hæreticus, Anti-Christi præcursor, fraudum Architectus,

Sæcul. XV. A.C. 1408.

atque sceleratus, sed etiam accusatur tanquam ebrius, crudelis, propriæ suæ famæ obtrectator, omnium carnalium affectuum vile mancipium, & tam spiritualis, quam temporalis boni publici destructor. Præterea in crimen vocatur, quod detestabili conspiratione sese conjunxisset Benedicto Anti-Papæ digniſſimo iniquitatum, ac violentiarum Commilitoni. Tandem declarant, se illius sequaces (loquuntur de quatuor illis neo-electis Cardinalibus) sui honoris gradu dejecturos: Cardinalem quoque Ragusæum (hic erat Joannes Dominici) indigniſſimis laceſſunt convitiis, illumque appellitant Monachum diabolicum, legatum Pontificis infernalem, qui aperto Marte Decreta Canonum de disciplina ecclesiastica identidem impugnaret.

§. C.

Bulla Benedicti adversus Franciam.

Hist. Univers. Paris. tom. 5. pag. 152.

Interea nec Benedictus benigniori utebatur fortuna in Galliis, Rege Epistolam, cujus antea meminimus, promulgari jubente, vi cujus stabilita omnis obedientiæ subtractione, totum Galliarum Regnum utriusque Pontificis imperium excutere jubetur. Benedictus hac declaratione vehementer commotus die decima

decima nona Aprilis data e Portu-veneris Bulla regiis literis reſpondit, ac continuati ſchismatis culpam in æmulum ſuum rejecit. Eadem hæc Bulla adhuc aliam accluſam tenebat, jam quidem anno ſuperiori conditam, necdum tamen publici juris factam, in qua anathemate afficit eos omnes, qui unioni, quam omni ſtudio meditaretur, obſtarent, vel piis ejus ſeſe opponerent conſiliis, ſive demum id attentarent, a ſuo tribunali appellando (prout ab univerſitate ad majorem cautelam jam antea factum) ſive ſubtractionem amplectendo, vel eam fovendo. Inſuper in illa comminatur Imperatori, aut Regi, ſi criminis hujus rei invenirentur, eorum ditiones canonico ſubjiciendas interdicto, cunctosque illorum ſubditos a juramento fidelitatis abſolvendos. Hæc Bulla data fuit Maſſiliæ decima nona Maji anno Servatoris noſtri milleſimo quadringenteſimo ſeptimo: Regi vero porrecta die quarta decima Maji anno ſequenti per Sancheſium de Lopez, qui pro conſignanda hac Bulla opportunum, quo Rex ſolus nullum regiæ ſtirpis Principem arbitrum haberet, tempus explorabat. Cum vero non ſolum Regi, ſed etiam omnibus tam regii ſanguinis Principibus, quam Regni Senatoribus inſcripta eſſet, Rex latori reſpondit, ceteros abeſſe, proin & illos vocandos,

Sæcul. XV. A.C. 1408.

Vid. ſupr. §. LXXXIII.

Sæcul. XV. A.C. 1408.

candos, ac non nisi eis præsentibus Bullam esse aperiendam, quibus addidit, altera die responsum datum iri.

§. CI.

Senatus ad perlegendam Bullam a Rege convocatus.

Monach. S. Dionys. l. 28. c. 2. & 5.

Ergo Rex intimum suum consilium convocat, cui intererant Ludovicus Andegavensis Siciliæ Rex, Biturícum, ac Burgundiæ Duces, pluresque alii Franciæ Proceres. Aderant quoque Parlamentum, Clerus Gallicanus, atque universitas Parisiensis, hac super re deliberaturi. Igitur referatur Bulla his ferme concepta verbis: Benedictus excommunicationis sententiam vibrat in omnes, cujuscunque demum essent conditionis, etiam Reges, & Principes, qui spreta colloquii via cessionis medium approbare, aut consiliis ipsius adversari, aut sese ejus subducere obedientiæ attentaverint, ipsi Pontifici Decimarum exactionem, aut Beneficiorum collationem abnegantes; Si quis autem huic præcepto obluctari præsumeret, nisi infra viginti dies ad pristinum statum omnia revocaverit, Papa interdictum Generale contra totum Galliarum regnum pronuntiat, a beneficiis Clericos suspendit, & fidelitatis sacramenta Regi

al isque

aliisque Principibus præstita relaxat. Quoniam vero hæc Bulla multum offenderat animos, integros tres dies, quid factu opus esset, deliberatio tenuit. Sæcul. XV. A. C. 1408. *Juven. Ursin. pag. 193.*

§. CII.

Oratio Joannis de Curtacoxa Doctoris adversus Benedictum.

Die vigesima prima Maji feria secunda Rex, Principes, aliique iterato in curiæ minoris Palatio conveniunt, ubi Universitatis Rector medium totius consessus locum occupans, atque e regione Regis elevatiori subsellio insidens Joannem de Curtacoxa Doctorem totius Universitatis nomine caussam dicere jussit. Hic sermonem suum satis prolixum a textu Psalmi septimi: *Convertatur dolor ejus in caput ejus*, auspicatus, atrocius in Benedicti Papæ gesta invehitur, demonstrans, Bullas illius injustas, atque ut damnatæ dilacerarentur, omnino dignas esse, cum ad schismatis propagationem, ac Regiæ Majestatis vilipensionem, ejusque potentiæ improbam eversionem instructæ essent. Petrum de Luna in crimen vocat, quod comminari ausus fuisset, se, etsi Universus Christianus Orbis cessionis viam amplectendam censeret, nunquam tamen a proposito suo dimo-

Monach. S. Dionys. l. 28. Juv. Ursin. hist. Car. VI.

Psal. 7. v. 17.

Sæcul. XV. A C. 1408

vendum, ac toti Galliarum regno graviſſima quævis, ſi ei obedientiam denegaret, mala illaturum. Tandem eundem ſchiſmatis, ac hæreſis nota perſtringens non modo Pontificiis inſignibus, ſed omnibus Eccleſiæ dignitatibus merito ſpoliandum, Pontificii nominis omnino indignum, nec eidem obediendum eſſe pronuntiat, ideoque omnes collationes, & proviſiones a tertia Maji anni præcedentis factas, penitus nullas, necnon dicti Petri de Luna fautores, aut receptores intra Galliarum fines tanquam læſæ Majeſtatis reos eſſe puniendos.

§. CIII.

Sententia hujus Congreſſus.

Abſoluto ſermone Senatus per ſuum Cancellarium effatus eſt, regiæ ſuæ Majeſtati cuncta, quæ Doctor ille propoſuiſſet, grata, ac rata eſſe. His dictis ſententia lata eſt, Benedictum non tantum ſchiſmaticum, ſed etiam hæreticum eſſe, quia per obſtinatam ſuam ſchiſmatis propagationem funditus everteret Articulum fidei *de unitate Eccleſiæ*, proin deinceps omnem eidem obedientiam eſſe denegandam, nec ullam in eo agnoſcendam dignitatem, nec Papam, & ne quidem Cardinalem amplius dici poſſe, ſequa-

sequaces ejus tanquam schismatis fautores puniendos, omnesque Beneficiorum collationes a tertia Maji ab ipso factas, nullas esse declarandas: Bullam vero publice per Universitatis Rectorem tanquam injuriosam, seditiosam, & læsæ Majestatis crimine infamem dilacerandam, nullasque amplius Petri de Luna literas a Rege acceptandas esse. Præterea Universitati injungendum, ut Prædicatores deinceps conciones suas juxta præsentis decreti leges per totum Regnum instruere juberet; Episcopum vero San-Florienſem, qui in Arragoniam tanquam Legatus missus esset, Regi ab utriusque Pontificis obedientia defectionem persuasurus, revocandum esse, quod Benedicti obstirmatum in schismate animum fovere argueretur. Tandem Decanum sancti Germani Antisiodorensis, ceterosque, qui in fabricanda, vel transmittenda hac Bulla operam contulissent, comprehendendos, ac severitate legum castigandos. Sæcul. XV. A.C. 1408.

§. CIV.

Bulla Benedicti Papæ dilacerata.

Rex Bullam eodem tempore sibi exhibitam confestim suo Cancellario reddidit, a quo Rectori tradita est. Hic

Sæcul. XV. A. C. 1408.

vero ſuo cultello perforatam in omnium conſpectu dilacerat; dein Decanus S. Germani Antiſiodorenſis cum ceteris carceri mandatur. Guido vero de Roye Remenſis Archiepiſcopus, & Petrus de Alliaco Cameracenſis Antiſtes, quod de illis ſuſpicio eſſet, ac ſi Petro de Luna faviſſent, conſtituta die in jus vocati ſunt, qui tamen de induſtria non comparuerunt. Denique Latores hujus Bullæ in carcerem conjecti fuere.

§. CV.

Neutri parti obediendum eſſe, in Galliis proclamatur.

Monach. S Dionyſ. l. 28. c. 4.

Gerſon. tom. 2. p. 103.

Poſt hunc ſolemnem conventum ſequenti die vigeſima ſecunda Maji edictum de obedientia utrique Pontifici deneganda promulgatum eſt unacum reſcripto regio, vi cujus accedente Regni Procerum, ac Cleri Gallicani conſenſu hæc univerſalis ſubtractio præcipiebatur. Carolus Rex miſſis quoque per totam Europam Legatis eandem ubique promulgat, ac ceteros Principes ad ejus exemplum ſequendum hortatur. Datis inſuper literis Cardinales Romanos rogat, ut dimiſſo Angelo Corario (nondum quippe noverat eos ab illo jam antea deſeciſſe) cum Cardinalibus alterius obedientiæ

dientiæ in unum locum convenirent de convocando Generali Concilio deliberaturi, eisque quævis subsidia, consilia, atque obsequia in regno suo pollicetur. Hæ literæ vigesima secunda Maji datæ, Alexandrino Patriarchæ, aliisque pluribus Prælatis deferendæ committebantur. Octavo ex post die, nimirum vigesima nona ejusdem Mensis Academia Parisiensis ferme eodem, quo Rex tenore ad præfatos Cardinales æque ac ad ceteros Benedicto addictos scribebat. Sæcul. XV. A.C.1408.

§. CVI.

Benedictus e Portu-veneris Perpinianum abit.

Ambo Competitores spem inter & metum fluctuabant; potissimum vero ad extremas propemodum angustias Benedicti Papæ animus redactus est, allato ad eum tristi nuntio, Regem Franciæ Buccicaldo Marescallo, Genuæ Gubernatori in mandatis dedisse, ut, si opportunitas ferret, Benedictum caperet, imo ipsum Ladislaum, qui jam antea Romam occupaverat, eidem cum ingenti exercitu insidiari, ac in captivitatem abstractum sibi subjicere moliri. Itaque Benedictus rupta omni mora unacum Curia sua Mense Junio e Portu-veneris auffugere, *Monach. S. Dionys. l.28. c.3.*

Sæcul. XV. A. C. 1408.

suasque triremes, quas semper armato milite instructas tenebat, conscendere statuit. Solido bimestri non sine pluribus periculis prope maritima Genuensium littora radebat. Tandem vero nec in Provinciam utpote quæ illius obedientiam excussit, nec Avenionem, ubi denuo in Palatio includi timebat, venire ausus primum ad Caucoliberitanum portum appulit, inde vero Perpinianum se recepit, quæ est urbs ad confinia Franciæ, atque Arragoniæ sita, ubi Concilium ad festum omnium Sanctorum ejusdem Anni convocabat, atque etiam celebrabat.

§. CVII.

Creatio Cardinalium a Benedicto facta.

Gall. Christ. tom. 1. p. 112. Antonin. tit. 22. c. 5. §. 1.

Quatuor ex antiquioribus Cardinalibus Benedictum Perpinianum usque secuti fuerant, qui tamen & ipsi paulo post ab eo deficientes, Liburnum, & inde Pisas profecti sunt. Itaque horum absentiam suppleturus, alios quinque die vigesima secunda Septembris creavit Cardinales. Horum primus erat Joannes ab Aremorica, seu Armeniaco, Joannis II Comitis ejusdem nominis Filius naturalis, & Joannis III, ac Bernardi Franciæ Conestabilis frater: quem Clemens VII ad

ad Archiepiscopatum Augustæ Auscio- Sæcul. XV.
rum denominavit anno millesimo trecen- A C. 1408.
tesimo nonagesimo primo, anno vero supra millesimum quadringentesimo primo Carolus VI Galliarum Rex Ministrum status renuntiavit. Hic postea a Benedicto, cui adhærebat, Purpura decoratus anno sequenti fatis ereptus est, ut scribit Ciaconius, brevi admodum tempore hac dignitate potitus. Reliqui erant Petrus Rabanus, seu Ravatus primum Episcopus sancti Pontii, ac demum Tolosanus; Joannes Martinez, seu Martinus de Murolio Abbas Montis Arragonii; Carolus Urricus, & Alphonsus Carillo.

Benedictus, antequam sese itineri accingeret, Gregorio epistolam verbis oppido asperis conceptam scribebat, in qua illum unicam impeditæ unionis caussam esse indignabundus incusat. Gregorius hanc culpam palam a se amoliturus, publicis literis die vigesima sexta Junii evulgatis contestatus est, se omnia animo simplici & aperto egisse, atque unionem clandestinis aliorum artibus unice ad violentam sui depositionem comparatis, potissimum vero Benedicti tergiversationibus præpeditam fuisse. Paucis: hi duo Pontifices alter in alterum omnium Ecclesiæ tumultuum caussam rejiciebant, cum tamen neuter eorum Ecclesiæ pacem reddere meditaretur.

§. CVIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1408.

§. CVIII.

Gregorius impactam sibi calumniam diluit.

Gregorius Luccæ adhucdum hærens, inde die duodecima Junii ad interpositam Cardinalium Romanorum appellationem respondit, eosque rebellionis ac collusionis cum inimicis suis accusans, novam Cardinalium creationem ad firmandam suam contra hosce rebelles auctoritatem necessariam fuisse contendit. Vigesima prima ejusdem Mensis die aliam epistolam ad universos Christi fideles inscriptam edidit, in qua declarat, unionem iniquis duntaxat eorum, qui ejus dejectionem expetiissent, conatibus, atque fraudibus impeditam esse, Petrum de Luna Buccicaldi Marescalli potentia suffultum, ut Romam sibi subjiceret, consilia agitare, ac per summum nefas tot, tantasque contra eum per universum orbem disseminare calumnias, cum tamen nil magis in votis haberet, quam ipsam unionem, & Ecclesiæ pacem. Denique ad impediendum Conciliabulum Perpiniani a Benedicto indictum, Gregorius aliud ad festa Pentecostes convocavit, anno posteriori in Aquilejensi Provincia celebrandum.

Sæcul. XV.
A.C.1408.

§. CIX.

Gregorius Lucca Senas redux.

Eo tempore Gregorius Lucca discedere constituit; Romam vero regredi minime ausus est, civium in se odium veritus, qui perperam de illo suspicabantur, eum cum Ladislao, ingentem jamjam Patrimonii Ecclesiæ partem usurpante, collusisse. Itaque Senas redire compulsus erat, ibique nonnisi brevi mora diversatus novem adhuc creavit Cardinales, ne Patrum Collegio destitutus videretur.

§. CX.

Concilium ab utriusque Obedientiæ Cardinalibus Pisas convocatum.

Cardinales Benedicti numero octo, vel novem, cum se a suo Papa derelictos omnino cernerent, Romanis Cardinalibus accedunt, omnesque concordibus votis Epistolam divulgant, in qua rei a se gestæ rationem reddunt, & sincera sua extinquendi schismatis, ac restaurandæ pacis consilia exponunt, declarantes, cunctis fidelibus hucusque horum Pontificum alterutri addictis integrum esse, hoc rerum statu permanente, atque utroque Competitore jurisjurandi

Reli-

Sæcul. XV. A.C. 1408.

religionem violante, se eorum obedientiæ subducere, adeo, ut si secus facerent, nutriti schismatis reatum incurrerent. In eadem epistola Liburni die vigesima quarta Junii data indixere Concilium Pisis ad festum B. Virginis Annuntiatæ Mense Martio proxime sequenti celebrandum, in quo præsentes Cardinales unionis negotium absolverent, nequidem exspectato absentium concursu, eos tamen, qui per se interesse nequiverint, ut saltem idoneos mitterent Legatos, admonerent. Cardinales Avenionenses haud absimilem quoque epistolam quarta decima Julii datam publicarunt, in qua pari ratione Concilium Pisanum convocant; eademque die datis ad Benedictum literis illum de indicto Concilio edocent, atque ut huic intervenire velit, adhortantur, addentes, hunc convocationis modum communi omnium suffragio a se adoptatum esse, eoquod illis, qui neutrius parti adhærent, sic probatum fuisset, & aliunde Sectatores Angeli de Corario, si a Benedicto convocarentur, nullatenus Concilium accederent.

§. CXI.

Concilium nationale Parisiis celebratum.

Interea dum Cardinales pro congreganda sua Synodo Pisana ita provident, Parisiis

Sæcul. XV. A.C.1408.

Parisiis quoque actum est de cogendis Cleri Gallicani comitiis, in quibus de futuro Ecclesiæ regimine, & Beneficiorum provisionibus tractaretur. His Lutetiæ Parisiorum prima die Augusti initium datum est. Joannes de Monte acuto Archiepiscopus Senonensis, Simonis Cramaudi tunc Pisis Legationem obeuntis vices agens, Præsidis officio fungebatur, cœtusque usque ad quintam Novembris diem perdurabat. In eo præclara condebantur decreta de absolutionibus, dispensationibus, judiciis, appellationibus, Beneficiorum provisionibus, omnibusque aliis Ecclesiasticis cautis, ut patet ex actis Synodi, quæ Monachus S. Dionysii, Caroli VI Historiæ Scriptor integra recenset, & Laborius publici juris fecit. Horum Canonum impræsentiarum nonnisi summam exhibemus.

Spicil. tom. 6 pag. 161. Collect. Labb. Conc. tom. XI. p. 2520.

§. CXII.

Hujus Concilii decreta.

I. Excommunicatorum absolutio ipso jure Papæ reservata a sacræ Sedis Apostolicæ Pœnitentiario concedatur, si vero quædam ad eum recurrendi difficultas emergeret, Ordinarius loci provideat.

Monach. S. Dionys. in Hist. Carol. VI.

II. Ad

Sæcul. XV. A.C. 1408.

II. Ad obtinendas dispensationes ab irregularitate, quas Pœnitentiarius concedere valet, ad illum, si vero ejus potestatem excedant, ad Episcopum recurratur.

III. Ad dispensationes in impedimentis Matrimonii consequendas recursus habeatur ad Pœnitentiarium, vel ad Concilium Provinciale.

IV. Episcoporum electiones a Metropolitanis confirmentur, Sede metropolitana autem vacante, a Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ; Electio vero Archiepiscoporum a Primatibus, vel a Concilio illius Provinciæ Episcoporum, ad quos etiam Archiepiscopum consecrare pertinet, hac tamen servata conditione, ut Pallio abstineat, nisi quis adsit, cui jus conferendi illud competat. Abbatum monasteriorum etiam exemptorum electiones per Ordinarios, qui itidem electis Benedictionem conferant, confirmentur.

V. Dispensationes hactenus a Petro de Luna concessæ, validæ agnoscantur, & executioni mandari valeant.

VI. Metropolitani singulis annis Concilium ex suarum Provinciarum Episcopis cogant, huic autem omnes interesse teneantur; item Monachi Ordinis S. Benedicti, & Canonici Regulares Provincialia capitula quot annis celebrent.

VII.

VII. Appellationes fiant ſecundum gradus Jurisdictionis, ſique prima inſtantia facta fuerit coram Archiepiſcopo, ab eo appelletur ad Concilium Provinciale, quod Commiſſarios denominet, a quorum ſententia denuo ad Concilium appellari liceat; hoc autem alios deſignet Commiſſarios, qui definitivam pronuntient ſententiam, dummodo omnes tres ſententiæ ſemper ſibi conformes ſint; In caſu appellationis, donec interea Concilium celebretur, Epiſcoporum Decanus excommunicato abſolutionem *ad cautelam* impertiri valeat; Omnes appellationes, & cauſſæ ad ſacram Sedem Apoſtolicam deferri ſolitæ, ad Concilium Provinciale deferantur, atque a Commiſſariis ab eo deſignandis dijudicentur; cauſſæ vero Ordinis Cluniacenſis a proprio eorumdem Capitulo Generali decidantur: & deinceps nulla habeatur ratio ad appellationes, quæ apud Curiam Romanam, durante neutralitate interponentur; Sententiæ tamen ante neutralitatis promulgationem in Curia Romana latæ, infra currentis Menſis ſpatium executioni dari poſſint. Sæcul. XV. A.C. 1408.

VIII. In dijudicandis cauſſis procedatur juxta juris communis præſcripta, non vero ſecundum regulas Cancellariæ: Nunquam tamen cauſſarum Eccleſiaſti-

Sæcul. XV. A. C. 1408.

carum judicia ad forum sæculare devolvantur.

IX. Electiones, collationes, præsentationes, nominationes ad Beneficia ab iis, quibus de jure competit, fiant; Academia Album instruat omnium illorum, qui ad beneficia nominabuntur, cui tamen non inscribantur, quorum reditus ad quadringentas duntaxat ascendunt libras, nisi quodam charactere, aut dignitate insigniti fulgeant.

X. Omnes Beneficiorum in Galliis proventus a Petri de Luna famulatui adscriptis possessi confiscentur, & ærario Regis cedant, ad prosequendum unionis negotium impendendi. Hac quoque constitutione Cardinales haud ita pridem a Petro de Luna creati, utpote illius fautores, hæresis, atque schismatis rei damnantur; horum nomina sunt: Archiepiscopus Auxitanus; Episcopus sancti Pontii; & Catalaunensis Antistes; Abbas sancti Saturnini Tolosanus Condomiensis Episcopus; Bertrandus de Momonte Vauri Episcopus, Guido Flandrinus, Epistolæ Universitatis Tolosanæ lator. Auxitanus vero Archiepiscopus, necnon & de Fliscо, ac de Chalanto Cardinales nominatim in hac condemnatione expressi leguntur. In ea etiam Auxitanus paulo ante a Petro de Luna Cardinalis renuntiatus, Rothomagensi spoliatur

liatur Archiepiscopatu, quem ab eodem Anti-Papa collatum possidebat, in ejusque locum idem Concilium Ludovicum de Harcourt e regia stirpe oriundum, atque a Rothomagensi Capitulo electum confirmavit. Sæcul. XV. A.C. 1408.

§. CXIII.

Decreta ista nonnullis displicent.

Ad calcem horum Decretorum adjecta legebantur sequentia: *Hæc sancita sunt, salvis juribus Coronæ Franciæ, & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, salva etiam debita sanctæ sedi Apostolicæ reverentia, & Domino Papæ futuro legitimo, CLAVE NON ERRANTE.* Præsulum nonnullis hæc decreta minime probabantur, eorumque conditores, quod illa absque sufficienti auctoritate conflassent, tanquam alieni juris usurpatores fugillabant. Guido Regis, seu *de Roye* Remensis Archiepiscopus gravioribus querelis desuper motis ad Concilii Prælatos scribere non dubitabat, Neutralitatem ab eis proclamatam vere insaniam sapere, seque contra eam, & adversus cuncta illius decreta insurrecturum, utpote a Viris legitima potestate destitutis condita, nec cum debita ad Ecclesiæ Romanæ auctoritatem subordinatione facta; hinc se eos adhortari, ut Concilio Perpiniano,

Sæcul. XV. A.C.1408.

quod Petrus de Luna convocaſſet, interesse haud morarentur. Hæc Epiſtola non parum Concilii Præſulibus bilem moverat, atque Univerſitas a Rege facultatem obtinuit, Archiepiſcopum in jus vocandi, qui tamen huic edicto parere recuſavit, allegans, ſe primarium eſſe Parem Franciæ, non vero Commiſſariorum prædam (verba ſunt ſan-Dionyſiani Monachi) neque ſe, ſi cujusdam criminis reus eſſet, alium agniturum judicem, qui Rege, ſeque inferior foret. Præterea Regis juſſu, & ad preces Univerſitatis ſancitum eſt, ut Petrus de Alliaco Cameracenſis Epiſcopus tanquam Petri de Luna fautor comprehenderetur; imo Comiti de S. Paulo in mandatis datum, ut eum Pariſios adduceret. Verum Præſul iſte opportuna uſus ſolertia hoc fatum prævertit, obtentis a Rege publicæ fidei tabulis, vi quarum ei cautum erat, ut ſi cujusdam ſceleris inſimularetur, ſuæ cauſſæ cognitio ad ſupremum Regis Senatum devolveretur.

§. CXIV.

Caſtigatio eorum, qui injurioſam Benedicti Bullam attulerant.

Durante adhucdum Concilio in eos, qui acerbam Benedicti Bullam ad Gallia-

Galliarum Regem detulerant, animadversum est; Designatis ad dijudicandam eorum causam Commissariis, Sanchesius Lupus, alias *Lopez* natione Castellanus unacum Cursore, seu potius nobili Pontificis Scutario ex Arragonia oriundo die vigesima Augusti feria secunda, lata in eos sententia damnati sunt. Monachus S. Dionysii utriusque supplicium adeo memoratu digna narratione exponit, ut eam huc afferre operæ pretium omnino ducamus: "Ut majori, inquit il- „ le, afficerentur ignominia, Judicum „ jussu mithris e papyro confectis redi- „ mebantur, & Dalmaticis ex tela ni- „ gra confectis, ac desuper depictis Pe- „ tri de Luna insignibus vestiti, atque „ appensa gestantes programmata, qui- „ bus falsarios, & proditores ab alio pro- „ ditore missos esse exprimebatur, plau- „ stro alias pro evehendis Parisiensis „ urbis sordibus destinato imponebantur, „ ut hoc apparatu instructi ad Curiam „ Palatii veherentur, atque in ferali peg- „ mate totius populi exponerentur ludi- „ brio, qui quidem in magna conflu- „ xerat frequentia, sed non modica su- „ spensus detinebatur admiratione, quod „ illos tantis contumeliis affici cerneret, „ nec tamen causa culpæ manifestare- „ tur, nec cujus auctoritate tale judicium

Sæcul. XV. A. C. 1408.

Monach. S. Dionys. l. 28. c. 7.

Sæcul. XV. A. C. 1408.

„ contra eos latum fuerit, proclamare-
„ tur. „

Postera die, quæ erat Dominica, iterato sub eodem habitu in vestibulo Ecclesiæ ad Beatam Virginem expositi comparebant. " Ibique Commissariorum u-
„ nus ex Ordine sanctissimæ Trinitatis,
„ & Theologiæ Regens integrum inju-
„ riarum, & convitiorum torrentem con-
„ tra Petrum de Luna, necnon contra
„ præsentes illos infelices Viros evo-
„ muit, talibus usus verbis, quæ sane in-
„ fima fæx plebis proferre erubesceret,
„ quo indigno facinore potissimi tantam
„ concepere iram, ut ex congressu abi-
„ verint. Tandem postquam iste De-
„ clamator omnes injuriarum, ac crimi-
„ nationum fontes adversus Benedictum
„ exhausserat, ipsum, omnesque ejus fau-
„ tores hucusque in carcere detentos
„ læsæ Majestatis reos, & de hæresi, ac
„ schismate convictos, publice declara-
„ vit, addens, quod ad eadem crimina
„ quadantenus reparanda hi duo com-
„ plices ibi præsentes condemnati fue-
„ rint, & quidem horum primus ad per-
„ petuos carceres, Cursor vero ad trien-
„ nale duntaxat ergastulum, & hæc ex
„ Commissariorum sententia. „ Cete-
ros quoque complices in custodia detentos ad eandem triennalem pœnam condemnare statuebant Judices, sed trimestri car-

carcere eos punire præplacuit. Quia vero hi captivi elapso termino necdum in libertatem asserti fuerant, querelas suas ad Reginam, & Aquitaniæ Ducem detulerunt, a quibus illi eodem adhuc die, delegata Judicum auctoritate penitus revocata, Episcopo tradi jussi sunt, cui quantum ad schisma spectat, cognitio caussæ demandata est, quantum vero ad crimen læsæ Majestatis, cujus postulabantur, Senatus Regii judicio relicti fuerunt. Nihilominus integro adhuc Mense in Episcopali carcere detinebantur, quo tempore evoluto Episcopus eos, qui de gremio Capituli Ecclesiæ Cathedralis erant, libertate donavit, Abbate sancti Dionysii & Vapicensi Episcopo in custodia adhucdum hærentibus. Ubi vero Regina, Aquitannus, Bituricensis, & Burgundus comperiebant, quod potius ex Judicum pertinacia, quam æquitatis studio detinerentur, eos liberarunt, & ad sua redire concesserunt. Sæcul. XV. A.C.1408.

§. CXV.

Promotio Cardinalium a Gregorio facta.

Gregorius, quantum in ipso erat, ad partes suas firmandas, aut saltem adjacturam, quam suorum Cardinalium defectio- *Raynald. ad ann.1408. n. 59.*

Sæcul. XV. A.C. 1408

fectione perpeſſus eſt, reparandam ſtudia ſua convertens, feria quarta die decima nona Septembris novem creavit Cardinales, nempe Ludovicum Bonnetum (*) Juris Doctorem & Archiepiſcopum Tarentinum, Cardinalem Presbyterum tit. S. Mariæ Trans Tyberin; Angelum Epiſcopum Recinetenſem tit. S. Stephani in monte Cœlio; Angelum Barbaricum nobilem Venetum Epiſcopum Veronenſem tit. S. Petri & Marcellini; Bandellum de Bandellis Luccæ oriundum, Epiſcopum Tifernenſem, alias *Citta di Caſtello*, Cardinalem Presbyterum tit. S. Balbinæ; Philippum Rapindonem, ſeu Rapington Anglum, Oxonienſis Univerſitatis Cancellarium, & poſtea Lincolnienſem Epiſcopum Cardinalem Presbyterum tit. SS. Nerei & Achillæi; Matthæum Epiſcopum Wormatienſem, Cracoviæ oriundum, Cardinalem Presbyterum tit. S. Cyriaci; Lucam Manzoli Florentinum ex ordine Humiliatorum Epiſcopum Feſulanum, Cardinalem Presbyterum tit. S. Laurentii in Lucina; Vincentium de Rives Hiſpanum, Juris Doctorem, & Montis Serrati Priorem, Cardinalem Presbyterum tit. S. Anaſtaſiæ; Petrum Morſinum

(*) *Hunc Raynaldus, Paggius, pluresque alii vocant* Brancacium.

num, seu Maurocenum nobilem Venetum, Cardinalem Diaconum tit. S. Mariæ in Cosmedin. Sæcul. XV. A.C. 1408.

§. CXVI.

Utriusque Collegii Cardinalium Epistola ad Carolum.

Antiquiores Gregorii Cardinales Liburnum petunt, sua quoque cum Cardinalibus Benedicti studia collaturi. Igitur utriusque obedientiæ Collegiis ita congregatis secundum præsentem rei statum, quid agendum, deliberant. Ante omnia literas perscribunt ad Galliarum Regem Parisiensi Universitati inscriptas. In iis Carolum VI adhortantur, ut omni sua, qua pollet, auctoritate, ac potentia ad tam sanctum, piumque opus, quale esset schismatis extirpatio, juncta cum illis opera concurreret. Hanc Epistolam Patriarcha Alexandrinus in Gallias detulit, aliamque ex parte Regis Cardinalibus reddidit.

§. CXVII.

Epistola Cardinalium Gregorii ad Brunswicensem, & Luneburgicum Duces.

Cardinales Gregorii ad Duces quoque Brunswicensem, & Luneburgensem, qui *Spicil. tom. VI. p. 190.*

Sæcul. XV. A.C. 1408.

qui hujus Papæ obedientiam profitebantur, perscripserunt. Hæc epistola Pisis duodecima Maji data, atque a novem Cardinalibus, qui primum eo convenerant, signata fuit. Exstat adhuc alia Liburni die sexta Julii ab eisdem ad dictos Principes scripta, in qua eos admonent, ut Concilio, quod Pisis celebrare decrevissent, vel per se, vel saltem per suos legatos intervenire vellent, nec unquam paterentur, ut Gregorius Beneficia in eorum ditionibus sita sibi vendicaret, aut deinceps Camera Apostolica qualecunque subsidium inde acciperet.

Vonder-Hart tom. 2. part. 2.

§. CXVIII.

Alia ad Gregorium epistola.

Raynald. ad ann. 1408. n. 33. Spicil tom. VI. p. 200.

Ex eadem quoque Civitate ad Gregorium literas verbis admodum asperis conceptas exarabant, in quibus nequidem Pontificis nomine eum honorantes, eidem iterata exprobrant juramenta, pervicacem suam, nullaque solida ratione firmatam, Savonam pergendi repugnantiam, atque contemptum non solum Cardinalium, sed etiam Franciæ, ac Venetiarum Oratorum, aliorumque, qui eum ad Savonense iter impense sollicitassent. Denique post crebras, ac valde acres objurgationes declarant, se, ut suo non minus

nus officio, quam totius orbis voto face- Sæcul. XV.
rent satis, ab illo recessisse, & Concilium A.C. 1408.
convocare statuisse, reputantes, ad duo Collegia invicem conjuncta de jure secundum Canones ejusmodi convocationem devolvi, cum Concilium per alterutrum ex duobus Competitoribus convocatum, nunquam pro Oecumenico haberi posset, ac etsi sese ad ejusmodi Concilium utriusque consensu congregandum unirent, nil nisi tamen monstro haud absimile corpus resultaturum, utpote cujus præsidium ambo capita sibi arrogatura essent. Illos vero Canones, qui Concilii Generalis indictionem soli Pontificis auctoritati attribuerent, non se extendere ad casum, quo duo Pontifices, spreta voti, atque juramenti religione de Papatu retinendo contenderent. Tandem eundem adhortantur, ut ad dictum Concilium accederet, quod si venire recusaverit, aut si venerit, ea tamen, ad quæ teneretur, non adimpleverit, denuntiant, se contra illum juxta omnem juris rigorem processuros. Schismatis quoque Auctores tanquam Viros ipsis Judæis & Militibus paganis deteriores depingunt.

§. CXIX.

Sæcul. XV
A. C. 1408

§. CXIX.

Literæ a Benedicti Cardinalibus ad eundem, & a toto S. Collegio ad omnes Prælatos datæ.

Bourg. Prob. pag. 535. 540. 541 Labe tom. XI Conc. p. 2. fol. 314.

Haud segnioribus stimulis Cardinales Petri de Luna suum quoque Pontificem urgebant, ut ad Concilium, quod ad vigesimam quintam proximi Mensis Martii diem Pisis celebrandum indixerant, accederet, postulantes ab eo, ut huic convocationi suo quoque consensu adstipularetur, ac vel per se, vel Procuratores suos plena auctoritate instructos interesset, declarant tamen, quod si renuerit, nihilominus se a cæpto nequaquam destituros proposito, sed cuncta, quæ Concilium pro unione Ecclesiæ necessaria censuerit, executioni daturos. Posthæc tam isti, quam Cardinales Gregorii communi consilio ad omnes utriusque Obedientiæ Prælatos literas dederunt, queis illos ad idem Concilium invitarunt.

§. CXX.

Florentinorum, & Bononiensium responsum super quæstione de convocando Concilio.

Antonin. l. 3. tit. 22. §. 2. c. 5.

Dum interea Cardinales pro congreganda Synodo mutua conferunt consilia,

filia, quædam dubitatio plures ſuſpenſos tenet, ſcilicet, *qua auctoritate hoc Generale convocaretur Concilium?* Quoniam, inquiebant illi, ſoli ſummo Pontifici competit Conciliorum Canones de rebus Eccleſiæ agentes firmandi poteſtas. Hæc quæſtio integrum triduum Florentiæ matura deliberatione diſcuſſa eſt, tandemque unanimi voto concluſum, in præſenti rerum ſtatu jus convocandi Concilium, in quo Competitorum cauſſam dijudicarent, ac Pontificem alium eligerent, ad Cardinales devolvi. Pariter Univerſitas Bononienſis in hanc ſententiam abiit: incertum eſſe, quisnam ex hiſce duobus æmulis legitimus Papa foret, proin minime dubitandum, neutrum eorum unquam huic convocationi ſuo ſuffragaturum conſenſu; etiam conſtare, nec iſtum, nec illum in particulari tale Concilium convocare poſſe, cum ab una duntaxat Eccleſiæ parte tanquam Papa agnoſceretur, & denique ſummam negotii unice in extirpatione ſchiſmatis hærere, quam tamen uterque per abdicationis viam procurare jurata fide promiſiſſet; Ergo, concluſit univerſitas, cuncta hæc rationum momenta perſuadent, ut hæc duo Collegia in unum congregata in præſenti rerum articulo Concilium convocandi poteſtate gaudeant, accedente conſenſu majoris partis Principum, Prælatorum

Sæcul. XV. A. C. 1408.

Bzov ann. 1408. n. 4.

Sæcul. XV. A.C. 1408.

rum, atque fidelium, qui, cum ipsimet sint Ecclesia, seu Cætus Christianorum, in tali casu ipsos Cardinales ad hunc actum idoneos reddendi facultate pollent.

§. CXXI.

Gregorius a sibi addictis desertus.

Bzov. n. 15.

Hæc decisio non parum Cardinales in proposito, quo Synodum convocare decreverant, firmabat. Gregorius vero a Florentinis de hoc Cardinalium consilio per epistolam edoctus, die octava Martii anni sequentis respondit, integram conscribendo apologiam, commovendis animis admodum idoneam, qua se purgare conatus est, postulans, ut a Concilio Pisis congregando desisteretur, atque alius seligeretur locus, ad quem se quoque accessurum spopondit. Sane Gregorius haud levibus rationum momentis ad impediendum Pisanum concilium urgebatur; Nam Balthasar Cossa Cardinalis tituli S. Eustachii, & Vicarius Ecclesiæ Romanæ ab utroque Collegio in unum congregato renuntiatus sub gravissimis prohibuit pœnis, ne deinceps sive Benedictus, sive Gregorius pro Pontifice haberetur, ac ideo Bononienses Antonium Corarium, quem Gregorius ejusdem Patruus Episcopum Bononiensem creave-

rat,

rat, ab hac sede deturbarunt; Romani quoque insignia, & Gregorii effigiem ubique dejecerunt, nec ultra eum appellare Papam Romæ licebat. Nec minus Venetis Concilium Pisis celebrandum probabatur; & Cardinalis Philargius, qui postea sub nomine Alexandri V Papa electus fuit, ad Balthasari Cossæ partes accessit. Tandem Pisis jamjam hærebant Oratores Franciæ, Siciliæ, Lusitaniæ, Angliæ, Hungariæ, & Poloniæ, qui omnes hanc Synodum omni studio urgebant. Sæcul. XV. A.C. 1408.

§. CXXII.

Iterata Cardinalium Benedicti ad eum epistola.

Quoniam Benedictus epistolam, qua Cardinales antiquiores eum ad Synodum vocabant, respondere neglexerat, hi ad eundem iteratas expediunt literas, quæ Pisis die vigesima quarta Septembris datæ fuerunt, Joanne Guiardi Doctore, & Pictavienſi Archi-Presbytero illarum bajulo. His vix non eadem, quæ in primis, petebant Cardinales, tandem declarantes, quod si Concilio interventre, aut saltem nomine suo quosdam ablegare renueret, tanquam contumax judicaretur, & velut membrum ab Ecclesiæ

Sæcul. XV. A.C. 1408.

clesiæ corpore abscissum, necnon criminis reus, necquidem Martyrio pro Christi fide tolerato expiandi, habendus esset.

§. CXXIII.

Benedicti responsoriæ ad suos Cardinales.

Spicil. tom. VI. p. 225.

His tandem Benedictus acriter stimulatus ad eos die decima septima Novembris responsorias misit, in quibus, alienus sum, inquit, " ab objecto propaga-
„ ti schismatis probro, veni enim Savo-
„ nam, sed Gregorio illuc accedere re-
„ cusante, ac insuper mihi a Florentinis
„ & Luccensibus denegato salvo condu-
„ ctu nec Liburnum adire fuit integrum;
„ Ceterum haud diffiteor, quod ad tu-
„ tum me locum receperim, interim ta-
„ men Legatos meos plena ad unionem
„ efficaci conatu promovendam auctori-
„ tate munitos mittere, firmiter decrevi,
„ Genuæ vero Gubernator a Franciæ Le-
„ gatis inductus eisdem liberi com-
„ meatus literas expedire detrectavit.
„ Hac de caussa inde recedere, ac Con-
„ cilium Generale Perpiniani indicere
„ compulsus fui, utpote quæ esset civi-
„ tas ceteris securior juxta ac vicinior.
„ Cum autem, prosequitur, ipsemet Pi-
„ sas adire omnino nequeam, ideo vo-
„ bis

„ bis præcipio, ut Perpinianum acceda- Sæcul. XV.
„ tis, ubi jam plurimi Prælati, aliique A. C. 1408.
„ ſpectabiles Viri ex Hiſpania, Galliis,
„ Sabaudia, Provincia & Vaſconia ſeſe
„ contulerunt, ſpondeoque, me ad to-
„ talem ſchismatis extinctionem, & red-
„ dendam Eccleſiæ pacem in hoc Con-
„ cilio omnia neceſſaria adhibiturum
„ media. „

§. CXXIV.

Concilium Perpinianenſe a Benedicto celebratum.

Die omnibus Sanctis ſacra Concilium ſuum Perpiniani ſolemni admodum pompa auſpicatus eſt Benedictus. Magna erat congregatorum frequentia; Novem aderant Cardinales, quatuor Patriarchæ, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus a Benedicto creati, nam & Gregorius totidem ſuos habebat Patriarchas ſub iisdem titulis. Præterea præſentes aſſiſtebant Toletanus, Cæſar auguſtanus, & Tarraconenſis Archiepiſcopi, ingens quoque Prælatorum numerus Hiſpaniæ, Caſtellæ, Arragoniæ, vicinarumque Provinciarum, nimirum Sabaudiæ, Lotharingiæ, ipſiusque Franciæ, ex Comitatibus Armoricenſi, & Fuxenſi. Major quo-

Labbe Collect. Conc. tom. XI. pag. 2110.

Niem. l. 3. c. 36.

Surita l. 3.

Sæcul. XV. A.C.1408. que Gallorum fuiſſet concurſus, niſi edicta in Galliis promulgata, & præſidiarii, quibus ad Concilii locum omnes intercludebantur viæ, aditum prohibuiſſent. Unde non pauci mutatis etiam veſtibus eo pergere compellebantur. Prima hac die Pontifex rem divinam peragebat, quam Alphonſi Æneæ Patriarchæ Conſtantinopolitani Hiſpalenſis Eccleſiæ adminiſtratoris oratio excepit. Altera vero Seſſio, ut abſentibus commodior pateret acceſſus, usque ad quintam decimam Novembris diem protracta fuit. Tempore hoc intermedio, nempe duodecima ejusdem menſis Benedictus duos creabat Patriarchas, ſcilicet Franciſcum Ximenen ex ordine FF. Minorum, necnon Theſaurarium Eccleſiæ Magellanicæ; Hunc Hieroſolymitanæ, illum vero Eccleſiæ Antiochenæ præfecit. Quos ambos Joannes de Aremorica alias Cardinalis Auxitanus conſecravit. Ergo prima hujus Concilii Seſſio habita eſt quinta decima Novembris, in qua nonniſi ſtudia, ac labores, quos Benedictus exantlavit, & pericula, quæ pro extinquendo ſchismate ſubiit, exaggerabantur. In altera ſeſſione die decima ſeptima ejusdem menſis celebrata perlecta eſt profeſſio fidei, quam Pontifex tenere ſe, ac profiteri declaravit. In tertia, quæ feria quarta die vigeſima prima Novembris inita

ta est, denuo cuncta pro restauranda pace a Benedicto præstita recensebantur. Tandem in quarta, quæ in diem quintam Decembris incidit, Benedictus e Prælatis suis media, quæ ad reddendam Ecclesiæ unionem utiliora censerent, explorabat. Episcopi in diversas abiere sententias. His placuit, ut Benedictus ad Pisanos, rupta omni mora suos mitteret Legatos, qui ejus nomine Papatum dimitterent; alii vero abdicationem hanc adhuc differendam existimarunt; tandem tanta animorum, vocisque contentione disceptatum est, ut potior Prælatorum pars inde recesserit, nonnisi octodecim eorum remanentibus. Sæcul. XV. A.C. 1408.

§. CXXV.

Libellus supplex Benedicto a suis Prælatis oblatus.

Prima Februarii die anni sequentis, præfati octodecim Prælati Papæ porrexerunt libellum supplicem, in quo declararunt, venerari se illum tanquam verum & legitimum Christi Vicarium, simul tamen eidem auctores esse, I. ut cessionis viam tanquam meliorem, atque aliis viis præhabendam omni dilatione remota amplecteretur. II. Necnon nomine suo ad contrariæ obedientiæ Pontificem, e- *Niem. de schism. l. 3. c. 38.*

Sæcul. XV. A.C. 1409.

jusque Cardinales decerneret internuntios, plena & libera instructos potestate tractandi omnia & singula ad pacem necessaria, ac si ipsus præsens adesset. III. Eventui, quo eum forte unione nondum perfecta obire contingeret, jam nunc Constitutionibus, tamque salutaribus provideret legibus, ut juxta eas electio Canonice celebrari posset; congruas item statueret pœnas in eos, qui pacem perturbare attentarent.

§. CXXVI.

Septem Oratores ad Concilium Pisanum a Benedicto nominati.

Spicil. tom. VI. p. 236.

Benedictus Mense Februario ad finem vergente, anno supra millesimum quadringentesimo nono præfatum recipiebat libellum, cumque se omnia in eo contenta executurum spopondisset, Patriarcha Constantinopolitanus nomine Concilii eidem gratias agebat. Ergo datæ fidei memor in Sessione die vigesima sexta Martii celebrata septem diversarum Nationum Oratores designat, qui cum plena de concordia tractandi auctoritate muniti Pisas irent, atque hujus negotii perficiendi media explorarent. Hanc legationem obierunt Archiepiscopus Tarraconensis, Seguntinus, Mimatinus,

nus, & Senensis Episcopi, Prior Ecclesiæ Cathedralis Cæsar-Augustanensis, & Gallæciæ Ecclesiæ Administrator, necnon Bonifacius Ferrerius, qui Vincentii Ferrerii Dominicani a Calisto III Sanctorum fastis adscripti frater erat. Hi autem omnes in itinere adhuc constituti, jussu Galliarum Regis Nemausi fuere intercepti, solo excepto Tarraconensi Archiepiscopo, utpote qui Cataloniæ hærebat nomine Benedicti apud Carolum VI legatione functurus. Tandem vero urgente Arragonum Rege liberi commeatus acceperunt tabulas; eis autem vix Pisas salutantibus, generalis adversus illos mota est seditio, ubi non nisi ægerrime a publicis insultibus, ac violentiis præmuniri poterant, Florentinis in eorum cædem, & perniciem conjurantibus. Hæc ita relata hausimus ex Bonifacio Carthusiano, cujus fides forte suspecta est propter immodicum ipsius erga Benedictum Papam affectum, vel maxime, quia totum hoc factum in actis Benedicti Concilio Constantiensi insertis longe aliter enarratum perspicimus. Sæcul. XV. A. C. 1409.

§. CXXVII.

Gregorius Concilium convocare meditatur.

Haud segnior Gregorius pro parte sua *Bzov. an. Con-* 1408. *num.* 9.

Sæcul. XV
A. C. 1409.

Concilium congregare meditatur, illud Pisanæ Synodo oppositurus. Verum hujus propositi executio, cum neutralitas ferme ubique communis esset, non adeo expedita videbatur. Quippe Concilium Romæ celebrare haud poterat, quod Romani persuasum sibi haberent, a Gregorio Urbem suam Ladislao traditam, atque ingentem Patrimonii Ecclesiæ partem in pignus eidem relictam, nec alio ex fine Regem anathemate fuisse perculsum, quam ut Papa fraudem suam speciosius occultaret. Præterea Genuensium Respublica neutrius Pontificis imperio parebat, & potior Italiæ pars ad idem quoque consilium descendebat. Demum Florentini cum suis confœderatis Ludovico Andegavensi, qui Ladislai Competitor pro Neapolis Regno erat, sese addixerunt. Has ob rationes Gregorius ad Venetorum Rempublicam, patriam suam, quæ neutri adhærebat parti, animum suum convertit, atque in eorum ditionibus aliquam urbem pro celebrando suo Concilio seligere decernit. Ergo ablegato ad Venetos Nuncio exponit, in Exarchatu Ravennatensi ad festum Pentecostes Synodum se convocare statuisse. Verum hoc Pontificis consilium nequaquam probabatur Venetis, utpote qui jam antea Legatos suos ad Pisanum Concilium miserant, & duorum

Conci-

Conciliorum uno, eodemque tempore celebrandorum convocationem nil nisi ad schismatis incrementum conferre judicarunt. Talia igitur missis ex Pisanorum Cardinalium sententia oratoribus, datisque literis Gregorio, ejusque Cardinalibus significarunt. Florentini horum quoque secuti sunt exemplum, a Venetis admoniti, quorum imperio Pisana urbs tunc temporis parebat. Sæcul. XV. A.C.1409.

§. CXXVIII.

Historia tragica particularis Leodiensium schismatis.

Hunc in statum deductum est generalis schismatis negotium, cum Joannes Burgundiæ Dux Joannem Bavarum Alberti filium, Imperatoris Ludovici Bavari Nepotem, & Guilielmi Hannoniæ Comitis Fratrem in suo Leodiensi Episcopatu armis tuendum suscepisset. In hac enim quoque Sede diuturnum inter Romanos Pontifices schisma valde tragicam juxta ac cruentam aperuit scænam: ortum traxit ex duobus Episcopis per diversos Pontifices simul confirmatis; Primus erat Joannes Bavarus mox laudatus, & ab Urbano VI, cui Leodienses tum obedientiam deferebant, confirmatus. Alter vero Theodoricus, cujus Pa- *Monach. S. Dionys. l.28. c.6.* *Monstrelet. ad hunc ann. p.52.l.1.c.47.*

Sæcul. XV. A C 1409

ter Henricus de Parweis potentissimus hujus regionis Dominus instigantibus Leodiensibus contra Joannem e Bavaria seditionem movit, ea lege, ut Filium ejus in Episcopum Leodiensem proclamarent. Joannes Bavarus, vitio illa ætate satis solemni, statum Clericalem nonnisi bonorum Ecclesiasticorum possessiones aucupandi animo amplexus est, nec tamen, ut sacris Ordinibus initiaretur, ullis precibus, ullove pacto induci poterat, quamvis vigesimum quintum jamjam ætatis annum egressus esset. Joannes pertinaci hoc suo consilio adeo Leodiensibus displicuit, ut non raro populi seditionem in se motam declinaturus, Trajectum fugere compelleretur. Nihil vero magis Civium exasperabat animos, quam quod ab Innocentio VII, cujus ad obsequium redierat, diploma extorsisset, vi cujus Episcopatum suum retinendi veniam impetravit, quin illico S. Presbyteratus Ordine initiaretur. Ergo primo secretæ multorum indignationes audiebantur, dein ad criminationem, & publicas querelas, quin etiam ad apertam seditionem res devoluta est, tanto tumultuantium furore, ut Episcopus unacum Curia sua Trajectum præcipiti fuga contendere coactus esset, quo facto reliqua etiam pars Civium Episcopi sui imperium excutere non dubitabat. Parweisius seditio-

ditioſorum agmen ducit, & Theodoricus filius ejus nonniſi viginti annorum adoleſcens Joanni Bavaro in Epiſcopatu Leodienſi ſufficitur, quamvis intruſi familia oppreſſo Bavaro plurima debuiſſet beneficia, favoresque longe ampliſſimos. Sæcul. XV. A C. 1409.

§. CXXIX.

Epiſcopus a Leodienſibus Trajecti obſeſſus.

Cum ſingulis perſuaſum eſſet, Gregorium XII Pontificem Maximum ſchismaticam hanc electionem nunquam confirmaturum, aut Joannis Bavari, qui eidem adhæſit, ejectioni ſuffragaturum, confirmatio petebatur a Benedicto XIII, qui ambabus ulnis opportunam hanc qua ſuam in Leodienſes auctoritatem ſtabiliret, occaſionem amplexus eſt; quapropter Legatum ſuum, qui Theodoricum in nova ſua firmaret dignitate, Leodium decrevit. Inde ex generali Eccleſiæ ſchismate enatum eſt particulare, duobus Epiſcopis de eadem Sede contendentibus; quorum cuilibet alteruter patrocinabatur Pontifex. Biceps illa Sedis uſurpatio integrum tenuit biennium, interea vero Joannes de Bavaria potiſſimorum Principum, qui omnes ſibi vel proxima cognatione, vel fœdere juncti erant, *Theod. Niem. de ſchiſm. l. 2. c. 31.*

Sæcul. XV. A. C. 1409.

implorabat auxilium. Seditioſi autem Joannem Epiſcopum ſuum Trajectum auffugientem ibidem cum exercitu quinquaginta circiter millium armatorum obſidione premebant. Obſeſſi in quartum jam menſem invicto animi robore oppugnantium impetus ſuſtinebant, famis violentia pene ad ultimas redacti anguſtias; cum Joannes Burgundiæ Dux opportune ad ſolvendam obſidionem advolat exercitum triginta quinque millium ſuorum ducens, inter quos octo millia Nobilium cum ſuis ſcutariis numerabantur, reliqui levis armaturæ pedites, potiſſimam partem Sagittarii, & Balliſtarii erant.

Mayer l. 15. Gaguin. l. 9.

§. CXXX.

Epiſcopus a Burgundo adjutus, & Rebelles cæſi.

Monach. S. Dionyſ. l. 28. c. 6. & 14.

Igitur Burgundus cum bellicis hiſce copiis verſus Trajectum ad Moſam Menſe Septembri movens, in quodam loco duabus, vel tribus Leucis cis Tungrum caſtra locat. Antequam vero armis rem decerneret, Parweiſium ad mutuum invitat colloquium de pace ineunda acturus. Parweiſius octo dierum inducias paciſcitur, ratus, quod Ducem inopinato opprimere poſſet, utpote quem hac ſecu-

ritate

ritate fretum minus rebus ſuis invigila- Sæcul. XV.
turum ſperabat. Quapropter fraudem A.C.1409.
occultaturus de repente vigeſima prima Septembris die obſidionem ſolvit, & recta Tungrum cum exercitu ſuo procedit, ubi decem millia civium arma capere juſſos ſecum adducit. Aſt die Dominica vigeſima tertia ejusdem Menſis ſole necdum illuceſcente Urbe egreditur, Ducem Burgundiæ ex inſidiis invaſurus. Nihilominus Dux de Parweiſii conſilio edoctus, primus hoſti ſuo occurrere conſtituit, atque eodem die motis caſtris totum ſuum exercitum in conſpectum Leodienſium ducit, qui non modico perculſi timore gradum ſiſtunt, cum jam ad prælium inſtructos cernerent, quos in caſtris ſuis ex improviſo oppprimere crediderant. Burgundus nulla mora copias ſuas in aciem collocat, atque ex edito quodam loco opportune occupato hoſtem a tergo toto impetu adoritur. Atrociſſima erant pugnæ initia, tantaque animi fortitudine, ac irremiſſa cædis aviditate Ducis copiæ hoſtium impetus exceperunt, ut Parweiſium, qui hucusque fortiter dimicabat, ingens trepidatio penitus obruerit. Tandem Victoria, quæ integram horam ancipiti Marte hinc inde nutabat, penes Burgundiæ Ducem ſtetit, Leodienſibus qua captis, qua cæſis, & omni ex parte adeo inhumane fuſis,

Sæcul. XV. A.C. 1409.

fusis, ut non jam pugna esset, sed furentium laniena, & horrenda hostium carnificina, nec citius Victorum ferocia quiesceret, quam cædibus fessi, nec sibi periculum, nec Leodiensibus amplius arma supereſſe cernentes reliquos in captivatem abstraherent. Verum Deus hasce quoque miseras seditiosorum reliquias vindictæ suæ reservabat; Burgundus enim, quos cepit, omnes trucidari jussit, veritus, ne hi cum decem millibus civium, qui tardius e Tungro ad firmandum Parweisii exercitum occurrebant, suas quoque vires jungerent, ac toto agmine in Burgundos irruerent, sicque prælium obtenta jam victoria redintegrare necesse foret. Verum inanis erat iste Burgundi timor, Tungrenses enim percepta Leodiensium clade fuga sibi consuluerunt, relictis tamen suorum plusquam duobus millibus, qui ab insequente hoste interfecti ceciderunt. Hoc prælio triginta sex millia rebellium cæsa numerantur. Ipse Parweisius hujus exercitus Imperator ejusque Filius Theodoricus lanceis confossi inter cadaverum acervos Patre manum filii arctius stringente reperti sunt. Victor vero Burgundus non nisi quingentos vel sexcentos suorum amisit, quos inter septuaginta tantum Nobiles erant. Sexaginta autem factionis Principes capitali sententia plectebantur. Tota Leodiensis

dienſis ditio ſuis exuebatur privilegiis, donec ea reſtituere, Joanni Bavaro bene viſum fuiſſet. Expeditione confecta Benedicti Papæ Nuntius, nec non intruſi Epiſcopi officiales a populo diris execrationibus appetiti tandem omnes in Moſam demerſi perierunt. Tam infelicem ſortiebatur exitum Leodienſium ſchiſma, abominabilis fœtus magni illius ſchiſmatis, quo univerſa Eccleſia in partes ſcindebatur, & ad cujus extinctionem Germania impenſius ſua ſtudia conferebat. Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CXXXI.

Comitia Francofordienſia.

Germani funeſto Leodienſium fato tantopere commoti ſunt, ut ſine omni ulteriore mora pro abolendo Eccleſiæ ſchiſmate omnes vires ſuas intendere decernerent. Jam Menſe Decembri Anno milleſimo quadringenteſimo octavo Gregorius in Germaniam miſerat Legatum, Antonium de Corario Nepotem ſuum, ut Rupertum Romanorum Regem induceret, ne ſuos ad Concilium Piſanum ablegaret. Econtra Cardinales Piſis congregati nomine ſuo Landulphum Maramaurum Cardinalem Barenſem ad Germanos decernunt, qui ad initium Januarii anno milleſimo quadringenteſimo nono Francofor- *Niem. de ſchiſm. l. 3. c. 38. & 39.*

Sæcul. XV. A.C. 1409.

cofordiam delatus comitiis in hac urbe celebratis interfuit. Erat hic Conventus ob ingentem hominum frequentiam oppido ſolemnis. Aderant præter ipſum Rupertum, ejusque Senatum Henricus Brunſuicenſis Dux, Hermanus Haſſiæ Landgravius, Fridericus Marchio Misnienſis, atque alius quidam Fridericus Burggravius Norimbergenſis, Moguntinus & Colonienſis Archiepiſcopi, complures Epiſcopi, Abbates, Comites, aliique nobiliſſimi Viri; unacum Franciæ, Angliæ, Poloniæ, Bohemiæ, aliorumque Regnorum Oratoribus. Horum Comitiorum ſcopus erat, ut matura deliberatione perpenderetur, utrum Piſano Concilio inhærendum eſſet, necne.

§. CXXXII.

Gregorii ad Comitia Nuncius, & Piſanorum Cardinalium Orator.

Raynald. ad an. 1408. n. 6. & an. 1409. n. 11.

Cardinalis Barenſis Patrum Piſanorum Orator in tota Germania ſummis honoribus exceptus fuit; Aſt non eadem expertus eſt benevolentiæ ſigna Antonius Cardinalis Camerarius, & Gregorii Legatus, ejusdemque Nepos, primum ſexto poſt inchoata comitia die adveniens. Publica enim omnium vox erat, eum non ob aliam cauſam, quam ut lites excitaret, accef-

acceſſiſſe. Solus Rupertus iter agenti ſecuri comitatus obſequio præſto fuit, eumque perhonorifice excepit. Tandem Francofordiam delatus in pleno conſeſſu orationem declamavit, valde prolixam, atque ad ſeditiones concitandas inſtructam, in qua Gregorium purgare conatus, Cardinales Piſanos, nominatim vero Cardinalem Barenſem indignis admodum verbis laceſſivit. Hæc oratio plurimum cunctos offendit Principes, ſoli Ruperto non diſplicuit, qui etiam duobus ex poſt diebus cum eo Heidelbergam profectus eſt. Nihilo tamen minus in comitiis congregati diſceſſum ejus flocci pendentes ſententiam de celebrando Piſis Concilio pronuntiarunt, eoquod hac via ſchiſma brevi tempore extinctum iri ſperarent. Quidam Jurium Doctor, nomine Robertus de Franzola, ſacri Palatii Moguntini Advocatus, Cardinales apologia a ſe concinnata vindicabat, quam etiam ipſus Francofordiæ coram Ruperto, omnique conſeſſu publici juris fecit.

Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CXXXIII.

Legatio Imperatoris ad Gregorium.

Rupertus hac ſententia in Comitiis decreta ſe nullatenus abſterreri paſſus, ad

Sæcul. XV. A. C. 1409.

ad Gregorium Oratores destinat, selectis ad hanc Legationem Archiepiscopo Rigensi, & Wormatiensi, ac Werdensi Episcopis, unionis tractandæ obtentu, re tamen ipsa Concilium Pisanum impediendi studio. Sed hos spes sua fefellit. Gregorius quoque ad protelandum pacis negotium Episcopum Werdensem Pisas allegat, Wormatiensi autem Cardinalitiam offert dignitatem, quam tamen ille recusabat. Ceteri vero Principes, qui Concilio favebant, magnis itineribus Pisas contendebant. Joannes Gersonius celeberrimus universitatis Parisiensis Cancellarius Anglorum Legatos, dum Lutetiam transibant, habita solemni oratione excipiebat. Genuæ Pileus Marinus ejusdem Civitatis Archiepiscopus ad Oratores Franciæ de mediis extinguendi schismatis sermonem habuit, viamque cessionis tanquam a toto Christiano orbe approbatam, atque ab ipsismet Competitoribus promissam, suo quoque firmavit suffragio. Idem Prælatus Pisis agens librum composuit, cui sequentem inscripsit titulum: *Informationes Archiepiscopi Genuensis de reformatione Ecclesiæ;* egregium sane opus, sed ni fallor, necdum typis excusum.

§. CXXXIV.

Sæcul. XV.
A.C.1409.

§. CXXXIV.

Mors tragica Guidonis de Roye Remensis Archiepiscopi.

Inter ceteros Franciæ Oratores, qui Pisas adibant, erat Guido Rex, seu *de Roye* Remensis Archiepiscopus, qui fato sane tragico ultimum suum diem clausit. Cum enim in quamdam ignobilem civitatem, seu ut melius dicam, in Viculum Vutra dictum, prope Genuam perveniisset, faber ejus fabrum loci, exorta inter eos rixa, occidit. Archiepiscopus illico homicidam, ut dijudicata causa condignas pœnas daret, judicis tribunali sisti jubet, ratus, hoc pacto se populi sedaturum tumultus de concivis sui morte vindictam quam acerrime exposcentis. At cum commotam plebem allo queretur, verbis blandioribus placaturus, subito sagitta a quodam hujus pagi incola furiosius emissa, vocem & vitam huic Prælato eripit. Cives hac cæde necdum satiati insuper & Archiepiscopi fabrum, ipsumque Judicem, in cujus custodia tenebatur reus, trucidant, pari crudelitate ipsum quoque Cardinalem Barensem, ceterosque omnes Legatos e medio sublaturi, nisi ad sedandos populi tumultus Buccicaldus Præfectus cum armatis advolasset. Corpus Archiepiscopi honorifica pompa terræ man-

Juven. Ursin. Hist Carol VI. pag. 200. Monstrelet p. 83.

Sæcul. XV. A.C. 1409.

datum fuit, & Buccicaldus in hujus seditionis Auctores severius animadverti jussit, quorum plurimi pœnas mortis penderunt, eorumque domus solo æquatæ. Quibus peractis Legati iter suum prosecuti, Pisas tandem venerunt.

§. CXXXV.

Concilii Pisani initia.

Collect. Conc. tom. XI. p. 2117. Bzov. n. 5.

Primus, solemnisque concessus Concilii, quod ad diem vigesimam Martii anni supra millesimum quadringentesimi noni Pisis indicebatur, præstituta die habitus est, omnibus Gregorii artibus (*) ad impediendam Synodum incassum adhibitis, utpote cujus auctoritas eo tempore non amplius adeo suspiciebatur. Regna enim Hungariæ, & Poloniæ, nec non Provinciæ Russiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Rasciæ, Serviæ, Bulgariæ, & Sclavoniæ, quæ prius hujus

(*) *Huc applicare liceat ea, quæ in simili calumnia S. Antoninus part. 3. tit. 22. c. 5. §. 2. de Gregorio scribit, refellens eos, qui tam Gregorium, quam Benedictum juramentum & fidem de unione Ecclesiæ promovendæ præstitam violasse arguebant:* Quod si, *inquit ille,* verum credi posset ex parte Benedicti, tamen de Gregorio non idem apparuit. Licet vulgus ex divulgatione Cardinalium & aliquorum hoc sentiret, scili-

Sæcul. XV. A. C. 1409.

hujus Pontificis partes tuebantur, una cum Comitatu Cilleiensi penitus ab eo deficere meditabantur. Concilium istud tam nobilitate, quam numero certatim confluentium cum aliis Conciliis a longo tempore in Ecclesia celebratis de palma contendere potest. Intererant viginti duo Cardinales, quatuor Patriarchæ, scilicet, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, & Gradensis, Archiepiscopi duodecim per se ipsos, & quatuordecim per Procuratores, octoginta Episcopi, & ducenti aliorum Procuratores; Abbates octoginta septem, quos inter Cisterciensis, Claravallensis, Grandimontensis, Camaldulensis, & Vallis umbrosæ, nomine omnium ordinis sui Monasteriorum, item Procuratores ducentorum aliorum Abbatum, Priores quadraginta & unus. Adfuere insuper Generales FF. Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, & Augustinianorum. Magnus Rhodiorum Ma-

Alex. hist. Eccl Sæcul. XV. Dissert. II. pag. 345.

scilicet quod colluderet vel simularet, quinimo contrarium ostensum est. Nam Concilium Constantiæ celebrandum ipsius approbavit: suos Cardinales misit, & quia decrepitus erat, ire non valens, procuratorem misit Malatestam ad renuntiandum. Nec transgressor juramenti vel voti judicari debuit, si non debito modo agere potuit, quod promisit, alio ei insidiante, ut nondum clarificatus de jure suo id sibi soli usurparet.

Sæcul. XV. A. C. 1409.

gister cum sedecim Commendatoribus, Prior Generalis Equitum S. Sepulchri, & Procurator Generalis Equitum Teutonicorum, magni Magistri, totiusque Ordinis sui nomine, unacum Academiarum Parisiensis, Tolosanæ, Aurelianensis, Andegavensis, Montispessulanæ, Bononiensis, Florentinæ, Cracovienſis, Viennensis, Pragensis, Colonienſis, Oxonienſis, & Cantabrigensis aliarumque Oratoribus. Pisas quoque adibant Capitulorum Procuratores centum & amplius, Ecclesiarum Metropolitanarum, atque Cathedralium, nec non Regum Franciæ, Angliæ, Lusitanniæ, Bohemiæ, Siciliæ & Cypri, ac Burgundiæ, Brabantiæ, Lotharingiæ, Bavariæ, Pomeraniæ Ducum, Brandeburgensis Marchionis, Thuringiæ Landgravii, omniumque pene Germaniæ Principum Legati. Denique plusquam trecenti Theologiæ, ac Decretorum Doctores.

§. CXXXIV.

Sessio prima, illius solemnia.

Niem. l. 3. c. 38.

Postquam Prælati Pontificalibus ornati, ritu supplicantium ex Ecclesia S. Michaelis ad Cathedralem Pisanam processerant, feria secunda die Beatissimæ Virgini annuntiatæ sacra in anteriori parte templi primus hujus Concilii consessus habi-

habitus est. Disposita ibidem erant sub- Sæcul. XV.
sellia, quæ quisque pro dignitatis suæ A.C. 1409.
prærogativa, atque gradu occuparet. Primo loco sedebant Cardinales Prænestinus, Albanensis, Ostiensis, Podiensis, de Tureyo, Salutiensis, & Cardinalis S. Angeli, qui omnes Benedicto adhærebant, item Cardinalis Aquileiensis, de Columna, Ursinus, Brancatius, Ravennas, Laudensis, & Cardinalis S. Angeli, qui Gregorio obedientiam profitebantur. E regione Altaris, cujus utrumque latus Protonotarii Sacri Palatii stipabant, posita erat scamnum Oratorum; hi erant, Episcopus Meldensis nomine Galliarum Regis; Vapicensis vero, duo Equites, unus Legum Doctor, necnon quidam Secretarius nomine Siciliæ, denique Angliæ Regis nomine Nobilis quidam Anglus cum quodam Doctore, alioque simplici Clerico ex Comitiis Francofordiensibus cooptato. Ambos vero ordines inferioris partis Ecclesiæ a summo usque ad imum tenebant ceteri Episcopi, atque Abbates; quibus proximæ erant sediculæ, ac minores sellæ, usui quorumdam a Capitulis & Conventibus Deputatorum destinatæ. Tota reliqua Ecclesiæ parte constitutæ erant aliæ sedes paulo humiliores pro omnibus Prælatitia dignitate non conspicuis, Regum, Monarcharum, Principum, & Magnatum legatis, inter quos & ceteri Do-

Sæcul. XV. A.C.1409.

ctores sedebant intermixti, necnon & pro aliis Capitulorum & Monasteriorum Procuratoribus.

§. CXXXVII.

Altera Sessio præliminaris.

Prima Sessio non nisi solemniis de more celebratis absoluta fuerat. In ea Cardinalis de Tureyo Pontificali pompa rem divinam peregit, quam oratio a quodam Doctore Florentino Ordinis S. Dominici declamata excepit. Cum vero tempus propemodum effluueret, Sessionem in crastinum, id est, vigesimum sextum Martii diem differendam indixit. Ergo stata die Cardinalis Vivariensis, seu forte melius, Cardinalis Pictavensis, qui & Concilii Præses erat, Missam habuit, qua finita Petrus Philargus, vulgo de Candia Cardinalis Mediolanensis e sacro suggestu ad Concilii Patres dixit, atque eos, ut Ecclesiæ unionem strenue procurarent, adhortatus est. Orationis suæ Thema ex libro Judicum cap. 20. v. 7. deprompsit: *Adeste omnes, Filii Israel, decernite, quid facere debeatis.* Absoluto sermone, Cardinales & Prælati sericis cappis diversi coloris, albisque mitris ornati adstabant, decantatis interea quibusdam antiphonis. Tum Diacono *orate* intonante, omnes se prosternunt, & per unius Psalmi *miserere*

re

re ſpatium ita provoluti perſeverant. Poſt- Sæcul. XV.
hæc Cantorum, & Sacellanorum Chorus A.C.1409.
aliam inchoat Antiphonam, quam excipiebant Litaniæ a Diacono, & Sub-Diacono decantatæ, quibus omnes, ſicut antea, humi proſtrati reſpondebant. Tandem perſolutis aliis nonnullis precibus Cardinalis Epiſcopus præcinebat Hymnum *Veni creator &c.*, quem totus Conſeſſus canendo proſequebatur, atque additis quibusdam orationibus pariter ab eodem Cardinale decantatis, Diaconus alta voce clamabat: *Erigite vos.* Tunc omnibus ſeſe elevantibus ſuum quisque occupat locum. Hi ritus in reliquis Seſſionibus exacte obſervati fuere. Omnibus hiſce ſolemnibus de more peractis, illi, quos Concilii negotia non concernebant, diſcedere juſſi ſunt. Quibus abeuntibus recitabat Archiepiſcopus Piſanus Gregorii X. Decretum de Proceſſione Spiritus ſancti, cui Græci in ſecundo Concilio Generali Lugdunenſi Anno Salvatoris milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto ſubſcripſerant, tum ejusdem Concilii Profeſſionem fidei, nec non Canonem Toletani cujusdam Concilii de modeſtia, moderatione, ac diſcretione in ejusmodi Synodis habenda. Dein nominantur Concilii Officiales, ſcilicet, ſex Notarii, quatuor Procuratores, & duo Advocati, qui omnes in manibus Cardi-

Sæcul. XV. A.C. 1409.

nalis Prænestini fidem suam jurejurando obstrinxerunt. Quidam ex Advocatis, nomine Simon Perusinus postulabat, ut Collegii utriusque literæ, quibus Synodus in caussa Petri de Luna, & Angeli de Corario, de eodem Papatu contendentium convocata est, prælegerentur, atque executioni mandarentur; quod & ipsi permissum est. Recitatis hisce literis Cardinalis Prænestinus duos Cardinales, & quatuor Archiepiscopos unacum Procuratoribus, & Notariis ad valvas Ecclesiæ accedere jubet, qui a populo quærerent, utrum vel Petrus de Luna, vel Angelus Corarius, qui sese Papas nominant, aut forte aliquis alius eorum nomine præsens adesset. Nemine autem quicquam respondente, nec ullo ex parte ipsorum comparente, ulterior caussæ cognitio, ac sententia ad sequentem Sessionem remittebatur, prius tamen alias utriusque Pontificis citationes præmitti fancitum est.

§. CXXXVIII.

Sessio III. Dies utrique Competitori dictus.

Spicil. to. 6. p. 225. Niem. l. 3. c. 39.

Sessio tertia habita est die Mercurii trigesima Martii. Sacro solemni per Archiepiscopum Pisanum celebrato Advoca-

vocatus Concilii edixit: cum pluribus jamjam diebus ambo isti de Papatu contendentes incassum expectarentur, exspirante legitimo termino contumaciæ damnandos esse. Tertia igitur vice vocati fuere. Verum illis nequaquam comparentibus, contumaces declarati sunt per sententiam, quam Guido de Malesicco, seu de Maloesse Episcopus Prænestinus, dictus Cardinalis Pictaviensis in hæc verba pronuntiabat: *Sacra Synodus Dominum Petrum de Luna Benedictum XIII nominatum, Dominum Angelum Corario, Gregorium XII nuncupatum, de Papatu contendentes, & quantum in eis est, Ecclesiam Dei notorie in schismate tenentes, legitime requisitos, vocatos, & provocatos in caussa schismatis & fidei ad hoc præsens sanctum, & Generale Concilium, & omnia in eo agenda, non venientes, seu legitime comparentes per se, vel per alios, nec termino statuto satisfacientes, licet expectatos post terminum per duas sessiones, reputat, decernit, & declarat in caussa schismatis, & fidei contumaces; & ordinat in eorum contumaciam ad ulteriora debere procedi, & procedendum fore. Ordinans Sessionem aliam fieri die Lunæ post Dominicam in Albis, quæ erit 15 dies mensis Aprilis. Ad quam diem statuit præsens sacrum Concilium, Dominum Cardinalem Tudertinum Domino Gregorio adhærentem, & Dominos, Joannem Sabinensem Episcopum,*

Sæcul. XV. A C. 1409.

Monach. S. Dionys. l. 29. c. 2.

Sæcul. XV. A.C. 1409

S. Adriani, & Sanctæ Mariæ in via lata, de Fliſco, & de Chalanto vulgariter appellatos, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Domino Benedicto adhærentes, de benignitate expectandos fore, cum intimatione, quod ſi prædicti duo Contendentes, & præfati Domini Cardinales non comparuerint in dicto termino, ad ulteriora procedetur, eorum contumacia non obſtante. Ordinavit nihilominus, præſentem ordinationem in valvis præſentis Eccleſiæ Cathedralis affigi publice, ut de præmiſſis nullam valeant ignorantiam allegare.

Poſt hæc agitata fuit quæſtio, utrum etiam amborum Competitorum Cardinales, ſi in eorum obedientia perſiſterent, hac ſententia comprehenderentur? Patres in diverſa abiere ſtudia; plurimi tamen eorum, Cardinales moderata lenitate ad officium revocandos eſſe cenſebant. Unde res indeciſa permanſit, ſeu verius, nihil contra eos, quod illis acerbius odium crearet, ſtatutum eſt. His peractis proxima Seſſio usque ad quintam decimam Aprilis diem quæ feria ſecunda erat, prorogata eſt, incidentibus Hebdomadæ ſanctæ, ac Paſchatis feſtis. Interea tamen die Jovis vigeſima octava Martii Congregatio Generalis celebrata eſt, in qua nonnulli Articuli ad Concilium ſpectantes diſcuſſi. Quinam vero hi fuerint, cum certo non conſtet, conjecturæ locus eſt, Patres ideo con-

convocatos fuisse, ut argumenta eorum, qui a via cessionis diffidebant, aut Concilii convocationem sine Pontificis auctoritate non subsistere affirmabant, solidis refellere responsis niterentur. Gersonius hujus sententiæ fautores peculiari hanc in rem elucubrato tractatu confutat, demonstrans, quod unitas Ecclesiæ resideat in Christo Domino illius Sponso, & Capite, atque nullo etiam existente illius Vicario, sive dein morte naturali, vel civili sublatus esset, sive omnis adimeretur spes, fideles eidem unquam adhæsuros, Ecclesia in tali Christianæ rei statu, ita decernente jure divino, ac naturali Generale Concilium convocare queat, in quo sibi de unico, ac certo Christi Vicario provideret. Quoniam vero utriusque Anti-Papæ fautores restituendam prius eisdem obedientiam urgerent, Gersonius docet, juxta divinæ, ac naturalis Legis præcepta injustis detentoribus, hæreticis, manifestis Schismaticis, furiosis, & hominibus intrusis restitutionis beneficium non suffragari. Sæcul. XV. A. C. 1409.

Intermediis hisce quindecim diebus tam ingens hominum multitudo, & magni quoque nominis Virorum frequentia Pisas confluxerat, ut civitatis illius angustiæ vix cunctos caperent. Inter nobiliores erant quatuor Ruperti Bavari Romanorum Regis Legati, scilicet Joannes Archiepisco-

Sæcul. XV. A.C. 1409.

episcopus Rigensis, Matthæus Wormatiensis Episcopus, Udalricus electus Verdensis, & Conradus de Susato Spirensis Canonicus; Advenerant quoque Oratores Hierosolymæ, Siciliæ, Regum, aliique cum ingenti Theologorum, ac Juris consultorum numero qua Italis, qua Gallis. Rediit etiam Cardinalis Landulphus dictus Barensis ex legatione sua, qua in Germania perfunctus erat, cum pluribus Prælatis, aliisque Oratoribus, quorum omnium præsentia quartæ Sessioni magnum splendorem conciliabat.

§. CXXXIX.

Sessio quarta. Ruperti Oratores auditi.

Collect. Concil. tom. II. *p.* 2119. & 2172. *Spicil. tom.* 6. *pag.* 274.

In hac Sessione Ruperti Regis Romanorum Legati audiebantur: quos tamen non nisi ut simplices oratores haberi, ac excipi voluit Concilium, quin eis sessionem & locum cum ceteris concederet, aut vestibus eorum dignitati convenientibus indutos comparere permitteret, eo quod Rupertus necdum communi consensu tanquam Imperator agnosceretur, pluribus adhuc ægre ferentibus, quod Wenceslaus hac dignitate, licet illius ceteroquin indignissimus, exutus fuisset. Udalricus Verdensis Episcopus orationem habuit

habuit, pro suo textu sibi seligens hæc verba: *Pax vobis.* Verum ejusdem sermo intento pacis negotio haud respondebat; referunt enim Historici, Prælatum istum a Gregorio sollicitatum, impotenti iracundiæ motu adversus Cardinales declamasse, additque Monachus Sandionysianus, hos Legatos non ad aliud venisse, nisi ad turbanda Synodi consilia, ac funditus evertenda, prout ex illis viginti quatuor articulis ab Episcopo Verdensi propositis, qui calumniis scatebant, manifeste patuit. Petiit Synodus, ut hasce propositiones scripto exhiberent; Verum cum illas secum non attulissent, hoc negotium ad posteram diem in Congregatione particulari discutiendum fuit prorogatum. Recedentibus Legatis duo illi Competitores, eorumque Cardinales iterata vice citati fuere; Neutro autem illorum comparente, denuo contumaces proclamati sunt, & Concilium proximam Sessionem ad diem vigesimam quartam Aprilis indixit, in qua Ruperti Legatis satisfieret.

Sæcul. XV. A. C. 1409.

§. CLX.

Dubia Legatorum Ruperti in Congregatione particulari audita.

Die Martis decima sexta Aprilis particularis instituta est Congregatio, cui tamen *Conc. Collect. tom. II. pag.* 2164.

Sæcul. XV. A. C. 1409.

tamen pauci duntaxat intererant Cardinales. In ea Ruperti Oratores suas porrigunt propositiones veluti quædam dubia, quorum summam paucis referamus.

Spicil. pag. 261.

Primo inquirebant, utrum Cardinales ei, quem ut legitimum Papam venerabantur, obedientiam subtrahere potuerint?

II. An iidem Cardinales Generale Concilium convocare valerent?

III. Utrum Cardinales in Concilio congregati, cum alterutrius Papæ adversarii, atque inimici essent, utrumque Competitorem citandi auctoritate gauderent?

IV. Qua ratione duo Collegia, quorum unum verum ac legitimum, alterum falsum, ac illegitimum est, in unum convenire & alterum alteri jus, ac potestatem eligendi summum Pontificem tribuere potuerit? Hæc sunt præcipua dubiorum capita, ad quæ hunc in modum responsum est.

I. *In schismate præsenti, quod duo de Pontificatu contendentes notorie foverent, recusando pertinaciter viam cessionis, ad quam solemni juramento se obstrinxissent, obedientiæ subtractionem non solum ipsis licite fieri posse, sed debere*, etiamsi necdum sententia judicis depositi essent, alias enim fore, ut isti schisma pro libitu suo cum totius Ecclesiæ dispendio continuarent, prohibentes, ne illi, qui de eorum obedientia

essent,

essent, convenirent, tamque gravi malo occurrerent. Sæcul. XV. A. C. 1409.

II. *Ubi Concilium foret convocandum in causa schismatis, quod alia via finiri non posset, Cardinalibus illud cogendi auctoritatem competere, præcipue ubi ingens Synodi necessitas urgeret, & Papa illud congregare non vellet, aut nequiret, quia forte furiosus, non esse dubium, quin Cardinales hoc possint. Nec esse de substantia Concilii, quod convocans haberet auctoritatem supra Concilium, cum etiam Archiepiscopus convocaret Concilium, quod tamen ipso superius esset.*

III. Quod vero attinet Cardinales, qui adversarii, atque inimici utriusque Pontificis dicerentur, responsum fuit, hæc esse manifeste frivola, hos enim non magis Pontificum adversarios, atque inimicos dici posse, quam illos, qui omnino Pontificibus subtraxissent obedientiam, prout necessitas subtractionem in præsenti schismate suasisset. Ubi, quæ media paci Ecclesiæ magis congrua essent, ipsius Concilii foret decernere. *Item Neutrales & subtractos magis idoneos esse ad cognoscendum de isto casu schismatis, & ad introducendam unionem in Ecclesia Dei, quam illos, qui firmiter obedirent alteri, & ejus partem sustinerent. Nec posse dici adversarios vel inimicos, quia ex culpa ipsorum vocatorum*

pro-

Sæcul. XV. A.C. 1409

procederet hæc ſubtractio & criminis impoſitio.

IV. *Ex juramentis in Conclavi ab utraque parte factis de omni opera ac diligentia ad extirpationem ſchiſmatis conferenda, ipſos ad conveniendum in unum obſtrictos fuiſſe, ad unionem Eccleſiæ promovendam. In quo caſu etiam, juxta Canones, cum excommunicatis communicare liceret. Nec requiri habilitationem aliam,* quam ipſum Eccleſiæ conſenſum, præterquam quod *etiam Cardinales Electores poſſent ad eligendum Papam ſecum aſſumere aliquos, qui jure eligendi carerent.* Sicut in aliis electionibus eligentes valerent, in conſortium electionis vocare eos, quibus jus eligendi non competeret.

His propoſitis, Oratores Ruperti a Cardinalibus poſtulabant, ut ſedulo alium inquirerent locum tam Gregorio, quam ipſismet condecentem atque ſecurum, ad quem tempore concorditer deſignando convenire poſſent, affirmantes, Gregorium ibidem omnia, quæ promiſiſſet, adimpleturum, vel renitente eo, Rupertum Romanorum Regem nulla mora ad eorum partes tranſiturum, ut alium Pontificem crearent. Malitioſa erat hæc propoſitio, ut Theodorici Niemi verbis utar, unice ad diſſolvendum Concilium & propagan-

Niem. l. 3. de Schiſm. c. 39.

pagandum in Ecclesia dissidium excogitata (*). Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CXLI.

Oratorum discessus non expectato responso.

Die vigesima prima Aprilis Oratores Ruperti non exspectato responso, atque insalutatis Patribus Pisis discedunt. Antequam vero inde abirent, Conradus de Susato Spirensis Canonicus, qui & ipse inter Ruperti Legatos numerabatur, Regis provocationem ad aliud Concilium Oecumenicum Ecclesiæ valvis affixit. Hæ provocationis tabulæ fuerunt datæ Pisis in Ecclesia FF. Prædicatorum die decima nona Aprilis. Tenor illarum erat, in præsenti Christianæ Reipublicæ articulo ad Romanorum Regem Synodi convocationem devolvi, illamque sub ejus auspiciis congregari opportuisse; cumque ad Concilium Pisanum ex suis nullum ablegasset, illud nonnisi Conciliabulum esse,

Conc. tom. 11. p. 2239. Raynald. ad hunc ann. n. 19. & 20.

(*) *Si Continuator noster publicas provocationis tabulas, quas Rupertus confici atque affigi jusserat, suæ inseruisset Historiæ, manifeste pateret Gregorii causæ æquitas, & Theodorici nequitia. vid. Raynald. Odoric. ad ann. 1409. num. 19. & 20.*

Sæcul. XV. A.C. 1409.

esse omni destitutum auctoritate, quicquam contra Gregorium ejusque obedientiæ addictos attentandi; ideoque Romanorum Regem a Pisano ad aliud legitimum, atque in alio loco convocandum appellare. Verum nulla hujus appellationis habita ratione, Patres libere suas prosequebantur Sessiones.

§. CXLII.

Carolus Malatesta Gregorii nomine Pisas delatus.

Pogg. hist. Flor. p. 3. p. 54. & 218. &c.

Sub idem tempus Carolus Malatesta Toparcha Ariminensis civitatis, ubi Gregorius Senis discedens se receperat, nomine hujus Pontificis Pisas venit, petiturus, ut Concilium ad alium transferretur locum, eoquod hæc urbs Gregorio Papæ merito suspecta videretur. Vir erat Malatesta non modo rei militaris peritia atque animi robore insignis, sed etiam in publicis rebus gerendis versatissimus, ac optimis consiliis longe uberrimus, literas, virosque literatos impense colebat, atque erga illos se admodum liberalem, magnanimumque ostendit, paucis, inquit Leonardus Aretinus, nihil eorum, propter quæ summis laudum titulis celebrari mereretur, in eo desiderari poterat. Hic quamvis Gregorium adversa fortuna jactatum

ctatum nunquam deseruisset, nullatenus tamen adduci poterat, ut ejusdem pertinaciam probaret, sed constanter illi auctor fuerat, ut dimisso alterius Synodi convocandæ proposito, Pistorium urbem in Etruria sitam adiret, ibique habito cum Pisanis Deputatis colloquio suam vindicaret innocentiam, sique necessitas Ecclesiæ deposceret, Pontificia etiam insignia deponeret. Certe si Papa ejusdem obsecundasset consiliis, sententiam exauctorationis in se latam declinasset (*). Nihilominus Malatesta Gregorium novis obsequiis sibi demereri conatus, Pisis cum Albanensi, Tureyensi, Aquileiensi & Mediolanensi Cardinalibus conferebat, irrito licet conatu, Patribus sententiæ de mutando Concilii loco acquiescere, constanter recusantibus. Quocirca Carolus Malatesta re infecta ad suos reverti coactus est.

Sæcul. XV. A.C.1409.

(*) *Equidem certum est, quod Papa, si prius Pontificia sua deposuisset insignia, haud amplius a Pisanis exauctorari potuisset, sed nunquid ideo certa jura dimittere oportet, ut invidorum malitia triumphandi locum habeat?*

Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CXLIII.

Sessio V. Commissariorum nominatio.

Spicil. tom. 6. p. 274. & 312.

In quinta Sessione die Mercurii vigesima quarta Aprilis habita, iterato ambo Competitores contumaciæ postulantur, & Concilii Promotor contra illos triginta septem proponit articulos, qui totam schismatis historiam complectebantur, sed tamen utrique Pontifici admodum injuriosi erant. Petit idem, ut quamvis in hisce articulis contenta aliunde notoria forent, nihilominus designarentur Commissarii, qui ad pleniorem factorum discussionem testes quoque ad examen vocarent. Procuratoris petitioni detulit Concilium, & Sessio sequens indicta est ad diem trigesimam Aprilis.

§. CXLIV.

Legatorum Franciæ, aliorumque ad Concilium adventus.

Eodem ferme tempore Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, & Legationis Gallicæ Princeps ad Synodum venit, unacum Collegis suis, excepto Petro Fresnelio Meldensium Episcopo, qui jam a principio Concilii præsens aderat.

Patriar-

Patriarcham Alexandrinum comitabantur Ægidius de Campis Conſtantienſis Epiſcopus, Guilielmus Borraterii, & Godefridus de Peruſio, Doctores. Paucis ex poſt diebus Anglorum Legati advenerant, nimirum Robertus Alantus Saresberienſis Epiſcopus, Henricus Epiſcopus Menenſis ſeu Sandavidis, Thomas Abbas Monaſterii S. Mariæ Jarevallis (*) Thomas Benedictinorum Cantuarienſium Prior, Comes Suffolciæ, alius quidam Eques cum duobus Doctoribus. Piſanam quoque urbem ſalutarunt plurimorum Principum Legati, atque inter ceteros Electorum Moguntini & Colonienſis, Ducis Brabantiæ, Guilielmi Hollandiæ Comitis, Jodoci Marchionis Brandeburgici & Moraviæ Archi-Cancellarii S. R. I. Oratores. Omnes iſti ſolemnes in urbem ingreſſus celebrabant, ad ſequentem Seſſionem admiſſi. Sæcul. XV. A.C.1409.

(*) *Theodoricus de Niem tom. 22. de Schiſm. p. 115. ex publicis tabulis horum oratorum ſeriem recenſens ita proſequitur* Thomas Abbas Monaſterii S. Mariæ Eboracenſis; Richardus Abbas Monaſterii B. Mariæ Jorevallis, *igitur hunc ſecundum errore typi omiſſum fuiſſe conjicimus.*

Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CXLV.

Sessio VI. Saresberiensis Episcopi oratio.

Labb. Collect. Conc. tom. 11. Sessio sexta die Martis trigesima Aprilis celebrabatur. Patriarchæ Alexandrino designatus erat locus a dextris medius inter duos antiquiores Cardinales, ejus vero Collegis Petro Fresnelio, & Ægidio de Campis ex eodem quidem latere, sed post S.R.E. Thesaurarium suas sedes occupantibus. A sinistris suus obtigerat locus Angliæ Legatis. Dein Episcopus Saresberiensis, Sacro per Episcopum Lexoviensem celebrato ad Concilii Patres dixit, orationi suæ præfigens textum Psalm. 88. *Judicium & justitia præparatio sedis tuæ.* Nitebatur in ea demonstrare, quod antequam in hac caussa ad ulteriora procederetur, ad servandam æqualitatem generalis subtractio obedientiæ decernenda esset, declaravitque, tam se, quam suos Collegas ad prosequendum unionis negotium necnon ad quævis, quæ per Concilium statuerentur, suo assensu firmandi auctoritate munitos esse. Postero die Burdegalensis & Hispanus Cardinales advenerant, quorum primus Cardinalitia dignitate decoratus fuit ab Innocentio VII Anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo quinto, & multo

Niem. l. 3. c. 3.

multo senio confectus Anno supra mille-simum quadringentesimo duodecimo ex hac vita migravit. Sæcul. XV. A. C. 1409.

§. CXLVI.

Sessio VII. Legatorum Ruperti propositiones confutatæ.

In Sessione septima die Sabbati quarta Maji celebrata, Petrus de Ancharano insignis Jurisconsultus, & Bononiensis Academiæ Doctor, atque Professor dubia a Romanorum Regis oratoribus proposita confutabat, illaque omnino infirma, frivola, & nonnisi ad unionem impediendam conflata ostendebat. Postmodum recitata fuere eorum nomina, qui per Concilium ex diversis Nationibus selecti sunt Commissarii pro examinandis testibus, & recipiendis probationibus, publico hujus mandati instrumento desuper erecto. Hi erant Cardinales Laudensis, & S. Angeli nomine utriusque Collegii, Episcopus Lexovienſis, cum tribus Doctoribus nomine Franciæ, unus Doctor nomine Angliæ, alius pro Provincia, ac duo pro Germania: nomina vero eorum, qui ex aliis Nationibus fuere deputati, ignorantur. Moguntinus, & Colonienſis Legati huic sessioni non interfuere ob motum inter eos dignationis certamen, quæ ta-

Sæcul. XV. A. C. 1409.

men contentio tractu temporis complanata fuit.

§. CXLVII.

Oratores a Concilio missi ad Ladislaum Regem.

Pogg. hist. Flor. p. 184.

Cum Ladislaus, qui se Regem Siciliæ nominabat, Senensem urbem Florentinorum imperio subditam armis suis acriter premeret, indeque non modicum Concilii Patribus metum incuteret, hi quosdam Cardinales & Prælatos ad eum ablegare decernunt, qui ejus animum delinire, utque deinceps nullos in hac Provincia tumultus excitaret, ei persuadere molirentur. Ladislaus quidem Legatos benigne excipit, nec tamen illos voti damnat, unice intentus, ut refricata pristinarum simultatum memoria Senenses inter & Florentinos nova seminaret dissidia. Querebatur itidem, a Florentinis urbem Pisanam pro congreganda Synodo Cardinalibus permissam fuisse, & quidem ex odio in Gregorium XII, qui tamen legitimus Pontifex esset; cui rei ut obviam iret, urbisque tranquilitatem turbaret, se cum exercitu suo Senas venisse. At Ladislaus illuc spe sua frustratus, hostili jam irruptione Florentinam infestans ditionem, Aretinam civitatem obsidione cingere

gere parat, verum a Florentinis non sine ignominia depulsus est. Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CXVIII.

Sessio VIII, subtractio obedientiæ decreta.

Feria sexta die decima Maji habita est Sessio ordine octava. Peracto per Massilienſem Episcopum sacro solemni, Promotor a Concilio declarari postulat, unionem utriusque Collegii legitimam æque ac necessariam fuisse, Concilium a Cardinalibus ita conjunctis jure congregari potuisse, atque ad illud, utpote quod universalem Ecclesiam repræsentaret, totius causæ cognitionem devolvi, idque quantum ad hoc negotium, nullum Superiorem nec alium præter semetipsum in terris Judicem revereri. His Saresberiensis, & Ebroicensis Episcopi opponebant, utriusque Collegii unionem fieri non posse, quamdiu Cardinales Benedicto adhærerent, eorumque plures in ejus fide perseverarent, ceteris Gregorium pro vero Pontifice venerantibus, ideoque obedientiæ subtractionem generatim esse decernendam. Nihilominus Patres Promotoris petito acquiescentes unionem utriusque Collegii legitimam, & Concilium canonice congregatum esse pronun- *Spicil. tom. VI. p. 314.*

Secul. XV. A.C. 1409

tiant. Quo facto Patriarcha Alexandrinus unacum Episcopo Saresberiensi suggestum conscendens, auctoritate Concilii, insuperhabitis duorum Episcoporum, scilicet Angliæ & Germaniæ protestationibus, sententiam recitat, cujus summa hæc est: Non modo quemlibet posse, sed & teneri Gregorio & Benedicto obedientiam denegare, cum satis compertum esset, eos viam cessionis, quam tamen juramenti Religione promisissent, abhorrere, atque artificiosis tergiversationibus eludere conari. Hanc sententiam Promotor ad acta publica referri postulabat, quod & impetravit. Sessio tamen, in qua decretorium contra hosce duos Competitores ferretur judicium, ad decimam septimam Maji diem indicta fuit.

§. CXLIX.

Sessio IX, subtractæ obedientiæ sententia.

Monach. S. Dionys. hist. Carol. VI.

Sessione nona, cum Episcopus Atrebatensis sacris operatus fuisset, Patriarcha Alexandrinus conscenso suggestu publice, atque elatiori voce prioris sessionis recitavit Decretum, vi cujus utriusque de Papatu contendentis obsequio atque obedientiæ renuntiatum est.

§. CL.

§. CL.

Sæcul. XV. A.C. 1409.

Sessio X. Commissariorum relatio.

Die Mercurii, quæ fuit vigesima secunda Maji, habita est Sessio decima, in qua Promotor per Advocatum exponi præcepit, Commissarios examinatis testibus atque eorum probationibus, & instrumentis in ordinem redactis, cuncta ad Synodum referre paratos esse. Concilii Patribus omnino annuentibus, Advocatus utrumque Competitorem iterato vocari postulat, ut & ipsi testium publicationem exciperent. Cumque Patribus Advocati petitum probaretur, quidam saltem citationis speciem observaturi, ad valvas Ecclesiæ procedebant. Posthæc Archiepiscopus Pisanus unacum quodam Notario, nomine Petro Garnier ex suggestu, cuncta accusationum capita perlegi jussit, ipse vero super quolibet articulo seorsim illos, qui pro testimonio dicebant, testiumque numerum designavit. Quibus ita absolutis Advocatus instabat, ut Concilium omnia facta, & allegata tanquam certa & legitime probata esse declararet, tandemque ulterius in judiciaria actione procederet. Cum autem dies jam ad occasum inclinaret, nonnisi viginti articuli in hac Sessione perlegi poterant, ceteris jussu Concilii reservatis ad

poste-

Sæcul. XV. A.C. 1409.

posteram diem vigesimam tertiam Maji, quæ erat feria quinta, qua etiam Sessio undecima celebranda indicebatur.

§. CLI.

Sessio XI. Continuatio relationis.

In hac Sessione septendecim alia perlegebantur accusationum capita, quæ computatis viginti prioribus in Sessione præcedenti recitatis triginta septem Articulorum numerum explebant. Horum nonnulli communia utrique Competitori crimina complectebantur, alii vero alterutrum sigillatim petebant. Absoluta hac lectione ac testimoniorum relatione Advocatus suggestum conscendit, & tam Procuratorum quam Promotorum nomine postulat, ut cuncta prius relata tanquam vera, publica, ac omnibus manifesta esse, sacra Synodus declararet, eo fine, ut in actione judiciaria ulterius procedi valeret, prout maxima Ecclesiæ necessitas & Competitorum pertinacia exigeret. Deliberantibus hac super re Synodi Patribus, Pisanus Archiepiscopus suggestu conscenso totum negotium ad vigesimam quintam Maji diem, nimirum Pentecostes vigiliam remittendum promulgabat.

§. CLII.

Sæcul. XV.
A. C. 1409.

§. CLII.

Sessio XII. Solemnis Decreti Synodalis Promulgatio.

Stata igitur die, duodecimam celebrant Sessionem, in qua Patriarcha Alexandrinus judicium prosequendum, atque adversus utrumque de Papatu contendentem decretoriam sententiam esse decernendam declarat, eoquod de tali ageretur caussa, in qua omnis mora scandalum simul & periculum procrearet. Postquam vero idem solemni forma promulgabat Synodale decretum de evidentia factorum, quæ Benedicto & Gregorio adscribebantur, tandem quæsitum fuit, utrum mandatum Commissariis datum revocari, ipsosque suo officio plene defunctos fuisse declarandum esset? Ceterum ex nonnullis Concilii actis addiscimus, potestatem eorum prorogatam fuisse usque ad ipsam sententiæ promulgationem, ut scilicet accedentibus forte novis adhuc testibus, vel quopiam alios producente articulos, etiam hi audiri ac examini subjici possent. Hac Sessione absoluta, sequens ad diem vigesimam nonam Maji indicta fuit.

Sæcul. XV. A.C.1409.

§. CLIII.

Sessio XIII. Dies publicandæ sententiæ præfixus.

Labbe Conc. Gen. tom. XI. Spicil. tom. VI. p. 321.

Sessione tertia decima Petrus Plautus Theologiæ Doctor atque unus ex illis, quos Universitas Parisiensis ablegaverat, orationem habuit, sumptoque Themate ex illis Oseæ Prophetæ verbis cap. I. v. II. *Congregabuntur Filii Juda & Filii Israël pariter, & ponent sibimet caput unum*, de auctoritate Ecclesiæ præclare dixit, multisque rationibus demonstravit, Petrum de Luna pertinacem esse schismaticum, quin & hæreticum, ab Ecclesia Dei abscissum, atque Pontificatu exutum. Additque, ejusdem quoque secum sententiæ esse non solum Parisiensem, sed etiam Andegavensem, Aurelianensem, & Tolosonam Universitates. Finita hac oratione Novariensis Episcopus ex quodam instrumento a se recitato testatum fecit, omnes Doctores in hac Synodo congregatos, haud pauciores numero centum & tribus, Universitati Parisiensi in hoc puncto adstipulari. In idem pariter consilium descendisse Academiam Florentinam, ita judicantibus centum & viginti Doctoribus, cum his quoque conspirare tres supra centum universitatis Bononiensis Doctores, quorum suffragia proferre paratus esset.

set. Posthæc Advocatus rogabat, ut Pa- Sæcul. XV.
tres pro publicanda adversus ambos Com- A. C. 1409.
petitores sententia certam diem dicerent; igitur præfixa est quinta Junii, quæ erat proxima Mercurii dies. Interea tamen prima die dicti Mensis habita est Con- *Sessio XIV.*
gregatio, quam non pauci Scriptores decimam quartam appellant Sessionem, cum eadem, quæ in aliis Sessionibus, in hac celebrata essent solemnia. In illa Archiepiscopus summatim relegit Articulos, testiumque numerum, ac cujusvis dignitatem atque gradum, suppressis tamen eorum nominibus; tandemque subjunxit, quod omnibus & singulis ipsa instrumenta seu ipsas testium depositiones forsan inspicere cupientibus, proxima feria secunda, & tertia in Conventu Carmelitarum ea inspectandi copia daretur.

§. CLIV.

Sessio XV. Sententia definitiva alta voce promulgata.

Congregatio præcedens viam parasse videtur Sessioni decimæ quintæ, se- *Niem de schism. l. 3.* c. 44. *Conc. Labb.* tom. XI. *Spicil. tom.* VI. p. 523.
ria quarta die quinta Junii in vigilia festi Corporis Christi celebratæ. In ea Advocatus postulat, ut Cardinales aliique Prælati hunc in finem speciatim nominati ad portas Ecclesiæ accederent, ambos

de

Sæcul. XV. A.C. 1409.

de Papatu contendentes denuo citaturi. Quo facto, ac Neutro eorum vel per se vel per Procuratores suos comparente, Patriarcha Alexandrinus, assistentibus Antiocheno atque Hierosolymitano Patriarchis in editiorem locum ascendere a Synodo jubetur, ubi elata voce in conspectu totius Concilii & populi, qui etiam admittebatur, apertis Ecclesiæ foribus decretoriam pronuntiant sententiam, his verbis conceptam. *Hæc sancta & universalis Synodus universalem Ecclesiam repræsentans, & ad quam cognitio & decisio hujus caussæ noscitur pertinere, visis & diligenter examinatis omnibus & singulis productis, probatis, agitatis in præsenti caussa unionis Ecclesiæ, & schismatis contra Petrum de Luna Benedictum XIII, & Angelum Corario Gregorium XII olim appellatos, declarat utrumque esse notorios schismaticos, & schismatis nutritores, hæreticos, perjurii crimine irretitos, & violatores voti, universalem Ecclesiam sanctam Dei notorie per contumaciam eorum scandalizantes ipsosque & eorum utrumque omni honore ac dignitate abjectos & privatos, ac etiam ipso facto ab Ecclesia præcisos: Insuper inhibet omnibus Christi fidelibus, sub pœnis excommunicationum, ne ipsis quomodolibet pareant, aut consilium vel favorem ipsis præstent, singulos Processus & sententias ab ipsis contra eos, qui unionem promoverunt, latas irri-*

tas,

tas, cassas & nullas esse declarat, præcipue nuperas promotiones Cardinalium, per Angelum Corarium a die tertia Maji anni præcedentis, & per Petrum de Luna a die decima quinta Junii ejusdem anni factas. Recitata hac sententia & Ambrosiano Hymno solemni ritu decantato cunctis Concilii membris inhibitum est, ne sine licentia & antequam sententiæ subscripsissent, discederent. Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CLV.

Epistola Parisiensis Universitatis ad Concilium.

Eadem die Universitatis Parisiensis Deputati ad Patres Concilii dederunt literas, quibus succinctam eorum omnium, quæ ad procurandam unionem agitata fuere, communicabant relationem. Eodem tempore Cardinalis de Chalanto Benedicti partibus olim addictus Synodum Perpinianam, cui interfuit, derelinquens præsenti huic Sessioni accessit. In ea scriptum legebat Cardinalis Pisanus, vi cujus Cardinales spondent, se nunquam Synodum dissolvi passuros, donec debita ac sufficiens confecta esset reformatio Universalis Ecclesiæ tam in Capite, quam in membris suis, seque, si quis eorum ad summum Pontificatum assumeretur, omnibus

Hist. Univers. Paris. tom. V pag. 192. Monstrelet. p. 87. vol. I.

Secul. XV A.C.1409.

nibus viribus procuraturos, ut eadem se promissione obstringeret. Postmodum advocatus Commissarios designari petiit, qui sententiam mox latam ubique divulgarent, atque executioni tradendam curarent, denique postulavit, ut Synodus ad Patriarchatum Aquileiensem scriberet, nullatenus Gregorio XII, qui ibidem suam sedem figere cogitabat, deferendam esse obedientiam, sed imposterum Antonio Cajetano Patriarchæ, quem Concilio adhærentem Gregorius honoris gradu dejicere meditabatur, debitæ subjectionis homagium præstandum esse. Post hæc Sessioni decimæ sextæ diem decimam Junii præfigebant.

§. CLVI.

Sessio decima sexta, Synodi continuatio ab eligendo Papa promissa.

Pisanus Archiepiscopus in hac Sessione e suggestu prælegit tabulam, qua Cardinales singuli sacramenti religione sese obstrinxerant, quemlibet eorum, si in Papam eligeretur, præsens Concilium continuaturum, nec illius dissolutionem permissurum, donec reformatio Ecclesiæ universalis in Capite & membris facta esset. Si vero aliquem ex Cardinalibus absentibus assumi contingeret, effecturos sese,

sese, ut eadem promitteret, antequam ejus electio publicaretur. Pariter sententiam, quæ contra ambos de Papatu certantes promulgata fuerat, ratam habent, jubentque Patres, ut Concilium, quamdiu Sacra Sedes vacaret, continuaretur, in eoque quantum penes ipsos esset, Ecclesiasticæ disciplinæ reformatio urgeretur. Dicta Sessione nil aliud actum; sequens vero ad diem decimam tertiam Junii indicta fuit. Sæcul. XV. A.C. 1409.

Eodem tempore Concilium nobilitatum est adventu Barensis Cardinalis tit. S. Agathæ, Consobrini Galliarum Regis: Balthasaris Cossæ Bonnonienſis legati Cardinalis tit. S. Eustachii: & Antonii Calvo Episcopi Tudertini, Cardinalis tit. S. Praxedis, qui ad Sancti Marci titulum ab Alexandro V. vocatus fuerat, eoquod jam alius quidam Cardinalis ejusdem tituli adesset. *Auberii hist. Card. t. 21. p. 55.*

§. CLVII.

Sessio decima septima. Epistola Cardinalium de electione Pontificis.

Sessio decima septima celebrata est feria quinta die tertia decima Junii. Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus una cum Hierosolymitano & Antiochenо Patriarchis suggestum conscendens, scriptum legit

Sæcul. XV. A. C. 1409.

git hujus tenoris: *Quia hujus peſtiferi Schismatis tempore, Cardinalium in hoc Concilio exiſtentium quidam ſunt a diverſis olim per Contendentes de Papatu creati, & Deo dirigente procedendum ſit ad electionem unici, & indubitati ſummi Pontificis, hoc S. Concilium univerſalem Eccleſiam repreſentans, conſentit, diſponit, & ordinat, quod ipſi, ſic a diverſis creati ad electionem prædictam procedant, ſi & in quantum opus eſt hac vice, auctoritate hujus S. Concilii, nec per hoc Cardinalium circa electionem Romani Pontificis intendit in aliquo derogare, nec aliquid innovare; ſed hortatur omnes Cardinales, quod ipſi cum charitate ad electionem unius Paſtoris procedant ſic unanimiter, quod de quacunque diſcordiæ ſcintilla notari non debeant.* Ad hanc Seſſionem etiam acceſſere Regis Arragonum oratores, quibus admitti rogantibus conceſſa eſt conferendi facultas, hoc tamen pacto, ut nihil in præjudicium Concilii proponerent, hi quamquam conditionem acceptarent, ſubjunxere tamen Regem ſuum, quæ in Synodo geſta eſſent, penitus ignorare, proin ipſi hucusque actitatis ſuffragari integrum non eſſe, eum tamen de ſingulis edoceri cupere, ac demum ſpondere, ſe huic negotio tanta moderatione collaboraturum, ut exinde condignam ab omnibus approbationem ſibi promitteret. Petiere porro, ut Benedicti XIII Oratores, qui

qui tum in urbe præsentes hujus petitionis responsum expectabant, ad alloquium admitterentur. Quibus Concilium respondit, facturum se satis eorum votis, dummodo demandatæ potestatis literas produxissent, his enim exhibitis, a se illico nominandos esse Deputatos, qui eos audirent, nunc vero tempus jam eo progressum esse, ut præsens Sessio huic negotio haud amplius sufficeret. Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CLVIII.

Sessio decima octava. Solemnis supplicatio pro eligendo Papa.

Postera die, nimirum decima quarta Junii tempore matutino, Patres Sessionem decimam octavam solemni auspicabantur supplicatione, qua gratia ad eligendum summum Pontificem necessaria a Deo exoraretur. Intererant Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, atque Abbates, cum tota reliqua Cleri corona. Procedebat longo ordine supplicantium agmen ex templo S. Michaelis ad Ecclesiam Metropolitanam, ubi Cardinalis de Tureyo augustiori pompa sacris operatus est. Post prandium Regis Aragoniæ Legati impense rogabant, ut Benedicti XIII Oratores, quos secum adducebant, a Synodo, prout antea petierant,

Sæcul. XV. A. C. 1409.

ad alloquium admitterentur. Verum ipsi indigne admodum habiti, atque a populo turmatim confluente, portasque Ecclesiæ circumstante, cachinis & sibilis excepti sunt, quin etiam ad locum Concilii, ubi tres Cardinales ad illos audiendos deputati aderant, deducti, nullo honoris signo dignati fuere, quamvis Archiepiscopus Tarraconensis, qui & ipse Benedicti Orator erat, exclamasset: hos esse Benedicti XIII Pontificis Maximi Legatos.

§. CLIX.

Benedicti Oratores auditi. Cardinalium ingressus in conclave.

Theod. Niem. l. 3. c. 45.

Vix nomen *Papæ* adstantium auribus insonabat, & ecce! illico Archiepiscopus a toto consessu clamoribus ludisque ignominiose exceptus tanquam hæretici ac schismatici hominis nuntius proclamatur. Nihilo benignius Joannes Costa Mimatensis Episcopus itidem orator, cum dicere cæpisset, habitus est. Sedato tamen tumultu in crastinum audiri petebant, quod & eorum precibus datum fuit. Hi vero pudorem non ferentes comparere ausi non sunt, sed eodem die insalutato hospite ad suos redierunt.

id. ib. c. 51.

Die decima quinta Junii Sabbato hora matutina Archiepiscopus Lugdunensis solemne

solemne sacrum celebravit de Spiritu sancto; Novariensis autem Episcopus sermonem habuit in hæc verba: *Eligite meliorem, & eum ponite super solium. 4. Reg. c. 10. v. 3.* Flexo in vesperam die Cardinales in Palatio Archiepiscopali conclave ingrediuntur, cujus custodia Philiberto de Noyllaco Magno Rhodiorum Equitum Magistro demandata est. Eo tempore Pisis morabantur Cardinales numero viginti quatuor, Cardinalis enim Friasius Hispanus & Cardinalis de Chalanto Sabaudus, dimisso Petro de Luna, non ita pridem Concilio accesserant. Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CLX.

Alexander V. eligitur Papa.

Cardinales in Conclavi jam per integros decem dies inclusi hærebant, tandem vero feria quarta die vigesima sexta Junii unanimi suffragio in summum Pontificem salutabant Petrum Philargum vulgo de Candia Ordinis FF. Minorum, Cardinalem Mediolanensem dictum, ab Innocentio VII Cardinalem creatum tit. sanctorum duodecim Apostolorum, septuaginta annos natum, qui Alexandri V nomen assumpsit. *Platin. in Alex. V.*

Sæcul. XV. A.C 1409.

§. CLXI.

Hujus Pontificis indoles.

Ciacon. tom. 2. p. 774. Nemo Mortalium magis propitia unquam usus est fortuna, quam hic ipse Pontifex. Quippe parentibus tam dura egestate pressis natus erat, ut neque parentes, neque affines ullos cognosceret. Cum adhuc puer ostiatim sibi victum quæreret, forte occurrebat cuidam Religioso Ordinis Minorum natione Italo, qui puerum præcipuo naturæ beneficio ad altiora natum, atque acutissima ingenii acie, necnon eximia memoriæ vi præditum esse cognoscens, Petrum ex misera vitæ suæ conditione vindicare statuit, eumque ipsus latinum edocuit sermonem, aliis vero in Philosophiæ, ac Theologiæ studio imbuendum tradidit, tandemque regulari Ordinis sui habitu induit. Postea vero ab eodem Religioso in Italiam delatus haud vulgaria ingenii, ac doctrinæ suæ specimina edidit, adeo, ut a Superioribus suis scholas Celeberrimorum Professorum in Oxonienſi & Parisienſi Universitatibus adire permissus esset. In Longobardiam rediens suis sermonibus, & præclara animi prudentia tantam nominis sui famam sibi conciliabat, ut Joannes Galleatius, Mediolanensis Vicecomes ipsum a suis consiliis, ac primum Principatus sui Dictato-

ctatorem habere, quin etiam proprii Filii sui Curatorem in obitu suo scribere non dubitaverit. Ipsiusmet hujus Ducis rogatu atque favore, primo Episcopus Vicentinus, postea Novariensis, & tandem Mediolanensis Archiepiscopus eligitur. Legatione etiam functus est ad Wenceslaum Romanorum, ac Bohemorum Regem, a quo datis centum quinquaginta florenorum millibus obtinuit, ut ditio Mediolanensis in Ducatum erigeretur. Omnium Scriptorum testimonio Sanctitas morum, qua floruit, comprobatur. Cetera laudatissimo, id tamen crimini datur, quod tanta liberalitate in alios effusus esset, ut hæc vix non in prodigalitatis atque imprudentiæ vitium degeneravisse videretur. Item quod Cardinalem S. Eustachii, ad cujus arbitrium se quaquaversum flecti patiebatur, cæco nimis affectu prosecutus fuisset. Præterea Fleurius Abbas de illo hæc scribit: (*) *Erat sane comis, ac liberalis, sed & cibos lautos & vina generosa haud modice amabat.* Sæcul. XV. A.C. 1409. *Hist. Eccles. lib. C. §. 11.*

§. CLXII.

Gersonii Cancellarii oratio coram Pontifice.

Peracto electionis actu Joannes Gersonius Academiæ Parisiensis Cancellarius *Gerson. oper. tom. 2. part. 1. pag. 131.*

(*) *Nullo tamen teste adducto.*

Sæcul. XV. A.C. 1409

rius in præsentia Pontificis, totiusque Concilii in Festo Ascensionis sermonem habuit, in quo assumpto textu ex illis Actuum Apostolorum verbis: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel, cap. 1. v. 6.* Concilium Pisanum legitimum ac Canonicum esse demonstrat, exemplo tum Concilii Nicæni a solo Constantino (*) con-

(*) *Quod eo tempore quandoque Imperatores non quidem auctoritate regiminis, sed potestate præsidii, ac ex Pontificum assensu, indulgentia vel etiam precibus Concilia convocaverint, haud inficiamur, & rationes, ob quas id factum fuerit optime allegat Bellarminus l. 1. de Concil. c. 13. Negamus tamen hoc ipsum Nicænum Concilium a solo Constantino fuisse convocatum, cum Russinus lib. 1. hist. Eccles. cap. 1. disertis verbis dicat,* a Constantino ex Sacerdotum sententia Concilium apud Nicæam fuisse congregatum, *& Scriptor libri Pontificalis ex consensu S. Sylvestri convocatum referat* &c. *nec Ecclesiæ Regulam ac normam efficit, quid factum, sed quo jure factum sit, omnes autem uno ore testantur, supremam potestatem ac jus res ad Religionem spectantes dijudicandi ac definiendi soli summo Pontifici competere, ergo etiam Concilia ad easdem definiendas convocare penes Pontificem, non autem penes Episcopos vel Imperatores esse, quis enim Episcopus, Imperator &c. universo Christiano orbi præest? qua ergo jurisdictione cogere poterit Oecumenicum Concilium, quod universam Ecclesiam repræsentet.*

convocati, tum quintæ Oecumenicæ Synodi contra Theodorum Neſtorii Diſcipulum ab ipſismet Patribus coactæ. Dein Pontificem adhortatur, ut omnibus omnino officii ſui partibus ſtrenue ſatisfaciat, & ſine moræ diſpendio adverſus ambos Papatus ſui Competitores efficaci conatu agens, ſchiſma funditus exſcindat. Plurimum quoque declamabat adverſus corruptos Clericorum præcipue vero Religioſorum Mendicantium mores; Carpebat etiam abuſus in Beneficiorum collationibus irrepentes. Ultimo monet Papam, atque Patres, ut pro viribus reformationi Eccleſiæ inſiſterent. Sæcul. XV. A. C. 1409.

§. CLXIII.

Seſſio XIX. Papa Concilii Præſes.

Seſſioni ſequenti, quæ eſt ordine decima nona, die prima Julii celebratæ ipſemet Pontifex præſedit. Hanc auſpicabantur ab Hymno: *Veni Creator Spiritus* &c. quem ipſe Papa præcinebat, quo finito Alexander Sedem multis gradibus coram ſummo Altari erectam occupabat, tribus Patriarchis e regione ſibi aſſiſtentibus. Decretum electionis a Cardinalibus ſubſcriptum promulgavit Cardinalis de Chalanto, declaravitque, Alexandrum unanimi conſenſu in ſummum Pontificem fuiſſe *Conc. Labb. tom. XI.*

Sæcul. XV. A. C. 1409.

fuisse electum. Absoluta hac Lectione nonnullæ recitabantur preces, quas Pontificis oratio excepit in hæc S. Joannis verba: *Fiet unum ovile, & unus Pastor. cap. 10. v. 16.* In illa Pastoris obligationes erga gregem suum & gregis erga Christum Dominum, qui est bonus Pastor, cujus Papa est Vicarius in terris, pluribus exponebat argumentis. Sermone finito, Balthasar Cossa Cardinalis S. Eustachii aliud promulgabat decretum, vi cujus Neo-electus Papa sententias, acta judiciaria, & dispositiones per Cardinales a die tertia Maji Anni supra millesimum quadringentesimi octavi pro unione Ecclesiæ factas, necnon cetera in Concilio Generali acta, auctoritate sua firmavit, ac rata habuit, & duo illa Collegia in unum coadunavit, pollicitus, se reformationem Ecclesiæ omnibus viribus promoturum, Virosque virtute ac probitate vitæ conspicuos, qui juncta cum Cardinalibus opera super hoc puncto deliberarent, selecturum. Hac Sessione ad finem vergente sancitum fuit, ut Pontifex proxima die Dominica ritu solemni coronationis insignia acciperet; sequens vero Sessio ad decimam Julii remitteretur.

§. CLXIV.

Sæcul. XV. A. C. 1409.

§. CLXIV.

Parisiensium lætitia ob Alexandri V electionem.

Vix optatissima electionis Alexandri V fama Parisiis insonuit, jam communis omnium erat lætitia, cunctique supplicationibus institutis processerunt ad Ecclesias, ut Deo pro insigni hoc beneficio debitas grates persolverent, populo interim undique festivis gratulationibus conclamante: *Vivat Alexander Papa.* Præterea Parisienses in memoriam revocabant, quod Pontifex in urbis suæ Academia olim Doctoris laurea decoratus ibidem Theologiam cum ingenti laude docuisset, idque novum erat gaudii argumentum. Rex quoque hac Viri prærogativa motus, Papam nostrum haud inferiore prosecutus est honore, ac si Galliarum indigena fuisset, vel ex regio Franciæ sanguine ortum traxisset. *Monach. S. Dionys. l. 19. c. 32.*

§. CLXV.

Coronatio Alexandri V. Papæ.

Præstituta die septima Julii, quæ proxima erat Dominica, Alexander Papa Tiaram accepit, consueta inaugurationis solemnia supra gradus Ecclesiæ Cathedralis

Sæcul. XV. A. C. 1409.

lis peragente Cardinale de Salutiis, qui accensa stupa sub verbis: *Sic transit gloria mundi*, juxta morem in ejusmodi functione servari solitum, Pontificis capiti coronam imposuit. In Sacro solemni Sanctum Evangelium Hæbraico, Græco & latino sermone decantatum est. Papa vero absoluta coronatione Pontificalibus indutus publica ac festiva pompa per urbem equo vectus est, eum comitantibus viginti quatuor Cardinalibus, omnibusque Prælatis, quorum equi albis tegumentis ornati erant. Judæi quoque, ut in illa solemnitate mos fert, in via procedenti Pontifici legis suæ librum offerebant, suorum privilegiorum confirmationem ab illo efflagitantes.

Peractis coronationis ceremoniis Papa universam Europam de sui electione certiorem reddere non morabatur. Idem etiam Joanni de Orgemontio Parisiensi Episcopo per epistolam a se die octava Julii scriptam denuntiabat. Attamen intempestiva mors hanc sortem huic Antistiti invidebat, jam enim antequam literæ ad eum delatæ fuissent, die decima quinta ejusdem Mensis e vivis excesserat. Cui Simon de Monte acuto Pictaviensium Episcopus in Sede Parisiensi successit. Hic fratres habebat Archiepiscopum Senonensem, & nominatissimum illum Joannem de Monte acuto Magnum aulæ

Monstrelet vol. 1.

Montaigu.

aulæ regiæ magiſtrum, qui Filium ſuum connubio ſociabat Filiæ Alebreti ſupremi Regiorum exercituum Præfecti, Filias vero ſuas omnes cum nobiliſſimis Regni Proceribus copulabat. Hujus in interitum Burgundiæ Dux, & Rex Navarræ, jurati ejus inimici conſpirarunt, eorumque inſtinctu atrociſſimorum criminum accuſatus a Petro des Eſſarts Pariſienſi Præfecto cuſtodiæ mancipabatur. Sæcul. XV. A. C. 1409.

§. CLXVI.

Ultimum ſupplicium Joannis de Monteacuto.

Ergo examini & tormentis ſubjectus Joannes, quamvis nihil omnino confiteretur, capitis tamen ſententia damnatus eſt, qua percepta Joannes regia æraria a ſe expilata, & quæcunque alia crimina ultro aperuit. Quapropter capite plectitur, corporis truncus patibulo appenditur, & caput abſciſſum in loco, cui nomen Montfalco, palo infixum exponitur. Ejus tamen filius Laudonenſis Vicecomes ob ſummam, qua pollebat, auctoritatem brevi Patris ſui memoriam priſtino honoris ſplendore illuſtrabat, ejusque corpus ex altefato loco ſub honorifico Sacerdotum comitatu & luminum apparatu ad Patres Cæleſtinos de Marcaſſio,

Sæcul. XV. A.C. 1409.

cassio, quorum Monasterium condiderat, transferri curavit.

§. CLXVII.

Cardinalis Barensis in Franciam Legatus.

Monach. S. Dionys. l. 29. c. 7.

Decernitur Ludovicus Cardinalis Barensis Legatus in Gallias, qui, cum Lutetiam Parisiorum die quarta Septembris salutasset, Navarræ Regem unacum Ducibus Bituricensi, Burgundo & Borbonio obviam habuit, ab eisque, cum eandem urbem solemni pompa intraret, per urbem deductus est: datum id hujus Viri nobilitati, ac generis sui præstantiæ, suam enim originem ducebat a Maria de Francia, Joannis Regis Filia, ac Roberti Barensis Ducis uxore.

§. CLXVIII.

Sessio XX. Florentinorum & Senensium Oratores auditi.

Dum interea Pontifex totus in eo erat, ut suam electionem Principibus notam faceret, habita est Concilii Sessio vigesima, die Mercurii decima Julii, quæ erat secunda sub Alexandri V. Pontificatu. In ea admissi fuere Florentinorum ac

ac Senenſium Deputati, qui obedientiæ ſuæ homagium Pontifici deferentes, ejus electionem amplis elogiis celebrarunt. Dein conceſſa dicendi copia, ſinguli ex hiſce legatis alterno ordine verba fecerunt, eorumque primus prolixo ſatis ſermone exaggerabat obſtacula per Ladislaum Concilio oppoſita, necnon labores, quos Florentini ad ea ſuperanda impendiſſent. Alter vero ſuorum Dominorum nomine omnem opem ac ſubſidium quantum in eis eſſet, ad promovendum unionis Eccleſiæ negotium pollicitus eſt. Poſt hæc Cardinalis de Chalanto juſſu Papæ decretum perlegit, quo omnes ſententiæ toto ſchiſmatis tempore ab illis duobus Competitoribus adverſus eos, qui ab eorum obedientia receſſerant, latas, nullas declaravit, & penitus abolevit. Eodem quoque decreto quasvis diſpenſationes ſuper matrimoniis ſicut & aliis caſibus forum S. Pœnitentiariæ concernentibus a Benedicto & Gregorio conceſſas confirmavit, ratasque habuit. Quibus peractis Seſſio proxima indicta eſt ad vigeſimam ſeptimam Julii diem propter adventum Ludovici Andegavenſis Siciliæ Regis.

Sæcul. XV. A.C. 1409.

Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CLXIX.

Ludovicus Andegavensis ab Alexandro Papa in jure Neapolis Regni confirmatus.

Niem. l. 3. p. 181. Bzov. ad 1409. n. 12.

Ludovicus, quem Ladislaus in Regno Neapolitano successionis jure spoliaverat, a Concilio haud vulgaribus honorum significationibus receptus est, atque ab Alexandro V Papa, necnon a Patribus Pisanis hujus Regni jura restituta accepit, addita supremi Vexiliferi seu Generalis Centurionis Ecclesiæ dignitate. His prærogativis auctus & potentia fultus ad tantas excrevit vires, ut urbes a Ladilao occupatas denuo in suam redigere potestatem, usurpatorem Roma expellere, illamque Romano Pontifici reddere potuerit, a quo Ladislaus anathemate percussus est, prout suo loco recensebimus.

§. CLXX.

Sessio XXI. Electiones canonice factæ a Papa confirmatæ.

Collect. Conc. to. XI.

Sessio ordine vigesima prima Concilii Pisani celebrata est Sabbato die vigesima septima Julii; in qua Petrus Visch Cracovienſis Episcopus solemni ritu divina mysteria celebrabat, quibus peractis Car-

Cardinalis de Chalanto, assistentibus Archiepiscopo Pisano, & Placentino Antistite, nomine Papæ & Synodi decretum prælegit, vi cujus omnes collationes, provisiones, dignitatum ac Beneficiorum translationes, Episcoporum consecrationes & ordinationes ab utroque contendente (Canonice tamen factæ) approbantur, ac ratæ habentur, exceptis iis, quæ in fraudem unionis, vel cujuscunque Membri Synodalis concessæ fuerunt. Postmodum Papa adversus eos, qui Petro de Luna vel Angelo Corario obedirent, ac pertinaciter adhuc adhærerent, juxta legum rigorem procedendum esse decernit. Facta hujus Decreti promulgatione Archiepiscopus Pisanus jussu Pontificis declarabat, summum Pontificem attenta Ecclesiarum paupertate, *non intendere amodo, ut antea a nonnullis Prædecessoribus factum, reservare spolia Prælatorum defunctorum, nec fructus beneficiorum vacantium, & procurationum, seu jurium ex visitationibus provenientium, item Ecclesiis liberaliter remittere omnia subsidia, annatarum titulo, Cameræ Apostolicæ de toto præterito tempore usque nunc debita.* Omnes Concilii Præsules hoc decretum approbabant, excepto solo Cardinali Albanensi, cujus repugnantia potissimum ex eo descendit, quod Papa ceteros Cardinales rogasset, ut & ipsi pariter annatas & proventus ex va-

Sæcul. XV. A C. 1409.

Dupin Bibl. Script. tom. XII.

Sæcul. XV. A.C.1409.

cantibus Pælaturis reſiduos Eccleſiis atque Eccleſiaſticis condonare velint.

§. CLXXI.

Cauſſa Archiepiſcopi Genuenſis a Synodo ad Papam devoluta.

Bzov. ad hunc ann. n. 15.

Eadem Seſſione Synodus cauſſam Pilei Marini nobilis Genuenſis, ejusdemque Civitatis Archiepiſcopi ſummo Pontifici diſcutiendam detulit. Hic Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſecundo a Bonifacio IX Archiepiſcopus Genuenſis renuntiatus eſt: Attamen Benedicto XII Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinto Genuam appulſo cum toto ſuo Clero illius obedientiæ ſe devovit, cujus exemplum pariter Cardinalis de Fliſco ſecutus fuerat. Nihilominus Marinus intellecta poſtmodum utriusque Pontificis Gregorii, & Benedicti colluſione ſecuritati ſuæ in Civitate Genuenſi, utpote tum neutri Papæ adhærente, parum conſultum iri veritus, ſeſe in quandam ſolitudinem in Etruria ſitam recepit, conſtituto Eccleſiæ ſuæ adminiſtratore. Inde vero ad Synodum delatus, ſub titulo Archiepiſcopi Genuenſis cum ceteris ſubſcriptus legitur. Hinc illum ſuæ Archiepiſcopali Sedi redditum fuiſſe, credere fas eſt. Hac

Seſſio-

Seſſione finita Pontifex alteram Synodum Oecumenicam ad Menſem Aprilem anni milleſimi quadringenteſimi duodecimi, vel in hac eadem, vel in alia ad id commoda civitate anno proximo decernenda, celebrandam indixit. Seſſio vero ſequens ad ſeptimam Auguſti diem prorogata eſt. Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CLXXII.

Seſſio ultima. Synodus ſolvitur.

Seſſio hæc Piſani Concilii fuit ultima. Cardinalis de Chalanto nomine Papæ perlegit decretum, quo cautum eſſet, ne ulla immobilia Romanæ, vel aliarum Eccleſiarum bona nec per Papam, nec per alios Prælatos alienari, aut oppignorari poſſent, usque ad proxime indictum Concilium. Præterea ſancitum, ut a Metropolitanis Provinciales congregarentur Synodi, Religioſi ſua celebrarent capitula juxta Conſtitutiones Honorii III & Benedicti XII, quibus Viri a ſummo Pontifice deputandi præeſſe deberent. Item, ad Reges & Principes mittendos eſſe nuncios, qui hujus Piſanæ Synodi acta perferrent, & exequenda curarent.

Tandem Pontifex omnibus tam huic Concilio præſentibus, quam eidem adhæſuris, plenariam abſolutionem a culpa &

Sæcul. XV. A.C. 1409

pœna conceſſit; cum vero Eccleſiam in capite, & membris reformandi propoſito propter plurium Prælatorum, Legatorum aliorumque diſceſſum ſatisfacere non poſſet, hoc negotium ad proximum Concilium differebat, conceſſa interim cunctis Concilio aſſiſtentibus ad ſuos redeundi libertate.

§. CLXXIII.

Concilium Piſanum a nonnullis rejectum.

S. Antonin. Chronic. part. 3. tit. 22. c. 5. §. 11.

His Piſana abſolvebatur Synodus, quæ quamvis ab ingenti Doctorum numero approbata fuiſſet, nonnullorum tamen contradicendi libidinem effugere non poterat; nam, ut nil memoremus de Benedicto & Gregorio, quorum utique, ut eam rejicerent, plurimum intererat; Sanctus quoque Antoninus Piſanum Concilium legitimum non habuit. Cardinalis de Turre-cremata afferuit, ſibi ſaltem perſuaderi non poſſe, ut validum cenſeat Concilium, cui Pontificis auctoritas non acceſſiſſet. Cardinalis Bonifacius Ferrerius Sancti Vincentii Ferreri Frater, hanc Synodum tanquam conciliabulum, profanum cœtum, hæreticum, maledictum, ſeditioſum, chimæricum, ſcandaloſum, & diabolicum traducit, & ſi huic Cardinali creden-

dendum, cujus tamen fides ob vehementiores animi sui motus, & partium studium non parum suspecta redditur, Alexandri V electio Cardinalibus Gallis nequaquam probabatur. Præterea Prænestinus, Tureiensis, de Salutiis aliique tres Cardinales mox peracta Pontificis electione ad suas receſſerunt Eccleſias, nunquam amplius Papæ conſpectum ſubituri. Cardinalis etiam de Chalanto in Piſano Concilio actitata reſpuens, indignabundus diſceſſit. Tandem Nuntius inaugurationem Alexandri V. Genuam deferens, neque ullo lætitiæ publicæ ſigno, ac nequidem campanarum ſonitu a Genuenſibus exceceptus eſt. Theodoricus Urie in Germania Monachus nec favorabiliora in ſua Concilii Conſtantienſis hiſtoria Imperatori Sigismundo nuncupata enarrat. Aſt horum omnia rationum momenta Gerſonius ſolidis confutat argumentis in ſuo tractatu *de Auferibilitate Papæ ab Eccleſia*, demonſtrans, in certis caſibus, quos hic Auctor ſatis diffuſo calamo proſequitur, Papam ab Eccleſia ſeparari poſſe. Jnſtam hujus opuſculi analyſin dederunt Dupinus & Infantius in Hiſtoria Concilii Piſani.

Sæcul. XV. A.C. 1409.

Vid. Iſag. ad hiſt. hujus ſæculi §. 71.

Gerſon. tom. 2. c. 209. & 224.

Lenfant. hiſt. Concil. Piſ. tom. 1. p. 305.

Sæcul. XV. A. C. 1409

§. CLXXIV.

Rationes pro hujus Concilii auctoritate.

Nat Alex. hist. Eccl. tom. 8. Dissert. 2. p. 350.

EX adverso Pisani Concilii auctoritatem confirmat, non modo Ecclesiarum Franciæ, Angliæ, Lusitaniæ, Germaniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Poloniæ, Regionum Septentrionalium, & majoris partis Italiæ assensus, sed maxime etiam Ecclesiæ Romanæ suffragium, quæ cum Alexandrum V, ejusque successorem Joannem XXII tanquam veros Pontifices coluisset, sese Synodi auctoritati subjecit, cum vero duo Pontifices simul, eodemque tempore legitimi esse nequeant, eoipso quod Concilio obsecuta Alexandrum V pro vero Pontifice agnovisset, cæpit Gregorium XII pro Anti-Papa reputare, eundemque ante illius depositionem a Synodo factam, omnesque ejus Prædecessores usque ad Urbanum VI tanquam dubios Pontifices habere. Dein hoc Concilium non modo a Romana, sed etiam ab Universali Ecclesia in Concilio Constantiensi approbatum est, dum Alexandrum V & Joannem XXII pro legitimis venerata est Pontificibus: quamquam enim hæc eadem Synodus Joannem dignitate Papali exuisset, non tamen exauctorationis causam obtendit, quod illegitimus esset Papa,

pa, sed quia Pontificatui suo pro bono pacis sese abdicare promittens, Patribus illusisset turpi fuga dilapsus, propter quod & ob alia plura ejusmodi capita Concilium adversus eum actionem judiciariam instituere, illumque Pontificii honoris gradu dejicere non dubitavit (*). Ex omnibus

Sæcul. XV. A C. 1409.

(*) *Equidem fori Historici non est de auctoritate hujus Concilii decidere, elumbis tamen videtur ratio Continuatoris, qua ex eo, quod Ecclesia Alexandrum V tanquam verum Papam agnoverit, Gregorium Antipapam, & Pisanam Synodum approbatam esse evincit, facile enim in eum retorquetur argumentum: Ecclesia Gregorium XII non minus legitimis Pontificibus accenset, quam Alexandrum V, ergo cum duo veri Pontifices simul in Ecclesia esse nequeant, pronum est inferre, ergo Alexander V censendus est Antipapa, ergo Pisanum Concilium erravit, & non est legitimum, cum verum Pontificem gradu dejecit, ergo nec Constantiense erit Concilium approbatum, quod Joannem XXIII, quem ceu indubium habuit Papam, propter delicta, quæ tamen exauctorationis pœna castigare fas non est, sede sua deturbavit. Præterea juxta ipsum Joannes XXIII non fuisset legitimus Pontifex, nisi legitimum foret Pisanum Concilium, ergo Constantiense non erit legitimum, quia verum Pontificem, qui illud convocavit, deposuit. Nec profecit universalis Ecclesiæ consensus in Concilio Constantiensi Alexandrum V pro legitimo Pontifice haben-*

Sæcul. XV. A.C.1409.

nibus hiſce rationibus inferre pronum eſt, Piſanam Synodum legitimam eſſe; quæ conſtans ſemper fuit Gallorum ſententia, & non abs re, nam tempore ſchiſmatis, ubi inter

---

habentis, nam, nonne etiam idem Concilium usque ad Seſſionem XIV Gregorium pro Pontifice habuit, ſi enim eum nec Papam legitimum, ſed Antipapam judicaſſet, cur tam ſollicite viam ceſſionis urgebat, ſi Joannem XXIII pro indubio coluit Pontifice, cur idem Concilium jam ab initio ab eo exegit juramentum de ſua abdicanda dignitate, cur comminatum eſt, ut ſi cedere renueret, a Papatu vi eſſet dejiciendus; num unquam Eccleſia in caſu ſchiſmatis cum vero Pontifice hac agendi ratione uti conſuevit? unde jam univerſalis Eccleſiæ conſenſus? cum ipſum Concilium Conſtantienſe Gregorii legatum admiſerit, & Seſſione XIV ab eo ſe convocari paſſum fuerit, cum adhuc magna Eccleſiæ portio Gregorio adhæſerit, cum ipſe Alliacenſis in tract. de Eccl. poteſtate teſtetur: quod quamvis obedientia Alexandri V teneat Concilium Piſanum rite fuiſſe celebratum, & ejus electionem fuiſſe canonicam, nihilominus obedientia Gregorii probabiliter tenet contrarium, & ſunt minores difficultates, quam erant ante Piſanum Concilium de obedientia Urbani VI & Clementis VII; *hæc igitur pars Eccleſiæ, quæ Piſanæ Synodo ſuffragata eſt, vel tanta fuit, ut ex ea univerſalis Chriſti Eccleſia coaleſceret, vel non, ſi non, ergo Oecumenica non fuit, ſi ſic, quo jure Conſtantienſe Concilium Joannem indubium Papam dejicere valuit.*

inter plures contendentes, quisnam ve- Sæcul. XV.
rus sit Pontifex, certa haberi nequit A. C. 1409.
scientia, ad Ecclesiam devolvitur Concilium convocandi & Pontificem ab omnibus Fidelibus agnoscendum eligendi auctoritas. Inde quoque sequi videtur, attento Pisanæ Synodi decreto Petrum de Luna & Angelum Corarium, qui antea sub nomine Benedicti XIII & Gregorii XII tanquam ambigui Pontifices colebantur, jam certo Anti-Papas; Petrum vero de Candia seu Alexandrum V unicum, eumque legitimum esse Pontificem. Ceterum omnes istæ, quas Synodus Pisana adhibuit, provisiones nequaquam extinguebant schisma, quippe uterque Pontifex spreto hoc Concilii decreto, suos quisque sectatores habebat, ac Papalis officii Partes in residua sua obedientia pertinaciter tuebatur. Adhærebant enim adhucdum Petro de Luna, Arragoniæ, Castellæ & Scotiæ regna, Angelus vero Corarius agnoscebatur ut Papa a Ladislao Rege, & nonnullis Italiæ urbibus, quæ tamen ipsæ haud diu eidem parebant.

§. CLXXV.

Rupertus Romanorum Rex Alexandro V oblectatur.

Ipsemet Alexander V quodammodo schis- *Niem. l. 2.*
ma nutrire videbatur, modica erga Ru- *c. 26. p. 182.*
pertum

Sæcul. XV. A.C. 1409

pertum Romanorum Regem benevolentia uſus, cum Wenceslaum, quamvis pluribus abhinc annis exauctoratus eſſet, ſubſtituto in ejus locum Ruperto, nihilominus tamen Regis Romanorum titulo in ſuis literis honoraſſet. Hanc agendi rationem Rupertus utpote ſibi injurioſam, atque a legibus alienam, ægerrime ferebat, totamque Germaniam acribus implebat querelis, quibus, ne Alexander V pro Papa a Germanis coleretur, impedire, Principes vero, ut iterum Gregorio obedientiam deferrent, inducere connitebatur; Verum ſurdis auribus fabulam canebat. Alexander quippe Joannem Naſſovienſem S. R. I. Electorem Moguntinum multis favoribus ac inſuper munere Legati *nati* in ſua Provincia auctum ſibi plurimum obſtrinxerat; Hic idem erat ille, qui quondam Godefridum de Livingen, a Capitulo licet electum, fraudibus circumveniebat. Plures inſuper alios Germaniæ Prælatos Pontifex beneficiis ſibi devincire ſtudebat, ac ſua obvios quosque Legibus ſolvendi facilitate plurimos ſibi amicos conciliabat.

Porro ambo Pſeudo-Pontifices ſuam exauctorationem permoleſte ferentes, omnes curas in id contulerant, ut quisque ſuam dignitatem tueretur, atque aſſeclarum ſuorum numerum augeret. Hinc Benedictus novos creabat Cardinales, nec pau-

pauciores quam duodecim, omnes Natione Hiſpanos, vel Arragonenſes. Gregorius haud ſegnior aliis ad Purpuram recens evectis ſuum quoque ampliavit Collegium, quos omnes ex Prælatorum ſuæ obedientiæ addictorum numero ſelegit, hos inter præcipuus erat Gabriel Condulmerius, qui poſtea Pontifex ſalutatus Eugenii IV nomen adoptavit. Præterea Gregorius obſtacula convocandæ ſuæ Synodo opponenda remoturus, a Florentinis publicæ fidei literas atque obſides petit, obtinetque, eo fine, ut plena ſecuritate ad Venetorum Rempublicam, ubi Concilium cogere intenderat, proficiſci poſſet. Ad illud quoque encyclicis ſuis literis Imperatorem, Reges, Principes, Prælatos, Collegia, & generaliter omnes, qui alias Oecumenicis Conciliis aſſiſtere tenentur, invitabat. Sæcul. XV. A. C. 1409.

§. CLXXVI.

Concilium a Gregorio Utini convocatum.

Facta Concilii ſui convocatione Gregorius, Menſe Junio ad finem vergente, cum exiguo ſuorum comitatu Lucca abiens, inde ſenas ac demum Ariminum profectus, totum ibidem hyemis tempus moratus eſt. Ex eadem urbe aliam Bullam *Niem. l. 3. c. 46. Rayn. n. 82. Labbe Conc. to. XI.*

Sæcul. XV. A.C. 1409.

lam pro convocanda Synodo edidit, ac duas civitates Aquileiensis Diœcesis in ditione Veneta, duarum leucarum intervallo discretas, nempe Foroiulium, & Utinum proposuit, in quarum alterutra futurum celebraretur Concilium, postea tamen inter eas Utinensem urbem selegit, ad quam ipsus hoc anno supra millesimum quadringentesimo nono circa Pentecosten accessit.

Ibi Concilio suo in festivitate Corporis Christi solemne dedit initium. Ast pauciſſimis primam Sessionem honorantibus Prælatis, proximam ad diem vigesimum secundum Junii indixit. Interea binos ex suis Cardinalibus ad Venetos ablegat, qui intentata quoque anathematis pœna illius Reipublicæ Præsules ad Synodum compellerent. Verum Veneti, qui jamjam Alexandro V obedientiam juraverant, ejusmodi minas flocci pendebant. Gregorius hisce minime territus, secundam etiam habuit Concilii sui Sessionem, quæ tamen assistentium frequentia haud celebrior erat: In ea Urbani VI, Bonifacii IX, Innocentii VII suorum Prædecessorum electiones, necnon & suam Canonicas fuisse, eosque pro veris atque legitimis Pontificibus agnoscendos esse declarat, econtra vero illas Roberti Genevensis Clementis VII nuncupati, Petri de Luna Benedicti XIII, & Petri de Candia Alexan-

Alexandri V recens electorum Pontificum, temerarias, illicitas & sacrilegas esse, eosque schismaticos atque intrusos nullum ad Papatum jus possidentes, omniaque ab ipsis decreta, vel decernenda, irrita ac nulla esse pronuntiat; denique tanquam legitimum Christi Vicarium, cui universalis Ecclesia obedientiam deferre, & jura Papatus ab aliis usurpata sibi restituere teneretur, se solum esse colendum præcipit. Sæcul. XV. A. C. 1409.

§. CLXXVII.

Papatus abdicatio a Gregorio sub certis conditionibus promissa.

Gregorius, cum se Pisis a Patribus sede Pontificali dejectum, Venetiis vero insidiis ad se capiendum structis expositum cerneret, die Jovis quinta Septembris Sessione habita, ad dimittenda Pontificatus insignia se esse paratum profitetur, dummodo pari animi promptitudine Petrus de Luna, & Petrus de Candia prætensis suis juribus, juxta formulam in Conclavi conceptam, per se renuntiarent; addita lege, ut ille, quem in Pontificem electuri essent Cardinales, duas suffragiorum partes ex utraque obedientia solus ferret. Demum, ne circa locum jurgia orirentur, se Ruperto Romani Imperii, Ladislao Nea- *Labb. Conc. tom. XI. pag. 307.*

Sæcul. XV. A.C.1409.

Neapolis, & Sigismundo Hungariæ Regibus plenam tam tempus indicendi, quam locum nominandi potestatem relinquere declarat, pollicitus, se quam fidelissime eo venturum: Quod si hoc ejus consilium Principibus displiceret, se etiam illis Generalem Synodum congregandi facultatem indulturum, ad præfatum locum prompte accessurum, cunctisque, quæ a majori utriusque obedientiæ suffragiorum parte decernerentur, obtemperaturum. Verum nil fallacius, nihilque magis illusorium hac ipsa declaratione excogitari potuit; certum enim habebat, hos tres Reges, utpote jam per viginti & amplius annos bellis implicatos, ad tale negotium, in quo contrariis, suisque privatis regebantur studiis, concordi opera perficiendum nunquam conventuros (*).

§. CLXXVIII.

(*) *Haud calumniæ notam effugit Continuator, dum temere ob tam futilem rationem Gregorium Papam fallaciæ ac illusionis postulat, si enim Germania, Hungaria, & potissima Italiæ pars Concilio Pisano adstipulatæ sunt, ac proin Alexandrum V pro solo vero Pontifice concordi voto acceptarunt (ut Continuator §. CLXXIV. infert, atque jactat) multo magis certum est, & Gregorius credere merito potuit, horum Regnorum Monarchas ad sui, utpote quem Antipapam habebant, cessionem concordi opera perficiendam conturfuros.*

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

§. CLXXVIII.

Gregorius ſub Mercatoris veſte Utino auffugit.

Verum omnia tantopere ſpecioſa Gregorii promiſſa non aliam habebant ſcaturiginem, quam ingentem, quo angebatur, timorem; quippe locum ſui Concilii parum ſibi tutum exiſtimabat; cum enim Antonium Panciarinum Patriarcham Aquilejenſem e ſede ſua deturbaſſet, atque Antonium de Ponte natione Venetum, antea Concordienſem Epiſcopum eidem ſuffeciſſet, tantam Venetorum invidiam ſibi creaverat, ut ſine moræ diſpendio Utino excedere decreverit, veritus, ne Veneti in eum manus injicerent, Piſani Concilii ſententiam executuri. Aſt hujusmodi fuga gravi difficultate haud carebat, Venetis omnes vias numeroſo milite obſidentibus. Quocirca ad Ladislaum Regem literas dare ſtatuit, ſupplicans, ut ſibi duas triremes, quinquaginta equitibus inſtructas in ſui præſidium ſubmitteret. Verum adeo exigua armatorum manus propellendis Venetorum copiis omnes aditus intercludentibus adhucdum impar erat. Ergo conſilium in aſtu quærit Gregorius, & duobus duntaxat comiti-

Raynald. p. 390.

Sæcul. XV. A C. 1409.

mitibus ſtipatus, Mercatoris habitum induit, ac ſolus equo vectus ſaluti ſuæ fuga conſulere tentat. Viarum cuſtodes prætervectum conſpiciunt, ſed non niſi unicum hominem, ac forte ex negotio itinerantem rati, ex inſidiis prodire haud operæ pretium eſſe duxerunt, ſicque Gregorio adeo liberam evadendi copiam conceſſere, ut omni ulteriori diſcrimine perfunctus, binas triremes jamjam ad ſe excipiendum paratas incolumis attigerit.

§. CLXXIX.

Loco Gregorii Cubicularius ejus comprehenſus.

Paucis poſt diebus Paulus Gregorii Cubicularius unacum alio Viro, qui Papæ a confeſſionibus erat, Pontificali indutus ornatu inſignem quemdam Prælatum mentitus, urbem egreſſus eſt, a Ladislai milite Gregorii ſuppellectilem comitante defenſus. Excubiæ illum non alium quam Gregorium exiſtimantes, laxis habenis erumpunt, eumque cum omnibus ſuis ſociis comprehendunt. Attamen cum illi ſuum agnoviſſent errorem, eisque Paulus perſonæ ſuæ conditionem haud celaſſet, docens, Papam duobus tantummodo famulis, iisque pedeſtri-

destribus stipatum, atque equo vectum evasisse, illico fugientem Gregorium insecuti sunt, donec in locum quemdam Goritiensi Comiti subditum delati intellexissent, Papam, quem quærerent, conduxisse cymbam, ac demum binas triremes ejus adventum in portu præstolantes jamjam conscendisse. Custodes pudore suffusi, ac sese delusos esse indignati, omnem suam rabiem in Cubicularium effundunt, quem sexcentis conviciis obruentes, priusquam eum ergastulo includerent, crebris fustibus excipiunt, illum purpura, qua induebatur, exuunt, atque eorum unus Pontificales vestes, a Cubicularii corpore abstractas induit, hocque apparatu ornatus per Urbem Utinensem equo vectus Benedictionem more Papali per ludibrium impertitur. Denique Gregorii suppellex divenditur, ejusdem Curiales pessime habentur, & Cubicularius ad sagulam usque omni veste exspoliatur. Cum vero Custodes corpus ejus iteratis tunderent ictibus, eorum aliquis quidquam durius verberum impulsui obsistere animadvertens, miserum usque ad interiorem tunicam denudat, & milites excusso ejus sagalo quingentos aureos dextre insutos reperiunt, quos inter se dividebant. Interim Gregorius feliciter Aprutium pervenit, & Ladislai patrocinio

Sæcul. XV. A. C. 1409.

Niem. l. 3. c. 45. & 49.

Sæcul. XV A C 1409

tutus Cajetæ ſedem ſuam fixit, ſola enim Apulia, & quædam Etruriæ, Liguriæ ac Æmiliæ portio eum tanquam verum Pontificem venerabatur.

§. CLXXX.

Bulla Alexandri V. in favorem Mendicantium.

Monach. S. Dionyſ. n. 29.

Interea temporis Alexander V, poſtquam Piſano Concilio finem impoſuerat, identidem Piſis morabatur; cumque ipſus Ordinis FF. Minorum inſtitutum profeſſus eſſet, affectus ac ſpecialis amoris ſui teſtimonium Religioſis Mendicantibus relinquere cupiens, Bullam conceſſit, die duodecima Octobris datam, atque ad omnes Chriſtiani Orbis Prælatos directam, in qua adductis Bonifacii VIII & Clementis V. diplomatibus in favorem Dominicanorum, & Fratrum Minorum editis declarat, quod ſacra Sedes Apoſtolica horum privilegia cum extenſione ad Eremitarum S. Auguſtini, & Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmelo Ordinum fratres rata haberet; poſtea recenſet condemnationem a Joanne XXII fulminatam adverſus aſſertionem cujusdam, nomine Joannis de Poliaco unacum ejusdem retractatione. Tandem Decreta Bonifacii VII, & Joannis

Niem. l. 3. c. 53.

nis XXII quæ Religioſorum Mendicantium privilegia concernunt, confirmat, & propoſitiones contrarias condemnat, non obſtante Conſtitutione, quæ incipit: *Omnis utriusque ſexus*, nec attentis aliis Bullis & decretis Apoſtolicis contrariis quibuscunque &c. Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CLXXXI.

Querelæ Univerſitatis Pariſienſis contra hanc Bullam.

Univerſitas Pariſienſis ob hanc Bullam haud parum commota, Piſas quosdam ablegat, veritatem rei exploraturos. Cum autem ex illis intellexiſſet, quod ipſimet hanc Conſtitutionem plumbeo ſigillo munitam viderint, (*) qua Reli-

(*) *Vel hi deputati Bullam non inſpexerunt, vel turpiter mentiti ſunt, nam in dicta Bulla quæ incipit:* Regnans in excelſis *nil habetur de adminiſtratione Sacramentorum in Parochiis, nil de decimarum receptione, ſed expreſſis verbis dicitur:* in Eccleſiis autem Parochialibus, niſi requiſiti, fratres illi nullatenus debent prædicare &c. nec etiam hora, in qua Prælati ſolemniter prædicant. *De decimis, &*

de

Sæcul. XV. A.C. 1409

Religiosis Mendicantibus omnia Sacramenta in Parochialibus Ecclesiis administrandi, decimas, si eis offerantur, percipiendi jus atque potestas concessa esset. Rei novitas Universitatem Parisiensem graviter offendit, quapropter omnes Religiosos Mendicantes a suo corpore separandos, atque ab Academia arcendos decernit, eisque nullam Parisiis prædicandi facultatem deinceps dandam esse, donec Bullas in suis Authographis exhibuerint, illisque omnibus renunciaverint. Patres Dominicani & Carmelitæ illico huic decreto morem gessere, se nil antiquius habere profitentes, quam ulte-

de jure omnia Sacramenta in Parochiis administrandi, ne verbulum quidem in hac Bulla habetur. Ergo hæc Continuator nimia credulitate ex suo Theodorico Niemo, Auctore proscripto mutuavit; nosse debuisset, quod tumultus Parisiis excitati fuerint per quemdam maledicum, qui in vulgus sparsit, Mendicantibus decimas Parochorum concessas fuisse, errore desumpto ex facultate sepulturas in eorum Ecclesiis habendi, & ex consequenti, quartam funeralem percipiendi. Nunquam ergo ejusmodi privilegia Alexandrum Mendicantibus concessisse probari poterit.

ulteriorem Universitatis protectionem atque favorem. Longe alia autem ceteris FF. Mendicantibus inhærebat sententia, præcipue Franciscanis, qui adversus Ordinarios Parochos acrius insurgentes publice propugnabant, sibi prædicandi, confessiones excipiendi, atque a Parochiis decimas colligendi jus & facultatem competere. Rex igitur hosce tumultus suppressurus edictum promulgari, & Monasteriorum valvis affigi jubet, vi cujus omnibus Sacerdotibus curatis sub pœna confiscationis bonorum suorum temporalium cautum erat, ne Franciscanos, & Augustinianos in eorum Ecclesiis ad populum dicere, & fidelium confessiones audire permitterent. Denique Joannes Gersonius, Universitatis jussu hanc Pontificis Bullam impugnavit, declarans, illam nec tolerari, nec cum juribus Ecclesiæ conciliari posse, proin penitus abolendam, cum totum ordinem Hierarchicum inter Prælatos sanctæ Ecclesiæ invertere, ejusque prærogativis derogare videretur. Universitas quidem nullam disertis verbis hac super re pronuntiabat sententiam, Joannes autem Papa, qui Alexandro V paulo post successerat, revocatis omnibus Mendicantium privilegiis cuncta in pristinum statum reduxit.

Sæcul. XV. A.C. 1409.

Gerson. oper. tom. 2. part. 3. p. 431. 442.

Sæcul. XV. A.C.1409.

§. CLXXXII.

Bulla Alexandri V. adversus Ladislaum.

Raynald. ad hunc ann. n. 85.

Exstat alia adhuc Bulla ab eodem Alexandro V. Pisis die prima Novembris contra Ladislaum Gregorii fautorem edita, qua hujus Principis indolem nigris depingit coloribus, illi usurpationes suas exprobrat, atque immodicum, quo ad fovendum schisma, & turbandam Ecclesiæ Romanæ pacem in Gregorium ferebatur, studium objectat, eidemque diem dicit ad percipiendam sententiam, vi cujus Regno Siciliæ, omnibusque aliis bonis ac juribus exauctoratum declaraturus esset. Adeo severæ castigationis capita adducens, eoquod Ladislaus violata sui juramenti religione, spretisque Joannis XXII & Clementis VI sanctionibus, ditiones Ecclesiæ occupasset, atque adversus Pisanam Synodum conspirationem iniisset.

§. CLXXXIII.

Alexander Papa Pisis Pistojam abit.

Pogg. hist. Flor. p. 189.

His peractis Alexander Papa exeunte Mense Novembri Pisis, grassante ibidem

dem lue discedens, primo Pratum, dein Pistojam seu Pistorium Etruriæ urbem venit, aliquamdiu ibidem hyematurus. Interea Balthasar Cossa S. Eustachii Cardinalis, tum temporis Bononiæ Legatus copiis Ludovici Andegavensis, qui Romam recuperaturus Ladislaum bello premebat, sese adjunxerat. Papa comperta Ladislai clade, non modicam spem concipiebat, se proxime Romam reversurum; nec vanum erat Pontificis augurium, Cardinalis enim S. Eustachii cum exercitu ex Ludovici Andegavensis, Florentinorum & Senensium milite conflato jamjam totam illam Etruriæ regionem emensus erat, quæ Patrimonium S. Petri appellari consuevit, omnesque illius terras secundis armis recuperabat. Inde recta agmen Romam ducens, ac Pauli Ursini Legionibus junctus, ejusdem ope Urbem nullo ferme negotio suæ potestati subjecit; quo facto Ludovicum Andegavensem solemni pompa in urbem introduxit, illiusque possessionem Alexandro V asseruit. Parta hac victoria Romani tam insolita efferebantur lætitia, ut in vicis & plateis nil nisi publicæ gratulationes, & festiva tripudiantium jubila insonarent.

Sæcul. XV. A. C. 1409.

Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CLXXXIV.

Bulla Alexandri V. de ſacra expeditione in Turcas.

His feliciter peractis, Papa Romam tardius venit, adhucdum per aliquod tempus Piſtojæ moratus, ex qua urbe ſacrum bellum contra Turcas ſuſcipiendum indixit, non modo Rhodiorum Equitum, ſed maxime Sigismundi Hungariæ Regis precibus expugnatus; Rex enim haud procul Semendria ſeu Sinderovia in Servia ingentem paſſus erat cladem, eoquod equeſtres ejus copiæ incautius in hoſtium agmina præcoci furore irrumperent, adeo, ut non amplius per pedeſtres turmas opportuno auxilio fulciri poſſent, indeque factum, ut tandem & ipſi pedites conſpecta equitum cæde, fuga ſalutem quærere compulſi eſſent.

§. CLXXXV.

Ejusdem Pontificis Bulla adverſus Huſſitas.

Ceterum nulla alia ſollicitudo anxius Alexandri V. animum occupabat, quam Huſſitarum in Bohemia progreſſus. Contra hos igitur Bullam Piſtojæ die

die vigesima Decembris, hortante Sbinone Archiepiscopo Pragensi, datam promulgavit. Equidem Joannes Hussus errores suos jam dudum concionibus disseminare cæperat, nunquam tamen sua audacia apertius odium in se concitaverat, quam Anno Domini millesimo quadringentesimo octavo ad finem vergente, vel ineunte Anno sequenti. Sæcul. XV. A. C. 1409.

§. CLXXXVI.

Joannes Hussus ab Archiepiscopo Pragensi damnatus.

Ea res autem inde ortum trahebat; cum enim potior Europæ pars tam a Benedicti XIII, quam Gregorii XII obedientia defeciisset, ac neutri horum obsequium præstitisset, Joannes Hussus utrumque Pseudo-Pontificem in suis sermonibus tanta insectabatur rabie, ut etiam plura contra Ecclesiæ Catholicæ dogmata effræni impetu effutierit. Quapropter Archiepiscopus Pragensis contra Hussum tanquam schismaticum Ecclesiæ fulmina vibrare, illumque per omnem Diœcesin cunctis functionibus Sacerdotalibus interdicere statuit. Ast Joannes Hussus pro eo, quod jussis pareret, potius in summum Pontificem & Clericos acrius invehebatur, hacque via ingentem Ecclesia- *Raynald. ad hunc ann. n. 89.* *Vide supra §. VIII.*

Sæcul. XV. A.C.1409.

cleſiaſticorum partem adverſus Papam ad defectionem pertrahebat. Sbinco re intellecta duo edidit decreta, unum ad Pragenſem Academiam directum, cui injungebat, ut Wicleſi libros ad ſe deferret, flammis tradendos, alterum ad omnes Parochos, & Verbi divini Præcones tranſmiſſum, quibus præcepit, ut populum inſtruerent, quod poſt pronuntiata Conſecrationis verba in SS. Euchariſtia nil ſuperſit, præter Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis & Vini, quem articulum Joannes Huſſus concionibus ſuis impugnabat.

§. CLXXXVII.

Diſſidia in Univerſitate Pragenſi.

Boleſſ. Balb. epit. rer. Boh. pag. 418. 428.

Sub idem ferme tempus alius accidit caſus, quo Joannes Huſſus non paucorum invidiam apud Germanos ſibi acerſivit. Academia Pragenſis ab Imperatore Carolo IV ad normam Pariſienſis Univerſitatis Anno Salutis reparatæ Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo condita, quatuor conſtabat Nationibus, Bohema, Bavara, Saxonica, atque Polona. Cum vero tres illæ poſtremæ vix non omnes ex Germanis componerentur, ac proin tribus omnino ſuffragiis Bohema Natione potiores eſſent, ideo potis-

potiſſimam partem Cathedrarum, digni- Sæcul. XV.
tatum, Academiæ negotiorum, ac præ- A.C.1409.
cipuorum Urbis Beneficiorum, excluſis Bohemis, ſibi ſolis vindicabant. Joannes Huſſus probe animadvertens, quod hancce Germanorum uſurpationem nonnulli ex ſuis popularibus, præprimis Hieronymus de Praga, & Joannes de Zuvikowiz valde iniquo ferrent animo, cum illis ſua confert conſilia, junctaque eorum opera omnes Wenzeslaum jam aliunde Germanis ob ereptam ſibi Imperialem coronam infenſum ſupplices adeunt, ut deinceps Bohema Natio, juxta Univerſitatis Pariſienſis inſtitutum, ac Caroli IV ſanctionem, extraneis pro unico voto computatis, ſola tribus ſuffragiis gauderet. Hæc cauſſa ingenti utrinque animorum contentione agitata eſt; Verum Joannes Huſſus auctoritate ac gratia, qua apud Reginam tenero affectu ſibi addictam plurimum valebat, opportune uſus, ſuorum Concivium poſtulatis propitiam a Rege obtinuit ſententiam, quæ die decima tertia Octobris Anno Salvatoris noſtri milleſimo quadringenteſimo nono publicata fuit. Igitur Germani cauſſa ſe cecidiſſe, ſimulque privilegia ſua amiſiſſe ægerrime ferentes, Academia exceſſerunt, & in Miſniam transmigrarunt, abductis ſecum duobus & amplius Studioſorum millibus.

§. CLXXXVIII.

Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CLXXXVIII.

Joannis Huſſi provocatio ad Gregorium XII.

Raynald. ad ann. 1409. n. 89.

Huſſus hoc artificio non modicam in Academia Pragenſi obtinuit auctoritatem ac famam. Quocirca facili negotio pluribus ſuis Collegis perſuaſerat, primum edictum a Sbincone Archiepiſcopo emanatum, Privilegiis ac Univerſitatis facultatibus graviſſimum inferre præjudicium, utpote cujus membris quoscunque demum libros tenendi ac legendi avitum jus atque libertas competeret; in altero autem mandato putidum contineri errorem, cum adſtrueret, ſub ſpeciebus panis & vini nil niſi Corpus Chriſti, & Sanguinem ejus in calice contineri. His commentis decepti ab Archiepiſcopi decretis ad Gregorium XII eo tempore adhuc in Germania pro Pontifice cultum provocant: quare Gregorius admiſſa horum appellatione Archiepiſcopum Pragenſem Romam venire juſſit, qui tamen cum Alexandrum V datis literis certiorem reddidiſſet, Wiclefi errores in Bohemia plurimum ex eo invaleſcere, quod illi, qui Wicleſi libros legiſſent, depravata doctrina in ſuis concionibus diſſeminata ubique

Regnum

Regnum inficerent, laudatam impetravit Bullam, qua Pontifex eidem præcepit, ut omnibus viribus conniteretur, ne latius in populos perverſæ hujus doctrinæ virus diffunderetur. Sæcul. XV. A.C. 1409.

§. CLXXXIX.

Wicleſi errores ab Archiepiſcopo Pragenſi proſcripti.

Igitur Archiepiſcopus Pragenſis hujus Bullæ, quam vigeſima Decembris die datam memoravimus, auctoritate munitus, Joannis Wicleſi libros decretorio proſcripſit judicio, ac contra quatuor Doctores, qui ejusmodi codices penes ſe detentos ad eum deferre detrectabant, judiciariam decrevit actionem, eosque per iteratam ſententiam concionibus intra ſacella habendis interdixit, demptis quibuscunque privilegiis, quibus forte gauderent. Inſuper ſummus Pontifex Archiepiſcopo facultatem tribuit, ut aſſumptis aliis quatuor in Theologia Magiſtris, & duobus Decretorum Doctoribus refractarios tanquam hæreticos, cujuscunque demum ſtatus, gradus, aut conditionis eſſent, compeſceret, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachio *Dubrav. hiſt. Bohem. l. 19.*

Sæcul. XV. A.C. 1409.

chio sæculari, non obstantibus quibuscunque appellationibus interpositis. Hæc tamen Pontificis Bulla Joannem Hussum, utpote qui tum Academiæ Rector tam in Urbe quam in aula non modica pollebat auctoritate, adeo non sollicitum reddebat, ut etiam eosdem errores suos eo liberius disseminare continuaret, prout in progressu Historiæ nostræ perspiciemus.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
LIBER CII.

GREGORIUS XII PAPA.
RUPERTUS IN OCCIDENTE; EMANUEL IN ORIENTE IMPERATORES.

§. I.

Alexandri V. imbecillitas in regendo.

Alexander V. Papa omnia ex senten- Sæcul. XV.
tia, nihilque ſine conſilio Balthaſa- A. C. 1410.
ris Coſſæ Cardinalis S. Euſtachii
gerebat; Hujus enim Cardinalis opera *Platin in Alex. V.*
ad ſupremam Pontificis dignitatem eve- *Niem. de*
ctus, eidem toto Papatus tempore ſum- *Schiſm. l. 31.*

Sæcul. XV. A. C. 1410.

mam rerum gubernandam tradebat; unde factum, quod circa reformationis negotium ferme nihil ageret, (*) ſpeciales vero gratias cuilibet liberalius præſtaret, adeo ut promiſcue petentibus nec attenta Canonum ratione, diſpenſationes concederet, multa beneficia modo conjuncta, modo ſeparata, necnon plura, quæ tamen legum diſciplina ſimul poſſidere vetabat, uni, eidemque Clerico impertiretur.

Præterea fere nunquam, ut antea recepta ferebat conſuetudo, Advocatos in publicis Conſiſtoriis audire dignabatur, Viris interim Eccleſiaſticis, qui ejus latera ſtipabant, tanti ab eo habitis, ut nequidem libellos ſupplices Cancellariæ Miniſtris

(*) *Quid amplius in tam gravi totius Eccleſiæ reformandæ negotio facere potuiſſet Pontifex octo vel decem illis menſibus, quibus ſedem tenuit, aliunde ſat occupatus, ut e Ladislai tyrannide Patrimonium Eccleſiæ liberaret, urbem & Comitatum Avenionenſem recuperaret, Legationes ab univerſis ferme Europæ Principibus ad ſe miſſas exciperet, & Canonum obſervantiæ in caſibus tum occurrentibus invigilaret; qui tamen, morte generoſa ejusdem conſilia evertente, Cardinalibus Piſani Concilii decretorum executionem impenſe commendabat.*

Ministris, quorum erat illos in compendium redigere, traderet, sed eos inter suos distribueret Clericos, ut hi exinde emolumenta perciperent. Hinc evenit, ut ob ignorantiam illorum plures durante Alexandri Pontificatu errores in dijudicandis caussis committerentur, & Datariæ status ad funestum chaos devolveretur. (*) Sæcul. XV. A.C.1410.

§. II.

(*) *Optandum foret, ut Continuator noster, dimisso suo Theodorico maledico Pontificum fugillatore, veritatem facti ex purioribus bibisset fontibus. Ciaconius enim, Papirius Massonius, Ægidius Viterbiensis, Fulgosius, Joannes Baptista Egnatius, Gersonius, Panvinius, Harpsfeldius, Natalis Alexander & alii unanimi calculo hunc Pontificem commendant sanctitate, prudentia, fortitudine, liberalitate in pauperes, humilitate, & Pastorali zelo præclarum. Continuator, Platinam citat, sed non sequitur: hic enim Alexandrum vocat,* Virum in omni vita & ætate præstantem, merito Alexandri nomen consecutum, cum & liberalitate, & magnitudine animi cum quovis optimo Principe conferri posset. Adeo enim munificus erat in pauperes & viros sua benignitate dignos, ut brevi sibi nihil reliquerit. Unde dicere solebat, se divitem fuisse Episcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem

Sæcul. XV.
A. C. 1410.

§. II.

Bulla Pontificis adversus utrumque suum æmulum.

Interea Pontifex postrema anni millesimi quadringentesimi noni die felix, faustumque accepit nuntium, Romanam Urbem a Ladislai tyrannide liberatam fuisse. Quare tota Pontificis Curia eundem admonet, ut nulla mora Romam contenderet, Civibus adventum ejus ardentissime præstolantibus. Horum si Papa secutus fuisset consilium, longe melius rebus suis prospexisset, ast instigante Cardinale Balthasare Cossa, a cujus arbitrio totus pendebat, Pistorio Bononiam, ubi Balthasar Legati munere fungebatur, profectus, ibidem Bullam promulgat die vigesima secunda Januarii Anno salutis millesimo quadringentesimo decimo datam, qua utriusque Competitoris, eorumque Fautorum condemnatoriam innovabat sententiam. Cossa Cardinalis non alio consilio Pontificem Bononiam abduxit, nisi spe fretus, illum gravi senio confectum, viribus exhaustum brevi

ficem. In eo enim defuit illa habendi cupiditas, quæ una cum re, & ætate simul accrescit.

brevi ſupremam diem expleturum; eo autem mortuo ſe in Papam eligendum fore. Quem in finem nonnullos ſibi Cardinales amplitudine promiſſorum conciliaverat, potiſſimum pollicitus, ſe eisdem omnium expenſarum, quas Bononiæ hærentes impenderent, compenſationem procuraturum. Sæcul. XV. A. C. 1410.

§. III.

Alexander a Romanis ad Urbem invitatus.

Cum Pontifex variis artibus ac Balthaſari Coſſæ prætextibus detentus Bononiæ moraretur, adveniebant Romanorum Oratores, qui Alexandro Urbis Romanæ claves conſignabant, flagrantiſſimum intra ſuos muros eum honorandi deſiderium teſtificantes. Quibus Pontifex non niſi epiſtolam decima quinta Martii ſcriptam tradidit, in qua reſponſionis loco (*) ad Annum Domini milleſimum quadringenteſimum decimum

Bzov. an. 1410. n. 2.

Pogg. Brev. Rom. Pontif. tom. 2. p. 504.

(*) *Vide Reg. 2. Alex. pag. 66. & ex ejus Epiſtola conſpicies, quod Romanorum deſiderium ſibi gratiſſimum fuerit, & amoris ſui, ac ſtudii erga populum Romanum ſigna Paterno vere affectu expreſſerit.*

Sæcul. XV. A.C. 1410

mum tertium proximum indixit jubileum. Petrum vero de Frias, alias Cardinalem de Hiſpania dictum, Romanæ civitatis Adminiſtratorem conſtituit. Nicolaum etiam Marchionem Eſtenſem, qui inter copias adverſus Ladislaum, & Gregorium fœderatas præclara ſuæ fortitudinis ſpecimina ediderat, Bononiam accerſivit, eique in præſtiti obſequii præmium Roſam auream donavit, quam Dominica quarta Quadrageſimæ ſolemni ritu ſacraverat. Ex eadem Urbe Cardinalem de Tureyo Pariſios ablegavit, decimas ex Eccleſiis Franciæ collecturum; immodicas enim cauſſabatur expenſas, quas ad compeſcendam hoſtium ſuorum audaciam impendere deberet. Verum Alexandri Legatus male exceptus eſt a Gallis, quippe ejusdem poſtulatis Univerſitas Pariſienſis acriter obluctabatur, atque juſſu Regis omnibus Miniſtris injunctum fuit, ut deinceps Legatis ejusmodi mandata deferentibus acceſſum ad Franciæ regnum prohiberent.

§. IV.

Alexandri V. Papæ obitus.

Ducheſne in vit. Pontif. to. 2. p. 1528.

Tandem Alexander gravibus ſuis morbis penitus abſumptus, Bononiæ ſum-

Sæcul. XV. A. C. 1410.

ſummos inter pietatis affectus die tertia Maji ejusdem Anni milleſimi quadringenteſimi decimi ultimam diem clauſit, numerans Annos ætatis ſuæ ſeptuaginta & unum, Pontificatus Menſes decem & dies octo, apud Fratres Minores ejusdem Civitatis ſepultus. Magnus in urbe rumor erat, Balthaſarem Coſſam clyſtere venenato Pontificis mortem acceleraſſe, idque erat præcipuum cetera inter accuſationum capita adverſus illum prolata, cum poſtea in Concilio Conſtantienſi e ſummo Pontificatus apice detruderetur.

Ciacon. & Monach. S. Dionyſ. l. 30. c. 4.

S. Antonin. tom. 2. p. 3. c. 5. §. 3.

§. V.

Joannis XXIII electio.

Juſtis Alexandro de more perſolutis, Cardinales veſpere decima quarta Maji die Mercurii conclave ingrediuntur, numero ſedecim, nam ex illis viginti tribus, ex quibus alias ſacrum Collegium componebatur, ſeptem aberant. Igitur decima ſeptima ejusdem Menſis die Balthaſar Coſſa Neapolitanus, alias Cardinalis S. Euſtachii dictus, Pontifex Maximus eſt renuntiatus, & Joannes XXIII nuncupatus. Commendatitiæ Ludovici Andegavenſis Siciliæ Regis literæ non parum ad ejus electionem con-

Niem. de ſchiſm. l. 3. cap. ult. Gobel. Perſ. in Coſmæd. æt. VI. cap. 90.

Sæcul. XV
A C. 1410.

tulerant; Rex enim, cum e Galliis redux bellum Neapolitanum inſtauraturus, claſſem ſuam in Genuenſium oris paratam haberet, comperta Alexandri V. morte, protinus Bononiam Legatum mittebat, qui Cardinalibus Balthaſarem Coſſam impenſe commendaret, atque, ut illum in ſummum Pontificem eligerent, precibus inſtaret, eoquod intimo amicitiæ fœdere Ludovico junctus eſſet, & ſua quoque conſilia ſub ejusdem auſpiciis optatum ſortitura effectum ſperaret. Ergo Cardinales Galli unacum Neapolitanis, qui potiorem ſuffragiorum partem conficiebant, veriti, ne ſi ſecus facerent, potentem in perſona Ludovici Andegavenſis ſibi attraherent hoſtem, Balthaſarem ſibi tantopere commendatum eligunt, eumque illo adhuc die in Eccleſia Cathedrali Bononienſi Pontificem inaugurant. Qui die vigeſima quarta Maji a Cardinale Oſtienſi Presbyter ordinatus, poſtera autem die Dominica Epiſcopus ab eodem Præſule conſecratus, Sacro ſolemni prius celebrato præforibus Eccleſiæ a Cardinale Brancatio coronationis inſignia ſuſcepit. Abſolutis his omnibus Neo-electus Papa publica equitatione ad pompam inſtructa per Urbem Bononienſem inceſſit, prout in die coronationis ex antiquo Pontificum more fieri uſuvenit.

Monſtrelet. c. 62. p. 97.

§. VI.

Sæcul. XV.
A.C. 1410.

§. VI.

Dubium de electionis libertate.

Hæc Pontificis electio parum grata accidebat populo. Commendabant quidem Balthasarem Cardinalem nobilitas generis apud Neapolitanos illustrissimi, atque ingenii præstantia præter eximiam illius in rebus publicis prudentiam: Verum vita, ejusdemque mores hucusque nonnihil liberiores, tyrannicum ejus imperium, quo legationis suæ tempore Bononiam divexabat, atque animus sæculi illecebris enutritus adipiscendæ Pontificiæ dignitati haud parum obstare videbantur. Nihilominus communi eligebatur suffragio, prout potior Scriptorum pars testatum reliquit, vel saltem solus & unicus erat Cardinalis Arelatensis, qui nunquam electioni Joannis suffragari voluit. Platina observat, quod Cardinales auro corruptos, præcipue illos, quibus tenuis erat res familiaris, ad suas traxisset partes. His addit Philippus Bergomensis, Cardinales a Balthasare ante sui electionem, ut ex ejus arbitrio Papam eligerent, gravibus minis fuisse territos, illo autem cunctos, quos ei Cardinales proposuissent, rejiciente, ac suborta inter ipsos dissensione, tandem eundem supplices adiisse, ut quem eligi

Niem invect. in Joann. XXIII. c. 7.

Sæcul. XV. A.C. 1410.

vellet, enuntiaret, & illum eis respondisse: *Date mihi sancti Petri pallium, & ego illud Pontifici, quem vos eligere debetis, restituam*, hoc dicto, ac pallio humeris suis impositio exclamasse: *Ego sum Papa.* (*) Insuper Theodoricus de Niem illum non jam per ambages pro intruso habet, referens, ipsum, ne fraus sua appareret, eodem tempore Cardinales adhortatum fuisse, ut Conradum Caracciolli Cardinalem Melitensem, natione itidem Neapolitanum in Papam eligerent, *qui licet in se bonus, tamen erat quasi omnino illiteratus, necnon valde grossus, & ad Papatum incapax.* Propter hæc nonnullis Historicis visum est, concordia Eligentium vota vi extorta, ejusque electionem omnino liberam non fuisse. Ceterum haud ingratum erit Lectori, si succinctam hujus Pontificis historiam usque ad tempus, donec Ecclesiæ præficeretur, subjiciamus.

§. VII.

(*) *Hæc omnia putida esse commenta haud dubitamus, cum Niemus in omnes Pontifices maledicus duntaxat Joanni Andegavensis commendationem & Melitensis electionem objiciat, ipsumque Constantiense Concilium eidem solum generatim obtrudat, quod sua solertia Papatum aucupasset.*

Sæcul. XV.
A.C. 1410.

§. VII.

Genium & mores hujus Pontificis.

Balthasar Cossa ex nobilissima quidem familia Neapolis ortum duxit, quæ tamen non amplas admodum, atque copiosas possidebat opes. Testatur Onuphrius, eum jam a primis adolescentiæ annis Clericali militiæ fuisse adscriptum, nec tamen propterea erubuisse, quo minus cum nonnullis suis Fratribus maria transfretaret, navales excursiones institueret, captaque occasione ex bello, quod tunc Ladislaum inter & Ludovicum I Andegavensem exarserat, prædatum iret. Ejusmodi piraticis laboribus exercitatus noctes plurimas insomnes ducere, & de die stertere assuevit, quam consuetudinem nunquam amplius deposuit. Tandem vero laboriosum hujus vitæ genus pertæsus, Bononiam adiit sub obtentu studiis ibidem vacandi, re vero ipsa eo ductus consilio, ut gradu academico auctus quamdam dignitatem Ecclesiasticam aucuparetur. Cum autem animum, ut eminentioris scientiæ gloriam sibi compararet, non intenderet, nec magnos etiam in litcris progressus habuit, opportune tamen conciliata sibi Bonifa-

Gobelin. Person. Cosmod. æt. VI. c. 90.

Sæcul. XV. A.C. 1410.

Bonifacii IX benevolentia ab eo Bononienſem adeptus eſt Archi-Diaconatum, quæ dignitas eo tempore admodum conſpicua erat, tum ob redituum copiam, tum ob ſummam, qua in Academia Bononienſi eminebat, prærogativam, huic enim muneri annexa erat Rectoris auctoritas. Verum Balthaſar fortunæ ſuæ auſpicia intra Bononiæ mænia arctis nimium limitibus conſtringi ratus, Romam proficiſci meditatur, hunc eundem Pontificem famulatu atque obſequiis devincturus, a quo etiam intimi cubicularii officio ornatus commodam nactus eſt occaſionem, muneris ſibi conceſſi auctoritatem in rem ſuam vertendi, quo factum, ut illis, qui plus auri offerrent, dignitates procuraret, & datis pecuniis indulgentias in Germaniam, & Septentrionales plagas expediret. Non deſunt, qui de eo referunt, quod cum aliquando itineri ſeſe accingeret, ab amicis ſuis, quo iret, interrogatus reſponderit: *Vado ad Pontificatum.*

Niem. in vita Joan. XXIII. lib. 1. c. 2.

Bonifacius IX, ut corraſæ pecuniæ beneficium non ſine fœnore ac grati animi memoria in Balthaſarem rediret (*) eundem

(*) *Bonifacium a nullo Auctore probato de ſimoniæ crimine poſtulatum legimus, econtra vero*

eundem Anno Salutis milleſimo quadringenteſimo ſecundo Cardinalem Diaconum tit. S. Euſtachii creavit. Poſtmodum anno ſequenti Legati munere apud Bononienſes ab eodem decoratus, hanc urbem ad Eccleſiæ imperium revocatam plures annos tyrannico ſane dominatu vexabat. Abbas Fleurius affirmat, Bonifacium alias inter rationes potiſſimum Balthaſari Bononienſem Legationem ideo commiſiſſe, ut tum hominem a concubina, quam is Romæ fovebat, abſtraheret, tum ut hanc fœminam unacum ejus Marito Neapolim remitteret. Bonifacio e vivis erepto Balthaſar utriusque Pontificis, Innocentii VII & Gregorii XII, qui Boniſacio ſucceſſerant, invi-

Sæcul. XV. A. C. 1410.

Hiſt. Eccleſ. tom. 20.

---

vero quod cum Oratores Petri de Luna ad eum non ſine indignatione dixiſſent: eorum Dominum non eſſe ſimoniacum, *tacite notantes Bonifacium talem eſſe; illum vero, cum innocentiæ ſuæ probe conſcius eſſet, ob indignitatem facti morbum contraxiſſe, eoque obiiſſe. Multa equidem ex avaritia Matris & fratrum ſuorum geſta fuere, quæ tamen innoxio Pontifici adſcribebantur, qui certe, ſi ex ſimoniæ queſtu tantas captaſſet divitias, non fuiſſet mortuus, vix uno floreno penes eum reperto, ut ſcribit Auctor Chronici Eccleſiæ Burdegalenſis, qui Romæ, obeunte Bonifacio, morabatur.*

Sæcul. XV. A.C. 1410.

invidiam incurrebat, eoquod isti indignas ejus atque intolerandas oppressiones, de quibus Bononienses graviter conquesti erant, haud ultra ferre possent. Exinde adeo nihil suæ decessit potentiæ, ut etiam, quos interpositæ apud Pontifices accusationis Auctores noverat, bonis fisco adjudicatis castigaret, & semper non minus Innocentio adversaretur, quam Gregorio, quem aliunde inimicum sibi reddebat, eoquod Antonium Corarium Gregorii Nepotem, Anno millesimo quadringentesimo septimo Bononiensi Ecclesiæ præfectum ab illius possessione prædiviſſet, hujusque proventus interea ipse percepisset. Nec minor erat aversionis causſa, quod licet excommunicatus, in Civitate Bononiensi a Gregorio divinis interdicta, sacra publice fieri jussisset.

Auberii pag. 653.

Niem. in vit. Joan. XXIII. l. cit. c. 15.

Quapropter mutuo in Gregorium odio accensus Pisano Concilio adhærere statuit, utque hujus Pontificis causſam adhuc pejorem efficeret, Luccam Deputatos ablegat, qui Gregorium ad servandam promissi sui fidem hortarentur, & sub hac lege eidem plenam sponderent obedientiam. Cum vero Oratores isti re infecta rediissent, Balthasar tum Legatus Bononiensis aperte Gregorii hostem se declarat, ceteros Cardinales ad abjurandum Gregorio obsequium solli-

citat,

citat, & cum Florentinis fœdus pangit, ex quorum conſenſu Piſanam urbem ad celebrandum Concilium obtinet: Hujus fraude, ac clandeſtinis artibus potiſſimum Benedictus XIII & Gregorius XII ſolio dejecti, Alexander vero V, jam ſenio gravis ad Pontificale faſtigium evectus eſt; ſperabat enim Balthaſar, ſe Viro decrepito brevi ſucceſſurum: Nec ſua illum ſpes fefellit. Refert Theodoricus Niemus, ipſum, cum Cardinales de illo in Pontificem eligendo tractaſſent, oblatam dignitatem declinaſſe, atque impenſius rogaſſe, ut ſuffragia ſua potius in Petrum de Candia conferrent, *eoquod hic eſſet vir apprime literatus, & ætate grandævus, ac bonæ famæ, & qui non haberet aliquos ſibi carnis identitate conjunctos, per quos Romana gravaretur Eccleſia.* Simulque eum pollicitum eſſe, ſe quoque Petrum, ſi eligeretur, omnibus, quibus poſſet viribus adjuturum, ut Urbem Romanam, ceterasque omnes Eccleſiæ ditiones tam in Etruria, quam alibi ſitas recuperaret. Abs dubio proſpiciens Balthaſar, ſibi neceſſaria Cardinalium vota ad Papatum defutura, ſatius ducebat, ſaltem illis commendare Virum ſibi amicum, & qui ei ob decurſam propemodum ætatem brevi tempore ſuccedendi locum aperiret.

Sæcul. XV. A.C. 1410.

Joan-

Sæcul. XV. A.C. 1410.

Joannes XXIII valde prospera habuit Pontificatus sui auspicia. Potissima enim totius Europæ pars illum legitimum venerabatur Pontificem, cum Benedictus XIII non nisi Hispaniam, Scotiam, & nonnullos Principes suo obsequio addictos amplius numeraret, licet ipse nihil inde animo fractus ac flecti nescius, magis quam unquam obfirmatum gereret animum, caussatus, Universalem Ecclesiam in castro Paniscolæ, ubi agebat, residere. Locus iste oppidum est, arce munitum in Peninsula Regni Valentiæ situm. Gregorius autem Arimini sedit vix non solus & ab omnibus ferme derelictus, si quosdam Italiæ ac Germaniæ Principes exceperis, in quorum ditionibus Rupertus Romanorum Rex amicos eidem conciliare ac fovere connitebatur.

§. VIII.

Ruperti Romanorum Regis obitus.

Bzov. n. 10.

Verum & ipse Rupertus proximis post Joannis XXIII electionem diebus Oppenheimii Bojorum oppido die vigesima prima Maji vitæ cursum confecit; anno Imperii sui decimo. Papa Regis hujus obitu a maxime importuno hoste liberatus, potentem caussæ suæ fautorem sibi adjungere sperabat, si Sigismundi Hungariæ

riæ Regis electionem sua promoveret auctoritate. Quapropter missis ad S. R. I. Electores oratoribus, datisque literis eos vehementer adhortatur, atque impense rogat, ut Sigismundum de Lucemburgo Caroli IV Filium, & Wenceslai fratrem in Romanorum Regem eligerent. Sæcul. XV. A.C. 1410.

§. IX.

Sigismundus in Imperatorem electus.

Conveniunt Electores Francofordiæ ad imperii comitia; verum in duas partes scindebantur suffragantium studia. Nonnulli, uti Trevirensis & Palatinus Electores, necnon & Norimbergensis Burggravius Sigismundo favebant; alii econtra sua conferebant suffragia in Jodocum Moraviæ ac Brandeburgi Marchionem Caroli IV Nepotem & Procopii fratrem, qui & postmodum Imperator salutatus est. Illo autem sexto post electionem Mense ante coronationem fatis functo, omnia ceterorum suffragia in Sigismundum convenere, qui etiam communi consensu Imperator confirmatus est. *Goldast. vol. 3.*

§. X.

Cardinalis quidam a Joanne XXIII Legatus in Hispaniam missus.

Joannes XXIII vix Pontificale solium adeptus, confestim Joannem Landul- *Aubery hist. Cardin. tom. 1. p. 630.*

Sæcul. XV. A.C. 1410.

phum de Maramauris Cardinalem in Hispaniam Legatum mittit, duplici instructum mandato; injunxit enim primo, daret operam, ut Benedicti fautores ad obsequium Joannis induceret, illiusque mentem de cessione Papatus sui exploraret. Alterum erat, ut Granatæ Regem & Mauros Christo lucrari studeret. Verum legatio hæc circa utrumque optato caruit eventu. Benedicti enim pertinacia expugnari haud poterat, cum Hispania constanter in ejus obedientia persisteret. Mauri autem Mahometanæ suæ superstitioni pertinaciter adhæsere. Quinimo duo Religiosi Franciscani Joannes de Catina, & Petrus de Duennas ad prædicandam veram fidem a Cardinale illuc missi vitam cum sanguine pro Christo profuderunt, cum enim insuperhabito Magistratus interdicto Apostolicæ expeditionis munia obirent, Mahometes Granatæ Rex, quos nec minarum terrore nec tormentorum vi ab invicto fidei zelo absterrere poterat, securi percuti jussit, Christianis postea eorum corpora clam Cataloniam transferentibus.

§. XI.

Sæcul. XV.
A.C.1410.

§. XI.

Bulla Alexandri pro Mendicantibus a Joanne revocata.

Idem Pontifex die vigesima septima Junii Bullam, quam Alexander V. Anno præcedenti in favorem Religiosorum Mendicantium promulgaverat, abrogavit,[204] & aliam Constitutionem eodem die edidit, in qua præcepit, ut attentis querelis ad se delatis, & tumultibus cum ingenti Religionis scandalo inde exortis, cuncta ad eundem, quo ante Prædecessoris sui Bullam fuerant, revocarentur statum, dictumque Breve haberetur, acsi nunquam conditum fuisset, eodem quoque modo, quicquid vi hujus Bullæ hucusque actitatum fuisset, pro nullo reputari deberet. Simulque prohibuit, ne quisquam, cujuscunque demum conditionis foret, Alexandri V Bulla uti, aut illius Auctoritate niti attentaret.

Hist. Univers. Paris. tom. V. p.
[204] *Vid supr. lib. CI. §. 180.*

§. XII.

Pontificis Oratores ad Universitatem Parisiensem.

Non deerant suæ Pontifici rationes, quibus permotus Prædecessoris sui Bullam revocasset, probe enim noverat,

Sæcul. XV. A.C. 1410.

quam moleſte eam tulerit Pariſienſis Univerſitas, quantave animorum contentione ab Epiſcopis, atque Parochis oppugnata fuerit; inde vero propitiam nactus eſt occaſionem Epiſcoporum animos ſibi obſtringendi, ut eo facilius Clero Gallicano decimas imponeret, obtendens bellum adverſus Ladislaum, & utrumque ſuum æmulum ad Papatus abdicationem compellendi neceſſitatem. Hac ſpe fretus Archiepiſcopum Piſanum & Epiſcopum Silvanectenſem in Gallias decernit, dato negotio, ut ab Eccleſiaſticorum beneficiis decimas, procurationes, ac defunctorum Præſulum ſpolia exigerent, utpote quæ de Jure divino & naturali, Canonico & Civili ſummo Pontifici & Cameræ Apoſtolicæ deberi aſſerebat. Legati, quamprimum advenerant, ab Univerſitate ad alloquium admitti rogabant, quod & ipſis die decima tertia Novembris conceſſum eſt. Congregatorum conſeſſus erat ſpectatiſſimus; coram eo Legati ſua exponunt poſtulata, & conatus atque labores pro extinquendo ſchismate a Papa exantlatos pluribus exaggerant, denique ipſius nomine ab Univerſitate petunt, ut & ipſa ſuis conſiliis, atque auctoritate in tam urgenti ac gravi negotio Pontificis ſtudia ſecundaret. Præterea Archiepiſcopus Piſanus poſtulabat, ut Academia ex qualibet facultate

Hiſt. Univerſ. Pariſ. tom. V. p. 210. & ſeqq.

ac

ac natione quosdam designaret Deputatos, eo fine, ut tam ipse, quam ceteri Legati ipsum comitantes cum præfatis Deputatis de extirpando schismate particulares consultationes agerent. Quibus Universitas respondit, se pia Pontificis vota, quibus se ferri monstraret, grato animo excipere. Atque idcirco Deputatos nominatarum, qui cum Archiepiscopo Pisano aliisque Legatis, prout petiissent, speciatim conferrent. Sæcul. XV. A.C. 1410.

§. XIII.

Legati minus benigne auditi.

Igitur congressus decima septima Novembris die celebratur, ac denuo prælegitur Constitutio Joannis XXIII, qua Bullam Alexandri V de Mendicantium privilegiis quadantenus revocabat. Quibus perceptis Academiæ Deputati Papæ Nuntiis significant, per hanc Joannis Bullam duntaxat ea, quæ in Constitutione Alexandri immodice a jure communi deflectentia reperirentur, quodammodo mitigata fuisse, atque idcirco ab Universitate approbari non posse. Nec etiam de Decimis, aliisque, quas petiit Pontifex, exactionibus illo die quicquam statutum fuit, sequentibus vero diebus frequentes circa hoc argumentum deli- *Monstrelet. lib. 1. cap. 67. & 70.*

Sæcul. XV. A C. 1410.

berationes habebantur, quarum tamen deciſiones nunquam Legatorum poſtulatis favebant.

§. XIV.

Joannes XXIII a Romanis Papa agnitus. Ladislai clades.

Quamprimum Romam de Joannis XXIII electione rumor pervenit, Senatus, populique Romani juſſu omnes Gregorii imagines dejectæ, ejusque ſtatuæ demolitæ ſunt: harum loco Neoelecti Pontificis effigie ubique erecta. Inter alios Principes de Columna illum tanquam verum venerantur Pontificem, atque in illius gratiam redire feſtinant. Non modicum quoque lætitiæ argumentum acceſſit ex fauſtiſſimo ſiniſtræ Ladislai fortunæ nuncio, qui in quodam hoſtili impetu adverſus Romanam Urbem tentato, ingentem paſſus eſt cladem: Ladislaus enim Romanos ob Joannis XXIII electionem in feſtiva triumphi ſigna penitus effuſos intelligens, triremes ſuas equitum quinque millibus, & tribus peditum millibus inſtructas Oſtiam miſit, Urbem Romanam quarto duntaxat lapide inde diſſitam clam expugnaturus, atque in ſuam poteſtatem redacturus.

cturus. Verum Paulus ab Urſinis de Ladislai conſilio edoctus, harum copiarum adventum prævenit, atque ipſus nonniſi cum mille quingentis ſuorum eidem usque ad Campaniam Romanam progreſſus eſt, ibidemque, licet Regis militibus numero longe impar, prælium cum Ladislai exercitu iniit, & fuſis ejusdem copiis partem illarum gladio confecit, reliquos vero in fugam egit. Aſt clades illa tanti non erat momenti, ut Pontificem penitus a metu Ladislai potentiſſimi hoſtis liberaſſet. Sæcul. VX. A.C. 1410.

§. XV.

Sigismundi Legatio ad Joannem XXIII.

Hanc ipſam ob cauſſam Papa in Sigismundi gratiam redire feſtinabat, ea uſurus occaſione, qua Legati a Cæſare miſſi eum convenirent, electionem ad Papatum gratulaturi. Præcipuum autem Legationis hujus caput erat Venetorum potentia, qui adverſam hujus Principis fortunam, & belli tumultum, quo cum Turcis implicitus erat, in rem ſuam vertentes, Sigismundo plures ditiones, atque Urbes in Dalmatia eripuerant. Papa, ut primis amicitiæ auſpiciis, quibus ab Imperatore honorabatur, condigne *Raynald. ad ann. 1410. n. 27. 28. 29.*

Sæcul. XV. A. C. 1410.

reſponderet, Nuntium in Hungariam mittere decernit, ibidem Religionis negotia promoturum: hanc vero provinciam demandabat Brandæ de Caſtellione Mediolanenſi, Epiſcopo Placentino, qui felici adeo ſucceſſu concreditum ſibi geſſit officium, ut Anno ſequenti in Cardinalem tit. S. Clementis evehi meruerit. Jam olim ad plura alia negotia expedienda ſub Bonifacio IX hujus Præſulis dexteritas ſelecta fuerat.

§. XVI.

Martini Arragonum Regis obitus.

Mariana lib. 19.

Annus iſte non modo Alexandro V, & Ruperto Romanorum Regi, qui rebus humanis erepti ſunt, fatalis accidit, ſed etiam Martinum Arragoniæ Regem e vivis abſtulit. Regis hujus obitus non modicos in Hiſpania excitavit tumultus. Improlis enim deceſſerat, & in hoc ſolo tota poſteritatis ſpes ſteterat Arragoniæ Regum, quorum familia ex Comitum Barcinonenſium ſtirpe deſcendens ſexcentos annos propagata florebat. Inter plurimos Principes, qui hujus Regni ſceptrum ambiebant, haud ultimi erant Fridericus Comes de Luna, Nothus Martini Regis Siciliæ, quem Benedictus XIII ingenuis natalibus reſtituit; item Ferdinandus

nandus Joannis Caſtellæ Regis Filius, Ludovicus Dux Andegavenſis, Matthæus Comes de Fuxo, Alphonſus Dux Geldriæ, Jacobus Comes Orgelitanus Alphonſi IV pronepos, & Jacobi, qui Regis Arragoniæ filius erat, Nepos. Cum Martinus fatis eriperetur, Ferdinandus bello adverſus Mauros implicabatur, ipſe vero ſibi proximius ac ceteris æmulis ad regni coronam jus competere ratus, publico inſtrumento declaravit, ſe defuncti Regis & Arragoniæ ſucceſſionem acceptare, licet illa ſibi a nemine offerretur, eodemque tempore ad Arragonenſium Optimates ſuos ablegavit Oratores, cauſſam ſuam ibidem acturos. Sæcul. XV. A.C. 1410.

§. XVII.

Vincentius Ferrerius pro decidenda Martini ſucceſſione arbiter electus.

Igitur inter Regni Competitores conventum eſt, ut quælibet ex hiſce tribus Provinciis Arragonia, Catalonia, & Valentia totidem nominaret judices, qui de controverſis contendentium juribus deciderent. Omnes illi novem erant Viri prudentia ac probitate ſpectatiſſimi. Duo ex tribus illis, quos Provincia Valentiæ denominaverat, erant Vincentius *Idem lib. 20.*

Sæcul. XV. A. C. 1410.

Ferrerius ex S. Dominici familia sanctitate vitæ, ac Apostolico zelo illustris, necnon Bonifacius Ferrerius Vincentii frater, Carthusianus.

§. XVIII.

Ferdinandus Rex Arragoniæ declaratus.

Comparuere coram novem illis Judicibus omnes Regni Arragonensis Competitores partim ipsimet, partim eorum Deputati, ac demum juribus, quæ quisque allegabat, matura discussione ponderatis, Ferdinandus proximus Regni Successor denuntiatur, ac spretis Benedicti XIII machinationibus, qui Fridericum de Luna sibi sanguine junctum ad solium evehere nitebatur, Rex proclamatus est. Ferdinandus erat Filius ex Joanne Castellano Rege, & Jolanda sive Eleonora Petri II Arragonum Regis Filia & Martini primogenita sorore natus. Hic ipse plures civitates Mauris eripuit, atque iteratis præliis eos attrivit. Suæ quoque probitatis ac moderati animi insigne præbuit specimen, dum Castellæ Regnum acceptare recusabat, etiamsi illud sibi, posthabito ejus Nepote, Castellani offerebant, veriti, ne Mauri, quos ipsi tum bello premebant, hujus Nepotis adhuc

huc pueri imprudentia in sui commodum abuterentur. Hac nihilominus ratione permotus Ferdinandus bello victricibus armis absoluto Castellæ regnum, quod pro se respuit, Nepoti suo juveni huic Principi totum asseruit. Sæcul. XV. A.C.1410.

§. XIX.

Hussitarum progressus in Bohemia.

Perversum Joannis Hussi dogma indies latius serpebat, Sbinconis Archiepiscopi Pragensis conatibus nequaquam proficientibus. Demum Alexandro e vivis erepto Hussi caussa ad Joannem XXIII delata fuit, qui Hæreticum hunc plurium errorum, quos concionibus divulgaverat, accusatum Romam vocavit, & totum negotium Ottoni de Columna Cardinali demandavit, a quo Joannes Hussius Bononiam, ubi tum Curia Papæ agebat, venire jussus est.

§. XX.

Hussus coram Papa comparere recusat.

Verum Hæresiarcha Bononiam venire abhorret, veritus plurium Germaniæ Principum potentiam, quorum odium sibi adsciverat; hinc se absque vitæ

Sæcul. XV. A.C. 1410.

tæ ſuæ periculo hoc iter aggredi vix poſſe excuſat, tantumque efficit, ut Wenceslaus Bohemiæ Rex, & Regina, cui a confeſſionibus erat, plurimique Barones ad Papam Legatos mitterent, rogaturos, ut Huſſum ab onere Bononiam eundi ſolvere dignaretur, nec pateretur totum Bohemiæ regnum ob falſas de hæreſi accuſationes infamiæ nota aſpergi, quin potius Verbum Dei in Sacellis prædicari concederet, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios Bohemorum ſumptibus alendos in Regnum ablegaret, ut abuſus, ſi qui fuerint, corrigerent.

§. XXI.

Tres Procuratores loco ſui a Joanne Huſſo miſſi.

Joannes Huſſus Bononiam tres miſit Procuratores, qui coram Cardinale Columna ſui loco ſe ſiſterent, & abſentiam ipſius purgarent, ſuæque cauſſæ patrocinium ſuſciperent. Eodem tempore Joannes Huſſus Regis ac Conſiliariorum ope in gratiam Sbinconis redibat, ita ut & ipſe hic Prælatus ad Pontificem ſcribens pro illo intercederet. Verum Cardinalis de Columna nulla habita ratione precum, quas Joannis Huſſi Procuratores interponebant, illum tanquam contumacem

macem atque excommunicatum denuntiat, eoquod termino præfixo non comparuiſſet. Sæcul. XV. A. C. 1410.

§. XXII.

Huſſi cauſſa ad Pontificis tribunal revocata.

Cum itaque Cardinalis præſcriptas judicii leges violaſſe diceretur, ac Procuratores Joannis Huſſi ab ejus ſententia ad Papam appellaſſent, Joannes XXIII totam cauſſam ad ſuum tribunal revocavit, aliisque quatuor Commiſſariis delegavit, nimirum Antonio Cajetano Cardinali Aquilejenſi, Cardinali de Bancratiis, Cardinali Veneto, & Franciſco Zabarellæ Florentino.

§. XXIII.

Hieronymi Pragenſis initia.

Inter fidiſſimos Joannis Huſſi diſcipulos ceteris eminuit Hieronymus de Praga, qui nec Religioſo inſtituto, nec Eccleſiaſtico Ordini adſcriptus nonniſi Baccalaureus ac Theologiæ Magiſter erat, quem gradum Anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo nono adeptus eſt. Vir erat ferocis admodum naturæ, & valde ſatyricus, ceteroquin illum præclaris *Balb. epit. rer. Bohem. pag. 420.*

Sæcul. XV. A. C. 1410.

claris ingenii dotibus præditum fuisse, omnium Auctorum comprobant testimonia, quinimo affirmant nonnulli, illum scientiæ eminentia & argutia in disputando, ipso Joanne Husso superiorem fuisse. In plurimis & celebrioribus Europæ Universitatibus, veluti in Parisiensi, Heidlbergensi, Coloniensi, & Oxoniensi sua emensus est studia, atque ab itineribus redux Joanni Husso sese associavit. Anno Salutis millesimo quadringentesimo decimo a Rege Poloniæ ad instruendam Universitatem Cracovienſem evocatus fuerat. Ex Polonia in Hungariam profectus, hæresis postulatur; Hungaria vero excedens Viennam pervenit, ubi in carcerem conjectus exinde liberatus haud fuisset, nisi Universitas Pragensis pro eo intercessisset.

§. XXIV.

Joannis Galeatii Mediolanensium Ducis cædes.

Bzov. an. 1410. n. 33.

Hoc eodem anno Joannes XXIII a potenti & crudeli hoste liberatus est per obitum Joannis Mariæ Galeatii Mediolanensis Ducis, qui Gibellinorum factionis Antesignanus erat. Princeps iste in prima sua adolescentia furoris atque inhumanitatis monstrum dici meruit, cum propriam

propriam ſuam Matrem trucidari jube- Sæcul. XV.
ret, & totum Mediolanenſem ſtatum nil A.C.1410.
niſi cædibus, latrociniis, incendiis & ſacrilegiis tam in urbibus quam ruri commiſſis funeſtaſſet. Tanta aviditate innocentum ſanguinem ſitiebat, ut neminem vitæ ſuæ ſecurum eſſe ſineret, nulli ætati, nec ſexui, nec Perſonarum conditioni parcens. Tandem vero cum vindex Dei juſtitia tam crudele monſtrum in terris haud ultra ferret, factum eſt, ut in ejus necem conjuratio conflari cæpiſſet, & ipſe ex concordi utriusque factionis, Guelforum, atque Gibellinorum Optimatum ſententia, dum ad Eccleſiam pergeret, occiſus fuiſſet. Corpus ejus omnino ſepultura caruiſſet, niſi quædam meretrix hunc ultimum ei honorem deferri curaſſet.

§. XXV.

Diverſæ factiones in Italia.

Tota reliqua Italiæ pars deſolata luxit ob graſſantem luem, & cruenti atque inteſtini belli flammas, quas ſchiſma Guelfos inter Papæ partibus addictos, & Gibellinos Imperatori ac ſæcularibus Principibus faventes nutriebat. Equidem per ſolidos tres menſes in Urbibus, & ruri frequentiſſima viſebantur agmina ſolemni

Sæcul. XV. A.C. 1410.

mni ordine procedentium Virorum ac fœminarum omnis conditionis, Principum & Prælatorum, divitum æque ac pauperum, qui ſaccis albis & oblongis a capite ad calcem defluentibus induti, publicas inſtituebant ſupplicationes, ut divini Numinis iram juſte contra ſuum populum excitatam precibus mitigarent. Quin imo & ipſæ Curiæ a forenſi litium ſtrepitu vacabant, omnesque jurisdictionis contentioſæ actus ſuſpendebantur. Verum necdum advenerat miſerendi tempus, & bellici furoris ſedandi ſpes, ſed continuato crudelitatis impetu exarſere armorum ſtudia, cunctaque iisdem calamitatibus vaſtabantur.

§. XXVI.

Paria diſſidia in Galliis.

Nec feliciori tranquillitatis aura fruebatur Francia, ubi Ducis Burgundiæ factio adverſus Aurelianenſis partes plusquam vatiniano effervelcebat odio. Inibant Bituricenſis & Borbonius Duces Giani fœdus cum Aurelianenſibus & Britanniæ Duce, Alenconio, Claremontano, & Aremoricenſi Comitibus, qui omnes Duci Aurelianenſi vel amicitia juncti, vel contra Ducem Burgundiæ exulcerati erant. Ergo omnes iſti ad Regem ſuos mittunt

Armagnac.

Monſtrelet.

mittunt Legatos, qui judicio eorum nomine contenderent. Quinimo Dux Aurelianenſis miſſis ad Burgundum literis eundem ad ſingulare certamen provocat, cui ille reciproca provocatione reſpondit. Quisque etiam bellum parat, irrito conatu Rex arma ponere jubet, quælibet factio pro ſe ſuos conducere milites pergit. Nec ipſe Burgundiæ Dux, qui pro ſuo arbitrio Regis animum trahebat, & Regiam familiam ad voluntatis ſuæ nutum moderabatur, Principes contra ipſum fœderatos ad pacem acceptandam movere poterat; hinc auctoritate Regis opportune utendum ratus, ad bellicam ſuam expeditionem edicto regio armatam ſecundariæ clientelæ Nobilitatem convocat, & Pariſienſem Civitatem decem millium bellatorum præſidio firmat. Biturienſis, ceteriquę Principes ad arcem Biceſtrienſem ſe recipiunt, primi ad vim & arma deſcendunt, bellumque auſpicantur, quod nonniſi ſequentibus finitum eſt conditionibus, ſcilicet, quod Burgundiæ Dux Pariſiis excederet, & Biturienſis nunquam amplius ad eam urbem rediret. Nec tamen pax iſta diuturno tempore tenuit. Legimus quoque eodem hoc anno ſemeſtres inducias fuiſſe initas, Galliam inter & Angliam; ambæ enim iſtæ Nationes ſe invicem bello petebant, occaſione nata ex Richar-

Sæcul. XV. A.C. 1410.

Daniel Hiſt. Franc.

Sæcul. XV. A.C. 1410.

di II nece, qui Isabellæ Caroli VI Filiæ nupserat.

§. XXVII.

Ingens clades Equitibus Teutonicis per Polonos illata.

Balb. epit. rer. Bohem. p. 422.

Crom. lib. 16. & 17.

Præsens annus non minus quam prior funestus accidit Equitibus Ordinis Teutonici, quos alias novimus sub nomine Fratrum Hospitalariorum sanctæ Mariæ in Jerusalem; quorum Ordo circa finem duodecimi sæculi originem suam habebat. Jam a pluribus annis Poloni adversus hosce Equites exacerbatum nutriebant animum; cum enim illi Culmensem Palatinatum, & quicquid terrarum Vistulam inter & Mocram ac Derwatiam flumina interjacet, in suam redegissent potestatem, Poloni eis bellum indixere. Quamvis horum Equitum exercitus repetita clade fusus fugatusque fuisset, nihilominus eorum ambitio & possidendi cupiditas eousque in illis prædominabatur, ut tam pacis, quam induciarum pertæsi, identidem prælium instaurare maluerint. Tandem vero cruentum illud certamen, quod hoc anno die decima quinta Julii commissum est, decretorium erat. Omnes enim Teutonicorum copiæ gladio funduntur, ipso magno

gno Ordinis Magiſtro, innumeris pene belli Præfectis, Commendatoribus, aliisque Nobilibus interemptis. Nunquam certe totius exercitus clades adeo ingens, nec Victoria tam glorioſa poſt hominum memoriam recenſeri poteſt. Teutonici, (ut quidam referunt) quinquaginta aut ſexaginta armatorum millia amiſerunt, quadraginta Vexilla ab hoſte capta, & unum ſupra quinquaginta a Polonis intercepta fuere. Equites tanta clade compulſi pacis conditiones inibant. Verum illius articuli utrinque firmati, Conciliatore Herbipolenſi Episcopo, utiliores erant Victis, quam Victoribus. Sæcul. XV. A.C. 1411.

§. XXVIII.

Bulla Gregorii XII Cajetæ fulminata.

Etſi Piſana Synodus in extinquendo ſchiſmate nil intentatum reliquiſſet, nihilominus illud, quo cæpit, pede proceſſit, atque ambo Pontifices in ſua quisque obedientia ſummum Eccleſiæ imperium ſibi attribuerunt. Id perſpicimus ex Bulla Gregorii XII Cajetæ in die Cœnæ Domini quinto Pontificatus ſui anno edita, qua anathemate percellit Pauperes de Lugduno, Arnoldiſtas, & generatim *Theod. Niem. l. 3. c. 23.*

Sæcul. XV. A. C. 1411.

omnes hæreticos, Piratas, & prædones maritimos, Bullarum seu literarum Apostolicarum falsarios, cunctosque Urbem Romanam vel Patrimonium S. Petri usurpantes. Hoc eodem excommunicationis fulmine percutit quoque Petrum de Luna, qui Benedictum XIII se nominare præsumeret, item Ludovicum Andegavensem, & nominatim undecim illos Cardinales, qui ab eo defeciſſent. Hos inter legitur etiam nomen Cardinalis tit. S. Eustachii, qui non alius erat, quam ipse Joannes XXIII, adversus quem excommunicationis sententiam jam semel in ipsum, ejusque Cardinales fulminatam innovat: omnibus vero illis, qui Caroli de Malatestis tum Romandiolæ Præfecti signa sequerentur, plenam suorum peccatorum veniam impertitur. Benedictus vix non eodem fastu suam quoque ostentabat auctoritatem.

§. XXIX.

Archiepiscopus Cæsar-Augustanus ab Antonio de Luna proditorie occisus.

Cum Petrus de Luna conatu suo frustratus esset, quo Fridericum de Luna ad Arragoniæ regni solium evehere contendebat, Jacobi Orgelitani partibus accessit,

acceſſit, qui omnium in ſe concitaverat odium, & nonniſi paucorum Procerum auctoritate ac favore fultus erat, quos inter numerabatur quidam Arragonenſis Ricco nomine Vir potentia clarus, item Antonius de Luna, qui Benedicto proxime ſanguine junctus erat. Hunc inter & Garziam Ferdinandum ab Heredia Cæſar-Auguſtanum Archiepiſcopum gravis intercedebat animorum averſio, quæ non leve augmentum ſumpſerat ex eo, quod Antonio prætermiſſo Ludovicum Calabriæ Ducem Joannis Arragoniæ Nepotem in Regem nominaſſet, unde ex eo die Archiepiſcopi necem decreverat. Ergo ſpecioſo circa ſucceſſionis negotium privatim colloquendi obtentu uſus, eum Almanzam venire rogat. Dum vero Archiepiſcopus eo profecturus itineri ſeſe accingit, Antonius non procul ab oppido eidem obviam procedit, & quibusdam verborum jurgiis ultro citroque mixtis Archiepiſcopum impacto pugno in terram proſtrat, & pugione illius pectus haurit, ejusque ſocii, qui Antonium comitati fuerant, ultimam ſceleri admoventes manum, Præſulis corpus innumeris ferme vulneribus concidunt. Verum ſicaria hæc cædes rebus Jacobi Orgelitani adeo non profuit, ut quam maxime noceret, cum

Secul. XV. A.C. 1411.

Sæcul. XV. A C. 1411.

illum omnes ut sceleratum ac contaminatum hominem abominarentur.

§. XXX.

Papæ & Ludovici Andegavensis consilia ad pellendum Ladislaum.

Juven. Urs. Hist. Carol. VI.

Joannes XXIII, quamprimum se in Sacræ Sedis solio satis firmatum viderat, omnia sua studia eo vertit, ut Ladislaum e Regno Neapolitano ejiceret, illiusque possessionem Ludovico Andegavensi assereret, qui jam anno priori omnibus ditionibus, quas Ladislaus in Etruria & Patrimonio S. Petri occuparerat, recuperatis, ex Italia redux in Gallias reversus est, ea mente, ut ibidem delectu habito suas augeret copias, quas omnes maritimo itinere secum duxerat, earumque una parte naves suas instruxerat, quibus stipatus Bononiam ire, ac cum Neo-electo Pontifice conferre decrevit.

§. XXXI.

Joannes Papa Romam venit, & Bononiæ administrationem Cardinali Minutulo relinquit.

Rxov. ad an. 1411. n. 4.

Igitur Bononiæ Joannem inter & Ludovicum conventum est de parando in Ladis-

Ladislaum bello, & præprimis consultis- Sæcul. XV.
simum fore judicant, ut Joannes ad Ro- A C. 1411.
manorum preces recta Romam peteret, atque Urbe recuperata illam ab infestationibus, quibus a Ladislao premebatur, liberaret. Priusquam vero Papa itineri se accingeret, quam maxime erat intentus, ut securitati rerum in Italia prospiceret, atque jura sua tueretur. Ideo Henrico Minutulo Cardinali Episcopo tit. S. Sabinæ, Bononiensis urbis totiusque Romandiolæ administrationem commisit, adjecto etiam Legati perpetui honore. Hujus Legationis initia non admodum prospera erant, populus enim tyrannicum Joannis XXIII imperium pertæsus, jugum excutiendi occasionem ex ipsius absentia sumpsit; ipsumque Legatum Cives expellunt, ejusque Palatium occupant, sibique supremi Dominii jura vendicant. Quo comperto Joannes XXIII totam civitatem interdicto mulctat; postquam vero modico tempore præterlapso præcipui seditionis Auctores propulsati fuerant, Papa Anno millesimo quadringentesimo duodecimo Cardinalem de Flisco interdictum solvendi urbemque Ecclesiæ reconciliandi plena munitum auctoritate Bononiam decrevit: quod & optato executus est successu, opitulante Jacobo Insulano, qui apud Bononienses non modica valebat potentia atque au-

Sæcul. XV. A. C. 1411.

ctoritate. Ceteræ ſtatus Eccleſiaſtici ditiones Cardinalis Ottonis de Columna regimini concreditæ fuerunt; Hic ipſe fuit dein in Concilio Conſtantienſi Papa renuntiatus ſub nomine Martini V.

§. XXXII.

Pontificis ingreſſus ſolemnis in Urbem.

Bzov. n. 3. Antonin. part 3. tit. 22 c. 6.

Omnibus his provide diſpoſitis Papa Romam iter inſtituit, comitantibus Ludovico Andegavenſi, cunctis Cardinalibus, omnibusque primariis belli Ducibus. Urbem ingreditur die decima tertia Aprilis cum ingenti pompa, populo ac Clero Romano ubique feſtive acclamantibus, utpote qui poſt perpeſſam Ladislai tyrannidem ardentiſſimis votis ſummum Pontificem intra urbis ſuæ mænia recipere deſiderabant. Hic in Eccleſia Vaticana S. Petri Pontificalibus ornatus Sacrum celebrat, & vigeſima tertia ejusdem Menſis die Divo Georgio ſacra in eadem Baſilica Vexillum majus Eccleſiæ ſolemni ritu conſecrat, quo Ludovici Andegavenſis manibus tradito illum ſupremum exercitus Imperatorem & primarium Eccleſiæ Vexilliferum declarat, demum Senatus, populique Romani vexillum Paulo Urſino, qui Eccleſiaſtico exercitul

ercitui sub Ludovico præerat, consignat. Peractis omnibus his Ludovicus Andegavensis cum Paulo Ursino die vigesima octava Aprilis ad exercitum pergit, accepta prius Benedictione Papali, quam Joannes omnibus pariter impertiebatur copiis; quibus, cum Legatum Apostolicum adjungere peroptaret, Petrum Hannibaldum de Stephanescis patria Romanum, S. Angeli Cardinalem ab Innocentio VII creatum Legationis hujus honore decoravit, eique amplissimam adjecit potestatem. Sæcul. XV. A.C. 1411.

Niem. labyr. tract. VI. c. 11.

§. XXXIII.

Pontificis & Ludovici copiæ in aciem eductæ.

Recensebat totus exercitus facile duodecim equitum millia, plurimosque peditum legiones numero & animo præstantissimas, quibus imperabant Duces æque militari virtute, ac belli experientia longe clarissimi. Inter Italos eminuere Paulus ab Ursinis; Jacobus Sfortia exercitus Florentini Præfectus sua ætate animi magnitudine & longa in armis exercitatione omnium facile princeps; Braccius de Montone; Gentilis de Monterano; Comes de Tagliacozza, omnesque illustris domus Sanseverianæ

Niem. vit. Joan. XXIII. lib. 13. c. 22.

Summont. l. 6.

Sæcul. XV. A.C. 1411.

Principes, & nonnulli Neapolitani Barones, qui Ludovici Andegavenſis partibus favebant. Inter Gallos, qui hunc Principem comitabantur, numerandi ſunt Ludovicus de Loigny, qui poſt reditum Franciæ Mareſcallus creatus fuerat; Guido Lavalius ſeu de valle Guidonis; Henricus Pinecetonus, Petrus Boualius; Bouchagi Toparcha, & Seneſcallus Augienſis cum pluribus aliis illuſtribus Viris. Ladislaus ex adverſo in confinibus Cajetæ collectis ſuis quoque copiis ferme eodem tempore caſtra movit, hoſti occurſurus cum exercitu, qui tredecim millia equitum, peditumque quatuor millia recenſebat, non numeratis illis legionibus, quas nonnulli Proceres Andegavenſis partibus adverſantes in auxilium adduxerant. His ſeſe adjungebant quædam Cataphractorum centuriæ, quas Gregorius pro ſuo præſidio haud ita neceſſarias unacum Cardinale Legato ſubmiſerat. Magna utriusque erat pro ſumma rerum dimicandi aviditas, nec diu aberat deſiderata certaminis occaſio.

Laval

Beauveau

Niem. in vit. Joan. XXIII.

§. XXXIV.

Uterque exercitus Lyri fluvio diviſus in occurſum venit.

Pogg. l. 4. pag. 193.

Jamjam Ladislaus cum ſuo exercitu hoſtibus primus occurrere feſtinabat, cum

cum fauſtum accipit nuntium, a ſuis tri- Sæcul. XV.
remibus claſſem Ludovici amiſis quatuor A.C. 1411.
navibus majoribus profligatam fuiſſe. Ladislaus proſpero hoc eventu inflatus exercitum ſuum ad Neapolis Regni confinia ducit, atque ad pedem arcis, quam Roccaſiccam dicunt, caſtra ſua ponit. Arx iſta tertii aut quarti lapidis intervallo a Ceperano diſtat, ubi Ludovici copiæ prope fluvii lyris oram, quæ utrumque exercitum tenui diſcrimine ſeparabat, tentoria erigebant. Igitur Ladislaus Ludovicum Regem ad pugnam provocat, miſſo ex caſtris ſuis Feciali, quem Rex benigne excipit, ac liberalitatis ſuæ ſignis auctum ad ſuos remittit. Eo autem dimiſſo quantocius cuidam Centurioni, nomine Braccio, imperat, ut Ladislai robur, exercitus ordines, & caſtri ſitum, ac munitiones exploraret, ſimulque vias, per quas ad hoſtem acceſſus pateret, magis expeditas exquireret. *Monach. S. Dionyſ. l. 31. c. 1.*

Centurio vix Peruſinam civitatem pertranſit, cum in alium quemdam non minus generoſum incidit Centurionem, nomine Tertallionem, ſeu Tartagliam, qui pariter ac ipſe pro ſimili expeditione miſſus, cum ſua duorum millium equitum cohorte, quæ ex prima Ladislai acie extracta erat, iter agebat. Utroque ſibi invicem occurrente ad certaminis neceſſitatem ventum eſt: jamque cruentum,

Sæcul. XV. A C. 1411.

tum, ac utrinque pertinax initur prælium. Vicit tamen Braccii constantia, qui quamvis quingentorum militum numero hostibus inferior esset, tamen post æquatam diu pugnam tandem victricibus armis, potissimam Tartagliæ exercitus partem profligavit, & plurimos adempta pugnandi facultate cepit, reliquis omnibus in fugam actis, ut triste cladis suæ nuncium ad castra Ladislai deferrent: quo facto intempestivum ob nuperrime captas Gallorum triremes gaudium non modice decrevit: generosus autem Ludovici animus ob tam fausta belli auspicia novas vires sumpsit, licet antea ancipiti fluctuasset consilio, utrum pugnæ discrimen experiri vellet; hinc enim terrebat loci, ubi Ladislaus castra ponebat, natura, huic non minus opportuna, quam sibi iniqua, illinc urgebat metus, ne milites annonæ ac stipendiorum penuria pressi, si nullo in hostem impetu tentato diutius otiosi hærerent, paulatim a signis dilaberentur. Demum accepta hac clade Ladislaus motis castris longius processit, unico duntaxat milliari a Lyri flumine semotus. Sforția autem in consilio bellico decrevit, ut nulla mora omnes Ludovici Andegavensis copiæ fluvium trajicerent, ac hostem erigendis tentoriis occupatum, ex improviso,

Summont. l. 4.

viſo, & nil minus cogitantem toto im-Sæcul. XV.
petu aggrederentur. A.C 1411.

§. XXXV.

Ludovici exercitus Lyri ſuperata Ladislaum aggreditur.

Ergo die decima nona Maji Anno Salutis milleſimo quadringenteſimo undecimo, jamjam inclinato ad veſperam ſole, Ludovicus haud procul a Ponte corvo (ignobili quodam oppido, quod antiquæ Fragellæ ruderibus ſubſtructum exurgit) Lyrin fluvium partim vado, partim pontonibus ſuperat, moxque copias ſuas in aciem collocat. Primo agmini, quod dextrum exercitus cornu tenebat, imperabat Ludovicus de Loigny, quocum Sfortia inter primos ordines exercitus curas partiebatur. Ultima acies ex Pontificio milite inſtructa ſiniſtram frontem occupabat, Ductore Paulo Urſino: Mediam autem ipſe Ludovicus Andegavenſis ducebat, aſſiſtentibus ſibi Braccio ceterisque omnibus Galliæ Principibus. Ladislaus, ubi hoſtem inopinato ſibi obviam procedere conſpexit, ſumma celeritate copias ſuas eodem, quo antea in itinere erant, ordine inſtruens audacius progreditur, vel ipſe prior hoſtem aggreſſurus, vel ſi præventus fuiſſet,

Sæcul. XV. A.C. 1411.

set, primos hostium impetus excepturus, quos & sustinere coactus erat, cum Loignius Bellidux edito prius pugnæ signo in eum irrueret.

§. XXXVI.

Ingens Ladislai clades.

Monach. S. Dionys. hist. Car. VI.

Cæpit hinc inde prælium, ac veluti victoriæ spes & augurium tam insolens utrinque auditur conclamatio, ut aer tot diversissimis vocibus quaquaversum roboaret, dissonumque, ac confusione multiplicatum murmur replicaret: exardent eo acrius certaminum studia, & densa telorum nubes, armorumque fulgura & fulmina ex pugnantium oculis cœlum rapiunt, atque obscurant. Nihilo segnius ambo exercitus grandinantem missilium procellam perfringentes cominus dimicant, ac periculorum mortisque contemptu longius abrepti tam insano furore congrediuntur, ut ferociſſimi potius leones adversus efferas tygres, quam homines pugnare crederentur, ipsa animorum aversione parem utrinque cædentium ferociam acuente. Ludovici milites in virili certandi pertinacia atque immota animi virtute totam prælii fortunam stare satis persuasi, non jam in stratagemate consilium quærunt, sed

Pogg. hist. Flor. p. 192. Anton. tit. 22. fol. 156.

sed concepta roboris sui fiducia in hostem recta & oblique irruunt, tantoque ardore Siculos in fugam protrudunt, ut eorum tergis furentem undique telorum & flammæ tempestatem tamdiu instare dixisses, donec animis concidérent, omnemque victoriæ spem abjicerent. Ladislaus, qui fortunæ, rerumque suarum summam in prospero hujus pugnæ exitu repositam esse noverat, extremæ jacturæ periculo stimulatus vires animosque resumit; nec tamen ultra impedire valuit, quin sui sæpe pedem referrent, sæpe ad pugnam redirent, tandem post prælium in seram noctem pertinacius protractum undique fusi fugatique terga darent, solo tenebrarum beneficio mortem eludentes; ipse quoque Ladislaus noctis præsidio munitus, cum inter ultimos e loco conflictus fugisset, cum paucis suorum non sine gravi discrimine in castrum, quod Roccasicca dicitur, pervenit. Sæcul. XV. A. C. 1411.

Hæc victoria vix parem ac æque insignem unquam habuit; Pauciſſimi ex toto Ladislai exercitu Victorum manus effugerant, plurimæ enim ejus copiæ immani clade consumptæ fuerunt, captique decem Comites, pluresque alii nobilitate generis longe præstantissimi. Prælii locus, vexilla, & Principum, Regni Procerum, omniumque exercitus Ducum *Monach. Sandyon. hist. Carol. VI.*

Sæcul. XV. A.C. 1411.

Ducum impedimenta victoribus cesserunt. Milites, Ducesque spolia inter se dividentes, in Ladislai aureum atque argenteum vasarium, quod in mensa ad cænæ usum collocatum erat, involant, & Regis atque Legati a Gregorio ad agmen missi vexilla abripiunt, quæ Joannes XXIII inverso situ in fronte Basilicæ S. Petri exponi, dein in publica supplicatione, cui ipsus interfuit, per lutum ac platearum sordes raptari jussit, quæ tamen res sanioris judicii Viris non parum displicuit, per hoc enim despectu nimium injurioso devictorum calamitati insultabatur.

§. XXXVII.

Ludovicus hac victoria uti nescius.

Ludovicus Andegavensis certe plenam laurorum ex hac victoria sibi accrescentium messuisset segetem, si ejus copiæ tanta virtute Ladislaum, quanta aviditate prædam insecutæ fuissent: quin etiam nullo negotio bello finem imposuisset Ludovicus, dummodo Regem in arce Roccasicca, unde fuga elabi non potuisset, mox obsidione cinxisset. Hinc Ladislaus Victorum errorem in rem suam vertere festinus, animum resumit, atque ad oppidum S. Germani, quod fortissimum

mum est regni castellum haud procul a Roccasica dissitum, confugit; ibique, dum victores castris diripiendis, ac spoliis inter se dividendis distraherentur, ipse opportune exercitus sui reliquias colligit, illos etiam aditus occupat, munitque, per quos Ludovico hosti suo in interiora regni irruenti transeundum esset. Præterea nutantem Ladislai fortunam non parum erexit vana Ludovici ostentatio, seu potius sordida suorum avaritia, qua captivis liberam ad oppidum sancti Germani redeundi copiam dabat, ea tamen lege, ut numerato pretio arma sua, & equos redimerent, quod isti, Ladislao pecunias suppeditante, perlubenter exsolverunt. Sæcul. XV. A. C. 1411.

§. XXXVIII.

Inglorius Ludovici in Gallias reditus.

Ipse Ladislaus fassus est, "si hostes prima die insecuti fuissent victoriam, tam se, quam regnum in eorum potestate futurum: si postera die, non se, sed regnum: tertia nec se nec regnum; quoniam jam adversus vim illorum remedia adhibuisset." Ludovicus vero Andegavensis expugnationem locorum, quæ validis præsidiis munita noverat, rem longioris moræ existimans, atque pecuniarum & annonæ penuria laSummont. l. 4. c. 2. Monach. Sandyon. l. 31. c. 22.

Sæcul. XV. A. C. 1411.

borans, post belli auspicia adeo prospera cum dedecore discedere, ac in Gallias redire compulsus est; præsertim cum sperare non posset, se subsidia ad prosequendam in regno Neapolis expeditionem necessaria obtenturum in Gallia, quam tumultus atque intestina dissidia inter Aurelianensis & Burgundi factiones misere dilacerabant. Quapropter satius fore duxit a cæpto opere desistere, quam patriæ suæ deesse, utpote hanc ope sua magis indigam esse ratus.

§. XXXIX.

Quatuordecim Cardinales a Joanne XXIII creati.

Joannes Pontifex suas partes contra utrumque æmulum firmaturus, simulque Cardinalium, qui tempore Papatus sui decesserant, numerum expleturus, die Sabbati quatuor temporum infra octavam Pentecostes sexta Junii quatuordecim Prælatos Cardinalitia condecoravit purpura. Hi erant Franciscus Landus nobilis Venetus, primum Patriarcha Gradensis, demum Constantinopolitanus tit. S. Crucis in Jerusalem; Antonius Pancerinus forojulienſis, Patriarcha Aquilejensis, a Joanne Papa huic Sedi restitutus, qua a Gregorio ob desertam ejusdem obedientiam dejectus fuerat; Alamanus Adi-

Adimarius Florentiæ Episcopus, postea Archiepiscopus Tarentinus, ac denique Pisanus tit. S. Eusebii; Joannes Lusitanus, Conimbricensis Episcopus, postea Archiepiscopus Ulyssiponensis tit. S. Petri ad vincula; Petrus de Alliaco, Parisiensis Universitatis Doctor, Episcopus Cameracensis, qui absens fuerat, & a Papa vocatus ad titulum sancti Chrysogoni; Gregorius de Liechtenstein Episcopus Tridentinus, cui, quia nunquam Romam venerat, & brevi post obierat, nullus designatus est titulus; Branda de Castellione Nobilis Mediolanensis, Episcopus Placentinus & celebris Jurisconsultus, tit. S. Clementis; Thomas Langlei natione Anglus, Episcopus Dunelmensis, qui caruit titulo; Thomas Brancatius patria Neapolitanus, Nepos Pontificis, & Episcopus Tricaricensis in Apulia tit. SS. Joannis & Pauli, magis vitæ licentia, quam doctrina clarus; Ægydius de Campis Rothomagi oriundus, Parisiensis Doctor, & Collegii Navarræ Rector, Episcopus Sylvanectensis, postea Constantiensis, nec iste titulum consecutus est; Lucius Conti seu de Comitibus nobilis Romanus tit. S. Mariæ in Cosmedin, qui fuit creatus Legatus & Bononiæ Præfectus; Franciscus Zabarella Florentinus, patriæ suæ Episcopus tit. SS. Cosmæ & Damiani; Guilielmus Philasterius

Sæcul. XV. A.C. 1411.

Ciacon. tom. 2. p. 800.

Sæcul. XV. A.C. 1411.

sterius Cenomanensis, Remensis Decanus, postea Aquis sextiis in Provincia Archiepiscopus, Cardinalis Presbyter tit. S. Marci; tandem Robertus Halam seu de Luna Anglus, Archidiaconus Cantuariensis, Universitatis Oxonienſis Cancellarius, & Episcopus Sarisberiensis, qui nullum optabat titulum. Hisce nonnulli adhuc decimum quintum adjiciunt, nempe Guilielmum Carbonem nobilem Neapolitanum, Archidiaconum Aquilejensem, & S. Sedis Protonotarium, Episcopum Theatinum.

§. XL.

Ladislaus a Joanne XXIII. excommunicatus.

Peracta tot Cardinalium creatione Joannes XXIII immodico zelo in Ladislaum exardescens, ei Mensem Decembrem dicit, quo Romæ ad judicium veniret: Cum autem non compareret, ipsum anathemate percellit, rebellem, Ecclesiæ persecutorem, & schismatis fautorem declarat, simulque subditis Sacramenti eidem præstiti religione solutis, regnorum Hierosolymitani, & Neapolitani jure spoliat. Hujus sententiæ executorem nominabat Paulum Ursinum Nolanum Comitem, eique sub pœna excommunicationis præcipiebat, ut omni modo

modo perſequeretur Ladislaum. Poſtea Pontifex ſacram militiam adverſus hunc Regem decernit, hancque in rem exſtant duæ Bullæ, quarum prima ad universos Chriſtianos die nona Septembris currentis anni data, altera ad Diœceſes Paſſavienſem, Salisburgenſem, Pragenſem, & Magdeburgenſem die nona Decembris directa eſt. In prima ex conſenſu ſuorum Cardinalium edita ſub pœna excommunicationis *ipſo facto* incurrendæ omnes & ſinguli Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi & Prælati jubentur, ut ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis, dato campanarum ſigno, & cereis accenſis, poſtmodum vero extinctis, atque in terram abjectis, Ladislaum excommunicatum, perjurum, ſchiſmaticum, Blaſphemum, hæreticum, relapſum, Hæreticorum fautorem, criminis læſæ Majeſtatis reum, Pontificis & Eccleſiæ hoſtem denuntiarent; eadem quoque Bulla omnibus ſacræ militiæ adſcriptis, ſi antequam voto ſuo ſatisfacere poſſent, fatis decederent, easdem ſpondet indulgentias, ac illis, qui illo jam adimpleto morerentur. Poſterior Bulla vix non eadem continet. Verum neutra ſollicitum reddidit Ladislaum.

Sæcul. XV. A.C. 1411.

Bzov. ad ann. 1411.

Sæcul. XV. A.C. 1411.

§. XLI.

Huſſus a Joanne XXIII. excommunicatus.

Huſſitæ ex his ipſis Bullis in Bohemiam delatis, Papam Joannem carpendi, eumque velut Anti-Chriſtum traducendi occaſionem captant. Jam enim anno præcedenti Huſſus a ſententia Sbinconis, qui Wiclefi libros ad ſe deferri, illosque comburi juſſit, ad Joannem XXIII appellabat. Hoc autem anno ineunte Papa in Joannem Huſſum excommunicationis fulmina vibrat, & ſingulis Pragenſibus Sacerdotibus divina Myſteria celebrare, vel aliud Religionis exercitium Pragæ (excepta ſola Viſſegradenſi Eccleſia) peragere prohibet, donec hæreticus iſte urbe excederet. Vix promulgatum erat interdictum, & Ecce! jam tota urbs ſeditionibus & cædibus Catholicos inter & Huſſitas perpetratis fæde contaminatur.

§. XLII.

Huſſus Praga diſcedit.

Cochlæus hiſt. Huſſit. l. 2.

Joannes Huſſus has turbas ſua abſentia ſedari poſſe ratus, Huſſinetium, ad natale ſuum ſolum, ſe recipit, ad Nicolaum Huſſinetz amicum & Patronum ſuum

suum, illiusque loci Dynastam divertens. Exinde suam provocationem a Pontificis sententia ad ipsam sanctissimam Trinitatem interponit; in qua appellationis formula ad Cardinales sermonem dirigens, eorum præsidium exorat, atque ad fidei suæ rationem, etiam ipsius ignis experimento, coram Universitate, cunctisque Prælatis reddendam sese offert. Sæcul. XV. A.C. 1411.

Interea Hussus Praga absens in urbibus & pagis errores suos prædicare non destitit, innumerabili populorum turma eum sequente, erectisque auribus illius verba excipiente. Conjectura est, eum tunc suum quoque tractatum de legendis hæreticorum libris, ac minime comburendis elucubrasse, atque in quemdam Doctorem Anglum, nomine Joannem Stockes, qui apologiam Wiclefi, suorumque librorum ab Husso anno præcedenti consarcinatam refutabat, calamum acuisse.

§. XLIII.

Sbinco ad implorandum Sigismundi auxilium in Hungariam profectus, Posonii mortuus.

Nullatenus autem Hussi absentia Pragensibus tranquillitatem restituit, quibusdam ejus reditum ardentissimo voto præstolantibus, aliis ex adverso, ne

Sæcul. XV. A.C. 1411.

rediret, nihil non agentibus. Sbinco Archiepiscopus hac animorum dissensione comperta, cum a Wenceslao nullam opis ferendæ spem sibi promittere posset, ad Sigismundum in Hungariam iter ingreditur, illius auxilium imploraturus. Verum Præsul iste Bosonii in superiori Hungaria obiit, veneno, ut Auctorum nonnulli tradunt, ab Hussitis propinato necatus: plures tamen Scriptores testantur, eum morte naturali decessisse, quamvis non desint alii, qui Archiepiscopum quidem veneno, sed tamen a domesticorum suorum quopiam sibi parato e medio sublatum, & sacrilegum homicidam in criminis sui pænam Brodæ, quodam Bohemiæ oppido, vivum combustum fuisse referunt.

§. XLIV.

Albicus in Archiepiscopum Pragensem electus.

Balb. epit. Bohem. l. 4. c. 6. p. 420.

Wenceslaus Archiepiscopo fatis functo successorem dedit Albicum de Moravia Medicum suum, qui hanc Sedem a Rege auro coemere non dubitavit. Vir erat, si qua fides Historicis, crassa admodum ignorantia laborans, de salute Ecclesiæ suæ minime sollicitus, ac vilissimum sordidissimæ avaritiæ mancipium; Ipsius domus Cauponæ & foro haud absimilis

similis erat, in hac enim vinum, pisces, carnes, & quicquid delicatior appeteret palatus, venum exponebatur, cum tamen sua suorumque domesticorum mensa admodum parca atque jejuna esset; exiguum quoque famulorum numerum alebat, cunctis sua eidem servitia deferre abhorrentibus. Sordida hac vivendi ratione ab omnibus contemptui habebatur; nulla erat ejus auctoritas tam in Ecclesiasticis, quam in publicis regni negotiis, nec amicos sibi obsequiis conciliare: nec inimicos suos imperio reprimere potens; minus vero idoneus ad Pragensem Archiepiscopatum cum decore gerendum, vi cujus tamen Primas Regni, S. R. I. Princeps & S. Sedis Apostolicæ Legatus natus colebatur. Quapropter cum Ecclesiæ Pragensis administratio omnino conferenda esset cuidam Viro, qui tanto oneri atque honori par esset, præfecit ei summus Pontifex Conradum Vissegradensis Ecclesiæ Decanum & Olomuci in Moravia Episcopum, qui paulo post ad ipsum Pragensem Archiepiscopatum evectus fuit. Sæcul. XV. A.C. 1411.

§. XLV.

Bullæ contra Ladislaum in Bohemia promulgatæ.

Wenceslaus, utpote Ludovico Andegaven- *Raynald. ad an. 1411. n. 2.*

Sæcul. XV. A.C.1411.

gavenſi, proin etiam Pontifici admodum propenſus, Bullas Joannis XXIII adverſus Ladislaum datas, mox ut advenerant, lætus acceptavit, ac per totum Bohemiæ regnum publicari juſſit, adjecta in eos pœna, qui ſeſe illis opponere præſumerent. Nihilominus Huſſitæ a Joanne Huſſo Pragam reverſo ſtimulati, eas acriter impugnabant, dicentes: Vicario Chriſti indignum eſſe facinus, quod Chriſtianos ad fidelium cædes excitaret. Joannes Huſſus exinde opportunam ſpurium ſuum zelum exerendi occaſionem nactus, mordaci lingua adverſus Indulgentias, & ſacras militias invehi cæpit, proterve Legatis Papæ reſpondens: ſe etiamſi affaretur vivus, nunquam tamen ſummi Pontificis Conſtitutionibus obtemperaturum, ac protinus reſponſi ſui temeritatem purgaturus, libellum affigi juſſit, quo omnes Doctores, Religioſos, aliosque provocavit, ut contra Theſes, quas de Pontificia bellum ſacrum indicendi poteſtate expoſiturus eſſet, ſecum decertaturi convenirent. Igitur præſtituta die ad certamen deſcendunt, ſed nonniſi clamoribus dimicatum, ipſo etiam Hieronymo Pragenſi ibidem verboſum valde ſermonem perorante: Academiæ Rector hancce Joannis Huſſi impudentiam ſtomachatus omnes diſcedere præcipit, quo facto Scholares Hieronymum de Praga, populus

populus vero Joannem Huſſum comitantur usque ad Eccleſiam Bethleem, quam prædives quidam Nobilis, Joannes de Mulheim erexit, dotavitque, illiusque curam ſibi concreditam Huſſus habebat. Sæcul. XV. A.C.1411.

§. XLVI.

Seditio Huſſitarum contra Indulgentiarum Prædicatores Pragæ orta.

Altera poſt diſputationem die redeunt ad clamores, & Huſſitarum non pauci communibus votis decernunt, ſe nullatenus indulgentias prædicari permiſſuros. Moxque in Verbi divini Præcones violentas manus injiciunt, inhumanis verberibus ac verbis eos dure excipiunt, adeo, ut Univerſitatis Rector Joannem Huſſum, & Hieronymum de Praga, qui gratia apud populum valebant, adire atque rogare compulſus eſſet, ut ſua auctoritate ſeditioſorum tumultus compeſcerent, ac certiora mutuæ cædis pericula averterent. Annuit uterque, dum vero proxima die Dominica quidam Sacerdos de bello ſacro verba faceret, & paulo durius contra Joannem Huſſum declamaret, quidam Sutor gente Polonus Prædicatori in pleno conſeſſu mendacii calumniam impingere auſus eſt. In alia quoque Eccleſia Huſſita quidam aperta

Sæcul. XV. A.C. 1411.

perta voce effutire non dubitavit, Papam esse Antichristum. Alius natione Bohemus Religiosum quemdam in suo monasterio, cum ad populum e suggestu diceret, gravissimis insectatus est conviciis. Hi tres seditiosi Homines jussu Magistratus in carceres conjecti sunt. Verum Scholares, agmen ducente Joanne Husso, confestim ad arma convolant, horum libertatem insolentius postulantes; quorum tamen furor brevi deferbuit, facta eis spe, quod nulla mortis pœna hi captivi plectendi forent; interea vero intempesta nocte ipsis in carceribus amputata fuere capita. Populus ubi horum sanguinem per portæ rimas decurrentem conspexerat, velut agmine facto concursitat, eisque honores S. Martyribus debitos defert, ac decollatorum corpora veluti totidem sacras Reliquias ad Sanctuarium Ecclesiæ, Bethleem dictæ reponit, ipso Joanne Husso de illis tanquam Sanctis orationes declamante.

§. XLVII.

Dissidia in Galliis Burgundum inter & Aurelianensem.

Juven. Urs. in. Hist. Carol. VI.

Dissensionum in Galliis necdum finis erat; Dux Aurelianensis necem Patris sui vindicandi obtentu omnia cædibus, horrendisque latrociniis miscebat. S. Clo-

S. Clodoaldi & S. Dionysii oppida vi occupat, atque in ipsam urbem Parisiensem se penetraturum, Regemque solio depulsurum comminatur, suæ factionis socii, se hanc Metropolim tam certo unicoque hiatu devoraturos jactitabant, ut nimium præfestini jamjam inter se urbis spolia dividere fuerint auditi. Nil enim ardentius quærebant, quam totalem illius direptionem. Verum Parisienses Burgundi Ducis partibus addicti, exploratis Aurelianensium consiliis postulant, ut Comes sancti Pauli, Gubernator urbis constitueretur, quod & ipsis datum fuerat. Insolita tamen omnes admiratio suspensos tenuit, quod tantæ Nobilitatis Vir, nec illustriorum familiarum gratiam fovere, nec honoratiorum civium amicitiam sibi conciliare intentus, non nisi ex infimæ plebis homuncionibus sibi amicos creare studuisset, atque officii sui onera cum tribus filiis cujusdam regii Lanionis, cognomento *le Goix* partiri minime erubuisset. Sæcul. XV. A. C. 1411.

§. XLVIII.

Lanionum Parisiensium temeritas.

Igitur hi tres Lanionis Filii, conscripto quingentorum ejusdem fæcis juvenum agmine, innumera mala atque tumultus excitant, non paucos Viros Nobiles, plurimos *Monach. S. Dionys. l. 31. c. 7. p. 763.*

Sæcul. XV. A.C. 1411.

rimos, eosque spectatissimos Cives Urbe excedere compellunt, præcipue vero illos, qui Ducis Aurelianensis partibus adhærebant, adversus quos summam fovebant invidiam.

§. XLIX.

Aurelianensis Factio a Burgundo dispersa.

Interea vero Aurelianenses copiæ Picardiam deprædantur, atque ipse Dux Montem Ericum suæ subjicit potestati. Quapropter Burgundus, hortatu Aquitanniæ Ducis, a Rege revocatus cum sexaginta armatorum millibus in Picardiam movet, & Hamonam Urbem cingit, vique expugnat: Verum Picardos inter & Flandros dissensione circa hujus urbis deprædationem oborta, *ulterius* haud progredi valens, pedem referre coactus est. Laniones tamen Castello Bicestrienſi, quod Bituricum Duci parebat, ignem subjiciunt. Ex adverso Aurelianensis suum furorem in Parisiensem civitatem effundere parans, turrim S. Clodaldi per summam perfidiam illius, qui eam defenderat, occupat. Jamque proximius urbi imminet, cum subito Burgundiæ Dux Anglorum subsidio munitus, accurrit, per medios hostium phalanges penetrat, urbemque die trigesima Octobris

bris glorioſus ingreditur, velut Gallicæ libertatis vindex ubique proclamatus. Ex illo temporis articulo Aurelianenſis factio numero & potentia decreſcebat, caſtrumque S. Clodoaldi, deſideratis plusquam nongentis Nobilibus Aurelianenſi Duci adhærentibus, recuperatum, atque ipſe Dux Urbis Pariſienſis obſidionem ſolvere coactus eſt, demum apud caſtrum S. Dionyſii collectis exercitus ſui reliquiis turmatim omnes beneficio pontium, quibus ſequanam jungebant, ſeſe præcipiti fuga proripuerunt. Sæcul. XV. A.C. 1411.

§. L.

Pax Polonos inter & Teutonicos reſtituta.

Hoc anno Poloni cum Equitibus Teutonicis, conciliatore Alexandro Vitoldo magno Lithuaniæ Duce, Torunii pacem inibant, cujus articuli ſequentes erant: Poloniæ Rex, quicquid in Pruſſia conquiſivit, Equitibus reſtituat; omnes Commendatores, & Equites captos in libertatem aſſerat; Ordo Teutonicus certam pecuniæ ſummam pro lytro Ladislao Jagelloni Poloniæ Regi pendat; Equites Samogitiam Duci Lithuano, quamdiu in humanis aget, cedant, ea tamen lege, ut eo fatis functo ad Equites redeat. His Scriptorum nonnulli duas ſubjun- *Dlugoſſ. de reb. Pol. l. 17. p. 278.*

Sæcul. XV. A.C. 1411.

subjungunt pacis conditiones, quarum prima erat, quod articuli controversi sententiæ Pontificis tanquam Arbitratoris subjiciantur; Altera vero, quod Stolpiæ & Massoviæ Duces necnon Sigismundus Hungariæ Rex, si ipsis huic paci accedere placuerit, sub eadem comprehensi censeantur. Pace ita concluſa Poloniæ Rex Legatos suos ad Joannem XXIII decernit, quos quidem summus Pontifex perbenigne excepit, nunquam tamen adduci potuit, ut sacræ contra Tartaros expeditioni, quam legati nomine Regis petebant, consentiret, quoniam adversus Ladislaum Neapolis Regem jamjam sacram ejusmodi militiam indixerat, seu verius, quia Sigismundus & Equites Polonorum desiderio obluctati fuerant, veriti, ne Rex Poloniæ hujus belli obtentu arma contra ipsosmet converteret.

§. LI.

Bellum sacrum a Joanne XXIII. in Mauros decretum.

Eodem anno Joannes XXIII aliam sacram expeditionem decrevit, quæ honorificum magis præseferebat titulum, ac illa contra Ladislaum indicta; hac enim conatus erat Maurorum Granatensium insultus frangere, qui in Castellæ regnum irrumpentes, Christianos immani cæde afficie-

afficiebant. Igitur Cardinalis Jordanus ab Urſinis obtenta ſacram hanc militiam promulgandi facultate tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatus in Hiſpanias venit, minus proſpero tamen Legationis ſuæ ſucceſſu; Benedictus enim Papa in hoc regno ſuum adhuc imperium exercens, Joannis XXIII. Bullas ſlocci pendebat, aliunde etiam Ferdinandus Arragoniæ Rex cum Mauris inducias pactus erat, arma ſua in Orgelitanum Comitem converſurus. Hic autem bellum adverſus Mauros cœptum tandem ſuæ cervici impendere ſentiens, Ferdinando fidem ſuam jurejurando obſtrinxit. Cum vero hæc ſubjectio non niſi ad fallendum inſtructa eſſet, paulopoſt ad arma Comes rediit, ad tantas tamen brevi tempore redactus anguſtias, ut Ferdinandi clementiam ſupplex implorare coactus fuerit, qui eidem vitæ quidem gratiam fecit, ad perpetuos tamen condemnavit carceres, in quibus etiam contabuit. Sæcul. XV. A.C. 1411.

§. LII.

Concilium a Papa Romæ indictum.

Anno necdum exeunte Papa ad Menſem Aprilem anni ſequentis Concilium indixit Generale Romæ celebrandum, morem geſturus Synodi Piſanæ decreto, quod intra trium menſium ſpatium *Labb. Conc. tom. XI. p. 2323. Monach. S. Dionyſ. l. 32. & 33. p. 843.*

Sæcul. XV. A.C. 1412

tium œcumenicam Synodum convocandam esse præcepit. Bulla hanc in rem data legitur Mense Majo Anno Domini millesimo quadringentesimo undecimo. In ea Pontifex ineluctabilem exponit sese tuendi necessitatem adversus Ladislaum, & Gregorium, quos vivis admodum depingit coloribus. Memorat hanc Synodum de Cardinalium suorum consilio hunc in finem esse decretam, ut de reformatione Ecclesiæ ageretur. Omnes Reges, Principes, Magnates, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Prælatos, Capitula, Monasteria, ut vel per se vel per Procuratores interveniret, sollicitat, promisso omnibus & singulis nemine excepto, salvo liberoque commeatu. Tandem Principibus atque Episcopis præcipit, ut cunctos ad hoc Concilium venturos protegere vellent, præcipue vero illos, qui propter inimicitias aut forenses lites sibi periculum ex itinere timere possent.

§. LIII.

Tractatus pacis inter Joannem XXIII. & Ladislaum.

An. 1412. *Niem in vita Joan. c. 21.*

Ladislaus anno superiori a Pontificis & Ludovici Andegavensis exercitu funestam passus cladem in extremo cuncta perdendi discrimine positus erat, nunc vero

vero Ludovicum in Gallias rediisse vix comperiens, lapsas res suas feliciter reparabat, præcipuos Pontificii agminis Duces ad suas trahendo partes; quinimo tempore messis cum copiis suis usque ad Romanæ Urbis portas penetrabat. Equidem primo hostium impulsu Ladislai exercitus fuerat propulsatus, ast restaurato prælio Rex palmam urbisque imperium prope in manibus tenebat. Quare Joannes XXIII, cum potissimum rebus suis pessime consultum iri prospiceret, ac merito suorum belli Præfectorum fidem sibi suspectam haberet, his mutua inter se dissidia foventibus, ex quibus præcipui erant Paulus ab Ursinis, Sfortia, & Braccio Perusinus, aliis, eisque plurimis aliunde perfidia notatis, Ladislaum, quem ferro vincere desperabat, auro delinire tentat. Ergo decima quinta Junii Anno Incarnationis millesimo quadringentesimo duodecimo Papam inter & Ladislaum fœdus pacis initur, datis a Pontifice centum aureorum millibus per quemdam Florentinum ad Regem delatis; sancitis præterea aliis concordiæ legibus, tam parum Pontifici, quam Ladislao honorificis.

Sæcul. XV. A. C. 1412.

Sæcul. XV. A.C. 1412.

§. LIV.

Hujus Pacis Articuli.

Raynald. ad an. 1412. n. 3.

Joannes enim Papa Ladislaum tanquam Neapolis Regem venerabatur, quamvis eundem honorem jam antea Ludovico Andegavenſi detuliſſet. Promiſit etiam ſe jus in Siciliæ regnum Ladislao aſſerturum, eique ad propulſandum Alphonſum, qui Benedictum XIII tuebatur, copias ſubminiſtraturum; nec minus creaturum ſe Ladislaum Romanæ Eccleſiæ vexiliferum, aſſignatis pro penſione ducentis aureorum millibus, atque in fidem promiſſi oppignoratis, Aſculo, Viterbio, Peruſio & Benevento Urbibus. Præterea ſe remiſſurum vectigal ſolido decennio non perſolutum, quod in ſingulos annos ad quadraginta aureorum millia aſcenderat. Spopondit vero Ladislaus, ſe Joanni XXIII obedientiam delaturum, atque a Gregorio defecturum, ea tamen lege, ut Joannes huic Pontifici quotannis quinquaginta aureorum millia numeraret, eidemque collata Marchiæ Anconitanæ Præfectura, tres ex Gregorii affinibus Cardinalium numero adſcriberet. Denique pollicitus eſt Ladislaus, ſe Gregorium Pontificem, ſi hiſce concordiæ pactis adverſaretur, vel in Provinciam vel in Dalmatiam relegaturum.

§. LV.

Sæcul. XV.
A.C.1412.

§. LV.

Ladislaus palam Joannis XXIII. obedientiam profeſſus.

Attenta hac pace Ladislaus datis ad Joannem Papam literis declarat, ſe quidem de ejus electione, an canonica foret, olim dubitaſſe, re autem in Generali Prælatorum atque Doctorum conventu maturius penſata hanc legitimam comperiſſe: quapropter ſe aliorum quoque Regum, Principum atque orthodoxarum Rerumpublicarum, quæ in ejus obedientia militarent, veſtigia premere, firmiter ſtatuiſſe. Itaque Beatitudini veſtræ, inquit, *tenore præſentium nuntiamus, quod nunc firme credimus & indubitanter profitemur, præfatam aſſumptionem veſtram ad regimen Romanæ & univerſalis Eccleſiæ inſpiratione divina fuiſſe canonice celebratam, & ut hæc & alia in cunctorum notitiam deducantur, pro perſona noſtra, & pro omnibus aliis noſtris ſubditis reverendiſſimo Domino Raynaldo S. Viti Diacono Cardinali* (hic erat Cardinalis Brancatius tunc Joannis XXIII. Legatus) *commiſſario Sanctitatis veſtræ reverentiam & obedientiam dedimus, vosque Joannem XXIII. in verum & unicum Romanum Pontificem cognovimus, & cognoſcimus.* *Raynald. ibid. n. 2.*

Sæcul. XV. A C. 1412.

scimus. Datum Neapolis anno MCCCCXII. die XVI. Octobris.

§. LVI.

Gregorius Papa Ariminum profugus.

Ignorabat ab initio Gregorius pactas concordiæ leges, imo Ladislaus, cum hæc consilia animo agitaret, ad artes suas tutius occultandas Pontificem iisdem omnino, ut antea, honoribus excipit, quin etiam, cum Gregorius tractu temporis totam negotii summam edoctus, Regem fractæ fidei arguisset, ipse pacem cum ejus æmulo a se initam constanter inficiatur. Nihilominus postridie ejus diei per nuntium Gregorio præcipit, cum suis se reciperet, atque a Regno Siciliæ discederet, præfinito hunc in finem termino nimium arcto. Gregorius tunc primum discrimen sibi proxime imminens animadvertit, proin perspecta Ladislai perfidia duas naves Venetas conducit, quas Cives Cajetani coemptis protinus earum mercibus exonerabant, ut Papa tribus duntaxat Cardinalibus suisque domesticis stipatus illas conscendere, & in altum mare provehi posset, qui & post aliquot dierum decursum secundo vento ad Marchiam Anconitanam appulsus est, ubi sub clientela Caroli de Malatestis, qui Gregorium nec in adversis unquam dere-

dereliquerat, ſecurus e navi ſua deſcendit. Itaque Arimini, quæ civitas Carolo parebat, ſedem ſuam fixit, & ſuperatis haud vulgaribus periculis unacum tribus ſuis Cardinalibus in vigilia Nativitatis Dominicæ hanc urbem ingreſſus eſt. Sæcul. XV. A. C. 1412.

§. LVII.

Concilium Romæ celebratum.

Interea temporis Joannes XXXIII. Synodum a ſe ad Menſem Aprilem hujus Anni indictam, præſtituto tempore Romæ celebrat. Accurrunt ex Italia, Bohemia, Hungaria, Anglia, Scotia, Germania, aliisque hujus Pontificis obſequio addictis regionibus plurimi Archiepiſcopi, Epiſcopi, Primates, aliique Viri Eccleſiaſtici huic Concilio interfuturi. Rex Franciæ ſuos quoque Legatos illuc decernit, reformationem Eccleſiæ in capite & membris ſollicitaturos. Hi erant Bernardus de Chevenon Ambianenſis Epiſcopus, Simon Cramaudus, Patriarcha Alexandrinus, & Petrus de Alliaco Cameracenſis Epiſcopus, ambo a Pontifice ad Cardinalitiam dignitatem evecti. Quibus adjuncti erant Pariſienſis Academiæ Deputati. Verum hæc legatio præcipuo ſuo fruſtrata eſt fine, nimirum Eccleſiæ Gallicanæ exemptione a decimis, præſtandis ſervitiis, ceteris-

Conc. Gen. tom. XI.

Monach. S. Dionyſ. l. 32. & 33.

Sæcul. XV. A.C. 1412.

risque intolerandis oneribus, quibus ea a Joannis XXIII. Prædeceſſoribus jam ab aliquo tempore opprimebatur. Quippe Bernardus de Chevenon Ambianenſis Epiſcopus, hujus Legationis caput, hunc articulum ſicco pede præteriens, in id potiſſimum incubuit, ut ipſe ad Bellovacenſem Epiſcopatum transferretur, Regi vero & Proceribus Franciæ ad plura & pinquiora Eccleſiæ Gallicanæ beneficia nominandi prærogativa concederetur. Hinc factum, ut hujus Eccleſiæ, quæ ſub exactionibus Curiæ Romanæ a Joanne XXIII. innovatis gemebat, commoda omnino negligerentur, inſuperhabitis Academiæ Deputatorum monitis atque precibus.

§. LVIII.

Concilium a Papa diſſolutum, atque in aliud tempus remiſſum.

Raynald. ad ann. 1412. n. I.

Pauciſſimi ex omnibus Prælatis, qui Romam iter aggreſſi fuerant, eo pertigere, libero aditu intercluſi a Ladislai copiis, vias huic urbi proximas obſidentibus. Plurimum nempe Regis intererat, hujus Concilii ſucceſſum evertere, eoquod Pontifex illud Piſanæ Synodi, a qua Princeps ille regia dignitate exuebatur, ſupplementum eſſe declaraſſet. Unde omne tempus absque fructu terebatur, nihil-

nihilque in bonum Ecclesiæ actum est, i- Sæcul. XV.
mo Pontifex Concilium dissolvere, atque A. C. 1412.
in aliud tempus remittere compellebatur.
Clemangius casum plane singularem in *Spond. ann.*
hoc Concilio occurrentem narrat, a Theo- 1412.
dorico Niemo confirmatum, quem ipse-
met quoque Spondanus Baronii Anna-
lium Continuator recenset. Verum, cum
Clemangius Joanni XIII. parum affectus, *Clemang.*
in Benedictum XXIII. autem nimium *tract. de*
quantum propensus esset, vix non de *Conc. Gen.*
ejus fide dubitare fas est. Eventus ta-
lis esse dicitur. Dum prima die, Missa
de more celebrata, totum Concilium con-
sediisset, derepente teter ac feralis bubo
e quodam Ecclesiæ, in qua Synodus ce-
lebrabatur, angulo erupit, atque horrifi-
cam vocem edens, oculos in Joannem
defixit, ex cujus aspectu Pontifex con-
territus, nec lingua nec mente constitit,
tandemque primus ipse, demum reliqui
omnes terrore pleni præcipiti fuga dila-
psi sunt. Rediit Sessione proxima idem
bubo semper irretorta acie in Joannem
XXIII oculos intendens; cum vero Præ-
lati bubonem clamoribus, aliisque me-
diis ab Ecclesia depellere nequidquam
tentassent, crebris fustium ictibus eum
interfecere. Unde ipsemet Spondanus
infert, ex ejusmodi fortuitis casibus nul-
lum rei futuræ argumentum esse peten-
dum. Ceterum Papa, cum suum Con-

Sæcul. XV. A C. 1412.

cilium prorogando, nullum tempus nec locum designasset, Sigismundus ad eum literas dedit, quibus illum hortabatur, ut de neutro decideret, donec ab eo Legatos reciperet, qui locum & Concilii tempus cum ipso communi voto definirent; cujus postulato annuit Pontifex.

§. LIX.

Bulla adversus Wiclefistas & Hussitas.

Labb. Conc. tom XI. p. 2323.

Nullum de toto hoc Concilio exstat decretum, præter Bullam hoc anno contra Wiclefistarum atque Hussitarum Bohemiam fœde vastantium errores fulminatam. Per hanc Pontifex damnat lectionem librorum Wiclefi, eosque, si qui adhuc reperiantur, publice concremari jubet, illos etiam, qui hujus Constitutionis violatores aut contemptores extiterint, tanquam hæresis fautores puniendos, comminatur. Tandem omnes, qui Joannis Wiclefi memoriam tueri attentaverint, intra terminum novem Mensium Romam in judicium vocat. Hujus Bullæ nec Joannes Hussus, nec celebriores Bohemiæ Scriptores ullam faciunt mentionem. Certum tamen est, hunc hæresiarcham eodem hoc anno vehementius in Pontificem fuisse invectum; Nam e suggestu impugnabat sacras militias,

tias, ceu anti-christianam crudelitatem; Indulgentias habebat pro impia Evangelicæ gratiæ profanatione; Pontifices, Commissarios, atque indulgentiarum quæstores tanquam Anti-Christi Discipulos convitiabatur; excommunicationis metum explodebat, ac timorem panicum criminabatur, & contra Purgatorium liberius declamabat; Verbo, ex cunctis ejus libris, quos tunc temporis edidit, tota sua rabies, & maxima sui adversus Clerum furoris vis deprehenditur. Sæcul. XV. A. C. 1412.

§. LX.

Papa ob impositas exactiones Romanis exosus.

Stabilita cum Ladislao concordia Joannes XXIII Romæ optata fruebatur tranquilitate. Cum autem per obsequiorum lenocinia Romanorum animos sibi devincere debuisset, ille ex adverso omnia sua studia eo convertere videbatur, ut illorum in se concitaret invidiam, unice in hoc ingeniosus, ut nova semper subditos suos gravioribus oneribus opprimendi adinveniret nomina; quicquid ad saturandam suam auri famem excogitaverat, id bonum & æquum esse judicabat, & tributa in vinum, & frumentum imponebat adeo immodica, ut omnia pretio admodum caro venderentur; Vina quoque *Niem. in vit. Joan. p. 369 370.*

Sæcul. XV. A.C. 1412.

quoque adventitia tam gravi onerabat vectigali, ut Oenopolæ nullum amplius Romam adveherent, sua vina cum majori lucro in patria divendentes. Ladislaus Pontifici par pari relaturus, sub severis pœnis vina Romam deferri inhibuit, jussitque pro quolibet dolio duos & amplius aureos pendi, adeo, ut tributi exactio pretium vini excederet. Ita nempe Papa & Ladislaus mutua avaritia se invicem deludebant, Romanis interea se deceptos fuisse plangentibus, qui suis calamitatibus per fœdera Pontificis cum Ladislao inita, abunde subventum iri credebant, spe freti, ex Siciliæ & Neapolis regnis quævis victualia in tanta copia Romam advehenda, ut per longam annorum seriem de nulla rerum penuria sollicitos esse oporteret, proin Joanni XXIII. omnem præcisam fore occasionem, qua urbem suam intolerabili tributorum magnitudine opprimere posset.

§. LXI.

Bullæ Pontificis ad Universitatem Parisiensem.

Hist. Univers. Paris. tom. V. p. 1412.

Francia continuis Burgundiæ & Aureliæ Ducum factionibus dilacerabatur, quibus tamen Pontifex nunquam se implicasse videtur. Unice supersunt binæ illius Constitutiones in favorem Parisien-

sis

sis Academiæ datæ. Prior ad Joannem Gersonium tum Universitatis Cancellarium scripta est, qua illi, ejusque Successoribus omnes Magistros, cunctosque Academicos a censuris Sacræ Sedi reservatis absolvendi privilegium concedit. Altera, quam ad Gerardum Parisiensem Episcopum direxerat, causas Academiæ olim ad sanctam Sedem deferri solitas in tribunali Parisiensis Episcopi dijudicandas reliquit. Sæcul. XV. A.C. 1412.

§. LXII.

Ferdinandus Rex Arragoniæ nominatus.

Hoc demum anno die vigesima quinta Julii controversa Ferdinandi successio in Arragoniæ regnum decisa fuit. Multum ad hoc conferebat Vincentius Ferrerius, qui in quadam oratione a se declamata decretoriam pronuntiabat sententiam; cumque nonnulli Comitis Orgelitani Fautores id gravius ferrent, eos Vir sanctissimus in alio sermone tam prospero successu placabat, ut Ferdinandus die tertia Septembris Regia corona redimitus esset. Accepit etiam a Benedicto XIII Siciliæ, Sardiniæ & Corsicæ Insulas, feudali lege possidendas, utpote Patrimonio Ecclesiæ obnoxias; ita tamen, ut Rex pro defensione Romanæ Eccle- *Bzov. ad an. 1410. n. 28. Marian. l. 19*

Sæcul. XV A.C.1412.

Ecclesiæ, & pro tuenda Pontificis auctoritate quotannis tres triremes, & necessarias Pontifici suppeditaret copias.

§. LXIII.

Commentarius Hieronymi a S. Fide.

Inter plurimos Judæos, quos Vincentius Ferrerius sacro fonte ablutos Christo reconciliabat, merito recensendus est celebris ille Josue Halorki, alioquin dictus Lurki, Benedicti XIII Archiater, qui in sacro Baptismatis lavacro nomen Hieronymi a sancta Fide adeptus erat. Hic cum Christiana sacra amplexatus esset, Anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo duos tractatus adversus Judæos elucubravit, alterum de mediis refutandi & convincendi Judæos; alterum de erroribus Thalmuth. Primus coram Benedicto Papa, ejus Cardinalibus, & numeroso Doctorum consessu perlectus est. In eo ostendit, quod viginti quatuor illæ conditiones, quas pro veri Messiæ adventu ipsimet Judæi necessario verificandas statuunt, jamjam secundum sacræ paginæ testimonia, & proprias Rabbinorum traditiones in Christo Domino adimpletæ fuerint. In altero errores & Thalmuthi deliria confutat, demonstratque, in eo Charitati, juri naturali, Divino

Bibl. Patr. tom. 4.

no Cultui, Legi Mosaicæ contraria, & Blasphemias contra JEsum Christum contineri. Ex hujus commentarii lectione multi Judæorum Christo nomen dederunt, quo factum, ut coram Benedicto XIII cum illis plura instituerentur colloquia; in quibus Hieronymus a S. Fide inter ceteros propugnatores unus eminebat, semperque totus disputationis cardo in principiis, quæ ex ejusdem libris deprompta fuere, vertebatur, nec sine ingenti animarum lucro, exinde enim longe plures adhuc ad Christianorum castra transibant, quo tamen Neophytus hic multos adversus se Antagonistas excitabat. Quos inter Rabbinus quidam nomine Isacc Nathan edito libello, cui titulus: *Refutatio seductoris* Hieronymo respondit. In arenam quoque descendit itidem Rabbinus Dom Vidal Filius Levi, qui dissertationi suæ titulum: Sanctus Sanctorum, præfixit. Verum horum responsa nunquam typis vulgata fuere. Insuper exstat alterius cujusdam libelli memoria adversus Hieronymum a S. fide compositi, cujus authographum scriptum asservatur Lugduni Batavorum in Bibliotheca, nomenque præsefert: *Opprobriorum liber.* Sæcul. XV. A.C. 1412.

§. LXIV.

Sæcul. XV. A.C 1412.

§. LXIV.

Fœdus Imperatorem inter & Poloniæ Regem.

Dlugoss. l. 11 pag. 121. Hoc item anno Sigismundus Imperator in Poloniam iter ingressus, cum Ladislao Jagellone Polonorum Rege fœdus inibat. Hujus concordiæ præcipuus articulus fuisse dicitur, quod ad excidium Equitum Teutonicorum vires suas jungere, & Prussiam inter se dividere vellent; Verum ipsemet Sigismundus Ladislao, quem in reditu Cassoviam usque superioris Hungariæ urbem itineris comitem habuit, auctor exstitit, ut deleto hoc articulo præter fidem sibi datam, & juramenti religionem nil amplius requireret, caussatus, ejusmodi pacti indignitatem facile effecturam, ut ab Imperio, in quo aliunde firmum satis necdum fixisset pedem, dejiceretur. Cæsar in eodem itinere equo delapsus tam gravi vulnere affectus est, ut de ejus vita actum esse crederetur, postmodum tamen recuperata sanitate iter suum prosecutus est, & Ladislao præclaris muneribus aucto coronam, quam Otho III. Imperator Boleslao primo Poloniæ Regi dederat, restituit, unacum sceptro, pomo aureo, ense, atque innumeris ferme gemmis, aliisque hujus regni insignibus, quæ Elisa-

Elisabetha Ludovici Poloniæ & Hungariæ Regis Mater in Hungariam transferebat, verita, ne Poloni Filio ipsius absente, ac interea in Hungaria commorante alium sibi Regem eligerent. Sæcul. XV. A. C. 1412.

§. LXV.

Henrici IV. Angliæ Regis obitus.

Historici ad idem tempus Henrici IV Angliæ Regis mortem revocant, quamvis Mezerayus eandem ad diem vigesimam Martii anni sequentis remittat. Ex gemino, eoque specioso prætextu adversus hunc Regem Anno salutis millesimo quadringentesimo quinto atrox conflata est seditio. Obtendebant alii infelicem Richardum, cujus supra meminimus, injuste ab Henrico Rege exauctoratum fuisse; Isti vero oppressionem Ecclesiastici Ordinis, ac populi, suasque libertates ab ipso violatas prætexebant. Verum cædes Archiepiscopi Eboracensis, qui inter conjuratorum Principes non infimus erat, haud parum seditionis motus repressit. Equidem Innocentius VII. tunc temporis Ecclesiæ gubernacula tenens necis hujus auctores anathematis pœna plectebat, hoc tamen Pontifice paulo post e vivis erepto Gregorius XII. excommunicationem sustulit.

Juv. Urs. hist. Carol. VI. p. 249.

Polyd. l. 10. in fine.

Sæcul. XV. A.C. 1412.

§. LXVI.

Lollardorum tumultus in Anglia.

Walsing. p. 574.

Conc. Gen. tom. XI. p. 2323.

Vid. supra lib CI. §. 5. & 6.

Idem Henricus IV Anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo adverſus Lollardos ſeu Wicleſiſtas valde rigoroſum promulgabat edictum. Aſt Hæretici non modo affixis ad Eccleſiarum Londinenſium valvas libellis, exercitum ex centum armatorum millibus conflatum contra omnes ſuæ ſectæ adverſantes ſibi præſto eſſe declararunt, ſed reapſe jam ineunte hoc anno milleſimo quadringenteſimo duodecimo ingentes in regno tumultus ſuſcitarunt, atque aperto Marte adverſus Clerum & Eccleſiæ dogmata inſurgere cæperunt. Quibus permotus Thomas Arundelius Cantuarienſis Archiepiſcopus ſuorum Suffraganeorum conventum cogit, & nobilem quemdam Oldcaſtellium nomine, Lollardorum Principem in judicium vocat, atque eidem, ut undecima Septembris die per ſe compareret, præcipit. Hic autem ſpreta citatione caſtrum ſuum, quod incolebat, munitionibus firmat. Nihilominus tamen comprehenſus ad turrim Londinenſem rapitur, frequentesque de eo habentur quæſtiones, cum vero proxime adverſus illum ferenda eſſet ſententia, e turri fuga ſeſe proripuit, & libertati reddi-

redditus, vindictæ cupidine exardescens apertam concitavit seditionem, quæ tamen nonnisi anno sequenti in publicas prorupit flammas. Sæcul. XV. A.C. 1412.

§. LXVII.

Aurelianensis fœdus cum Anglia.

In Francia Ducis Aurelianensis factio plurimis urbibus sese ejus imperio subtrahentibus indies decrescebat, præsertim cum & ipsa Aquitannia atque Occitania ad Regem deficerent, regimen Bituricum Ducis excutientes. Quapropter Dux ad incitas redactus, illisque Provinciis, ubi majori antea valebat auctoritate, expulsum se cernens, in armorum societatem Anglos evocat, initis tamen ejusmodi pactis, quæ vel maxime in Franciæ ruinam tendebant. Decumbebat eo tempore Rex gravi infirmitate pressus, nec de fœderis conditionibus prius quicquam cognoscebat, quam sanitati restitutus esset. Ex illo autem temporis puncto stirpem Aurelianensium, eoquod hostes essent sibi infensissimi, funditus exscindere decernit, atque ad Ecclesiam S. Dionysii se conferens flammeum Galliæ vexillum vulgo *Auriflamma* dictum ibidem recipit, quod nunquam nisi vel adversus juratos regni hostes, vel contra infideles explicari solebat.

Sæcul. XV.
A.C. 1412.

§. LXVIII.

Bituricum Urbs, ubi Dux Bituricensis erat, a Rege obsessa.

Juv. Urs. hist. Car. VI.

Itaque Rex juncto sibi Burgundiæ Duce ipsum Bituricensem in sua Bituricum Urbe oppugnare statuit, tantaque itineris contentione totam emensus est regionem, ut licet mensis Junii calores ingravescerent, atque ipsus ex impacto equi calce in crure saucius esset, nihilominus ne ullam quidem diem in stativis quieti indulgeret. Sub idem tempus ceteri quoque sui Belliduces Aurelianensium factionem in compluribus aliis locis bello premebant.

Nihilo minus Bituricensis urbis obsidio in longius tempus protrahebatur, partim ob plurimos, eosque belli peritia clarissimos Duces, qui fortitudine prorsus invicta hanc civitatem defendentes, obsidentium impetus eludebant, partim ob exortam in Regiis castris dissensionem; unde factum, ut obsidentium operæ segnius promoverentur. Ast hæc ipsa longior obsidionis mora tandem obsessos, qui frustra suppetias præstolabantur, ad extremas redegit angustias. Nec etiam benignior obsidentibus arridebat fortuna; quippe sæva lues latius serpens magnam

Regii

Regii exercitus partem adeo consumpsit, ut Rex conditionibus pacis, quas Sabaudiæ Comes Bituricensis Nepos & Burgundiæ Ducis Gener, utrique dissidentium parti proposuerat, faciliores daret aures. Accesserat quoque Anglorum metus, qui eoipso tempore, Ductore Thoma Lancastriæ Principe, in Normanniam irruperant; Igitur Rex inopino Anglorum appulsu perterritus, omni cunctatione remota, consilia pacis maturare, ac cum Principibus in gratiam redire compulsus est; quo facto Aurelianensis Dux Anglis, quos evocaverat, expeditionis impensas resarcire promisit, eisque Joannem Engolismensem Comitem fratrem suum obsidem dedit. Sicque pax Antissiodori utrinque firmata fuit. Rex autem, utpote paulo post in pristinum relapsus morbum, primo Melodunum, inde vero, postquam melius se habere cæperat, Lutetiam Parisiorum deferebatur, quam urbem ingenti pompa, cum Regina conjuge, & Delphino intravit, pacemque non sine magno totius regni jubilo publicari fecit. Sæcul. XV. A.C. 1412.

§. LXIX.

Roma a Ladislao capta.

Tunc primum Joannes XXIII. propria experientia edoctus intellexerat, La-

Sæcul. XV. A.C 1412.

dislaum initæ pacis lenocinio nihil aliud animo volutaſſe, quam ut ipſum vana fœderis ſecuritate ſopitum, rebusque ſuis minus invigilantem eo certius ex inſidiis opprimere valeret. Noverat enim perfidus Rex, Papam ab omni metu hoſtili tutum ſe credere, totumque ejus exercitum vix quatuor armatorum millia tumultuatim collecta recenſere, eumque omni ferme præſidiario milite deſtitutum, ac denique in urbe morari etiam derelictum a ſuis belli Præfectis, Paulo Urſino, & Sfortia, primo eorum ad Marchiam Anconitanam ſub regendæ hujus Provinciæ prætextu, relegato; Altero autem omnino ad Ladislai partes deficiente. Igitur Ladislaus hac temporis rerumque opportunitate utendum ratus, novâ in Papam molitus eſt. Commodus etiam advenerat nuncius, qui Ladislao referebat, Pontificem ſuis exactionibus, atque inclementiori agendi ratione plurimorum in ſe concitaſſe invidiam. Quapropter Ladislaus his omnibus in rem ſuam verſis ex Marchia Anconitana, ubi dedita opera diutius ſe hæſurum ſimulabat, cum valido exercitu per Campaniam Romanam iter ſuum inſtituit, atque occupatis nobilioribus civitatibus recta ad ipſam Metropolim contendit; cumque ſuorum quingenti murum ex illa parte, quæ Eccleſiam ſanctæ Crucis in Jeruſalem

Gobelin. in Cos. med. c. 9. S. Antonin. part. 3. tit. 22 c. 6.

lem ſpectat, intempeſtæ noctis beneficio ante octavam diem Junii diffregiſſent, atque eandem Urbis regionem nullis excubiis munitam in ſuam redegiſſent poteſtatem, ipſe nemine obſiſtente cum toto exercitu Prædatori quam Triumphatori ſimilior Romam ingreſſus eſt. Sæcul. XV. A. C. 1412.

§. LXX.

Joannes XXIII. Roma auffugiens.

Itaque capta ex inſidiis urbe, omnibus metu ac mœrore ob inopinam Ladislai invaſionem perculſis, nil reliquum erat Pontifici, quam ut ſalutem fuga quæreret, ac Roma excederet; ſatis enim perſuaſum habebat, nec in Vaticani palatio, neque in arce S. Angeli tutum ſibi fore præſidium. Quapropter ſole ad occaſum declinante equum celeriter conſcendit, ac Sutrium, oppidum octavi lapidis intervallo Roma diſcretum pervenit. Verum hanc ipſam Urbem obſidione premendam veritus, eadem adhuc nocte Viterbium diſceſſit, ubi a Gubernatore Urbis perbenigne exceptus fuit. Cum autem ibidem per paucos dies quieti indulſiſſet, ad Faliſcos, ſeu montem Faſconem venit, ibique a Ladislao accepit epiſtolam, in qua eum rogat, ut Legatorum, quos ei mittere cogitaret, adventum expectaret, cum autem ſummo *Niem in vitâ Joan. XXIII.*

Sæcul. XV. A.C.1412.

Pontifici nunciatum esset, Regem per alias literas Sutrienſibus, Viterbienſibus, & Faliſcis extrema quæque comminatum fuiſſe, niſi ſe illius ſubjicerent imperio; ideo Joannes haud conſultum ratus, ut Legationem a Ladislao oblatam præſtolaretur, Senas usque profugit; ubi tandem liberiore aura frui cæperat, ſe in hac regione ſecurius, quam alibi ſubſiſtere poſſe confiſus. Aliquamdiu ibi commoratus, inde Florentiam profectus eſt, ſed ob Civium diſſidia, aliis Pontifici, aliis Regi Neapolitano faventibus nequidem urbe exceptus, in ſuburbio, ubi ſuum Epiſcopus palatium habebat, conſidere compulſus eſt. Ex hoc ipſo domicilio Joannes XXIII ad omnes Chriſti fideles literas dedit, in quibus eos de ſuis adverſitatibus certiores reddidit, præcipue vero ad Henricum V. tunc temporis Anglis imperantem ſcripſit, quæ epiſtola data legitur Menſe Septembri Anno milleſimo quadringenteſimo decimo tertio.

§. LXXI.

Tyrannis a Ladislao Romæ exercita.

Summon. l. 4 Aretin. de reb. Ital. pag. 257.

Interea Ladislaus Romam ingreſſus horrenda crudelitatis licentia in Cives deſæviit, totamque urbem ſuorum deprædationi

dationi reliquit. Per duo milliaria & amplius ejusdem milites in tergis fugientium Papæ Miniſtrorum hærentes, quemcunque ex illis caſus & ſors in manus dederat, cædunt, capiunt vel exſpoliant. Ipſe Ladislaus ante omnia S. Joannis Lateranenſis Palatium, & biduo poſt Vaticanum occupat, illiusque Cuſtodem Cardinalem Barenſem captum abducit. Complures Prælatos omnibus ſuis bonis exutos trucidari jubet, Capellam Pontificiam diripit, ſacræ Sedis Apoſtolicæ gemmas & monilia auffert, atque innumeras reliquias aureis laminis inſertas, & gemmis pretioſis exornatas, necnon & ceterarum Urbis Eccleſiarum theſauros deprædatur. Inſuper Baſilicam S. Petri in Prætorium urbis, templa in tabernas convertit, atque ad aras equis pabulum ſubſterni præcipit; omnesque Miniſtros a Papa in Urbe conſtitutos ſuis privat officiis, & Joannis XXIII. inſignia atque vexilla ubique delet ac dejicit, ſuis econtra in turri S. Petri, Vaticano, & Eccleſia ad S. Joannem in Laterano, aliisque publicis locis præcipue in Capitolio ſubſtitutis. Poſt captum vero S. Angeli caſtellum longe adhuc majori debacchatus eſt furore, pluresque cives capitali mulctabat ſententia, ceteris mitiori crudelitatis genere ad triremes, exilia, atque equleos condemnatis.

Sæcul. XV. A.C. 1413.

Sæcul. XV. A. C. 1413.

§. LXXII.

Cardinalis de Chalanto ad Sigismundum Legatus.

S. Antonin. part. 3. tit. 22.

Joannes XXIII. usque ad Novembris auſpicia Florentiæ moratus, ex hac urbe ad Sigismundum tum in Longobardia reſidentem ſcripſit, & negotio per epiſtolas prævie propoſito ad eundem Cardinalem de Chalanto Legatum miſit, opem adverſus Ladislai violentias imploraturum. Haud ſegnius Cæſar Pontificem pari honore veneratus, legationem ad eum decrevit, quo factum eſt, ut intermedio hoc tempore frequens de loco, tempore, & Concilii celebrandi modo haberetur conſultatio; omnes enim ejusmodi Synodum velut unicum tantorum in Eccleſia malorum reputabant fore remedium.

§. LXXIII.

Papa Bononiam profugus.

Niem. loc. cit. p. 382. 383.

Quoniam vero Papa Florentiæ tutum haud ultra ſe credebat, Florentini quippe non modice ſibi de Ladislao timebant, utpote quos ex inſidiis invadere cogitabat, ideo Bononiam confugere ſtatuit, quæ civitas jam anno priori denuo in Romanæ Eccleſiæ obedientiam reverſa

reversa erat. Interea Ladislaus in sui locum Comite de Troya tanquam Pro-Rege Romæ relicto, Neapolim proficiscitur; Marchioni verò Atestino omnium copiarum in Patrimonio Ecclesiæ remanentium ultro supremum detulit imperium, quod tamen Marchio acceptare noluit. Sæcul. XV. A.C. 1413.

§. LXXIV.

Cardinales Legati ad Sigismundum Imperatorem missi.

Italia ad tam luctuosum statum a Ladislao redacta, unice liberatorem suspirabat, omniumque spes & oculi in solum Sigismundum Imperatorem intenti hærebant; ipsiusmet enim potissimum intererat, ut adversus Turcas Hungariæ regnum misere devastantes, Christianos Principes adunaret. Hac ratione permotus Imperator, Forojulii adhucdum agens, bellum, quod cum Venetis ob quasdam terras in Dalmatia ab eis vi detentas gerebat, induciis ad quinquennium pactis ponere decrevit. Eodem quoque tempore Georgius Adornus Genuensis Reipublicæ Dux suos illuc misit Legatos, quos Sigismundus perbenigne excepit, eisque omnium suorum privilegiorum, quibus sui Prædecessores hanc Rempublicam antehac honorarunt, confir- *Bzov. ann. 1413. num. 24.*

Sæcul. XV. A.C. 1413.

confirmationem pollicitus est. Non multo post tempore Pontifex quoque ad Cæsarem duos legat Cardinales, nempe Antonium de Chalanto, qui tum jam partibus ejus accesserat, & Cardinalem Zabarellam unacum Manuale Chrysolora, Viro nominatissimo, quem ex eadem urbe eis Legationis socium adjunxit.

§. LXXV.

Papa mutato consilio hos Legatos plenaria potestate instruit.

Summus Pontifex ambobus hisce Cardinalibus dedit negotium, ut maturius consultarent de congregando Generali Concilio, quo pax Ecclesiæ restitui, nonnulli Europæ Principes bello diviſi ad concordiam revocari, & Ladislai victoriæ, ejusdemque tyrannis cohiberi possent. At locum pro celebranda Synodo designandum Joannes XXIII Papa sibi soli reservare decreverat, ita tamen, ut nulli quidquam de interno animi sui consilio suboleret. Fixum ergo destinatumque in animo ejus erat, Sigismundo imponere, atque Legatis palam in mandatis dare, ut Imperatori Synodi locum eligendi libertatem relinquerent; interim vero in secreto eisdem consignare literas, quibus nominatim juberentur, ac severe pro-

prohiberentur ut non nisi ea loca, quæ ipse illis indicaret, acceptarent, reliqua vero cuncta rejicerent. Aſt Pontifex cum Legatis ſuis ſolerti negotii hujus cura impenſe commendata, abeundi veniam daret, ſcriptasque mandati ſecretioris tabulas, quas manu tenebat, jamjam tradere vellet, derepente mutato conſilio haud amplius eorum poteſtatem ad certa quædam Synodi loca reſtrictam voluit, ſed id ipſum mandatum a ſe ſcriptum, poſtquam illud eorum oculis ſubjecerat, coram illis dilaceravit, eosque plena poteſtate inſtructos a ſe dimiſit, ac dilaudatis eorum meritis, haud obſcura affectus ſui ac fiduciæ ſigna illis exhibens dixit, ſe ſe illorum prudentiæ ac fidei penitus committere. Leonardus Aretinus, qui huic Pontifici ab epiſtolis erat, quicquid in hac occaſione geſtum fuit, ſequentibus enarrat. Sæcul. XV. A. C. 1413.

§. LXXVI.

Leonardi Aretini relatio.

Qua in re, inquit ille, *non videtur prætereundum mirabile quiddam, quod tunc accidit, ut omnia cælitus gubernari cognoſcamus. Communicaverat mecum Pontifex arcane mentem & cogitationem ſuam. In loco, inquit, Concilii rei ſumma eſt, nec ego alicubi illud eſſe volo, ubi Imperator plus poſſit:* *Leon. Aretinus de reb. Ital. p. 258.*

Sæcul. XV. A.C.1413.

possit: Legatis igitur istis, qui a me mittuntur, mandata amplissima, potestatemque maximam ad honestatis speciem dabo, quæ palam ostentare possint atque proferre, secreto autem mandatum restringam ad loca certa, enumeravit mihi subinde loca. Cum in hoc proposito multos dies fuisset, tempus venit, quo proficisci Legatos oportebat, tunc remotis cæteris præter me unum, legatos secreto allocutus est, multisque verbis cohortatus ad munus legationis diligentissime obeundum, ostendens quanti ponderis illa res esset, cujus gratia mitterentur. Deinde conversus ad benevolentiam, cum eorum prudentiam, fidemque laudaret, ac melius illos cognoscere, quid factu opus esset, quam seipsum dicebat. Dum ista commemorat, atque inculcat, affectus ipse benevolentia propositum diu cogitatum momento temporis immutavit. Decreveram, inquit, loca quædam nominare, a quibus nullo modo discederetis, sed in hoc temporis puncto sententiam muto, ac vestræ prudentiæ cuncta permitto chartulamque, in qua ea loca scripta erant, in eorum conspectu dilaceravit, absque ulla alicujus loci nominatione.

§. LXXVII.

Urbs Constantiensis ab Imperatore pro loco Concilii nominata.

Vander-Hardt tom. 1 part. 10. pag. 559. & tom. 6 p. 1.

Animo præsensisse videtur Joannes XXIII, quæ sibi minus probarentur, Lega-

Legatos suos Sigismundo concessuros; Nihilominus tempori, necessitatique parendum erat: Utrinque enim res periculis plena. Equidem Pontificis auctoritas in præcipiti stetit, dum totum se Legatorum arbitrio commisit. Ast eorum potestatem limitando omnino sibi fuisset timendum, ne forte penitus celebrandæ Synodi spe excideret, ex qua tamen sibi ampliſſima præcipue contra Ladislaum spondebat auxilia. Igitur in hoc rerum articulo consultius fore arbitratus, si luculento suæ in Legatos fiduciæ argumento eos ad munus bene gerendum incitaret, atque illimitata hac potestate instructos dimitteret, Sigismundum Laudæ conventuros; Quapropter Legati probe intelligentes, quod quidem Pontificis plurimum interesset, urbem secundum ejus beneplacitum designari, cum tamen longe major urgeret Cæsaris gratiam conservandi necessitas, Sigismundo Urbem pro convocanda Synodo nominandi libertatem relinquebant. Imperator Constantiam, urbem Imperialem in Circulo Suevico sitam selegit; hæc erat civitas sat commoda, liberrima, & quibusvis ad Concilium euntibus accessu facilis. Etsi enim Imperatori pareret, nihilominus Legati suo quoque consensu Cæsaris optioni suffragati sunt, abs dubio commune Ecclesiæ bonum privato

Sæcul. XV. A. C. 1413.

Sæcul. XV. A.C. 1413.

vato Pontificis commodo anteferendum arbitrati.

§. LXXVIII.

Locus Concilii Papæ minus acceptus.

Pontifex tum Bononiæ hærens allato hujus rei nuncio tantam mœroris vehementiam ſenſit, ut animo plane concidens perſæpe ſortis ſuæ invidiam deteſtaretur, ſeu potius nimiam incuſaret facilitatem, ſuamque imprudentiam, qua tam leviter a præconcepto deſiſtens conſilio ſeſe manibus pedibusque ligatum tanti Regis mancipaſſet arbitrio, cujus ea eſſet auctoritas, ut cuncta, quæ forte Synodus adverſus eum decerneret, exequi facile poſſet. Nihilominus huic quoque dolori ſuo imperare cogebatur, ne ſuſpiciones ac Chriſtiani Orbis *odia in ſe* provocaret, vel animum a Concilii celebratione omnino alienum proderet, quod certius eventurum noverat, ſi in aliorum notitiam veniret, Legatos ſuos ſedulo de omnibus proſpexiſſe mediis, ac plenæ ſecuritati, quovis meliori modo, conſuluiſſe. Cum itaque illimitatam auctoritatem a ſe Legatis datam fuiſſe nec inficiari, nec mandatum revocare poſſet, absque aperta tam Legatorum, quam Sigismundi injuria; Imperatorem convenire, primo quidem Placentiæ, poſtea vero

vero Laudæ animo tandem constituit, ad alia forte consilia eum inducturus. Sæcul. XV. A.C. 1413.

§. LXXIX.

Colloquium Laudæ Papam inter & Imperatorem.

Frequens in hac urbe utrinsque erat colloquium, sed irrito semper successu, nunquam enim Joannis XXIII. votis intentus respondebat eventus. Hic enim pro majori Cardinalium commodo Synodum in quadam Italiæ urbe convocari desiderabat: Ast opponebat Imperator, non minus S. R. I. Electores Ecclesiasticos a superandis alpibus abhorrere. Sigismundo igitur flecti nescio, Papa cedere cogitur, atque inter utrumque conventum est, ut Concilium Constantiæ ad primam Novembris diem Anni supra millesimum quadringentesimi decimi quarti celebraretur. Vix non integrum mensem hæc consultatio tenuit, illique Papa semper in Pontificalibus solio insidens interfuit, assidente eidem Imperatore, qui Diaconi Dalmatica indutus erat. *Leonard. Aretin. de reb. Ital.*

§. LXXX.

Papa & Imperator Cremonam abeunt.

Pontifex atque Imperator Lauda discedentes Cremonam proficiscuntur, *Pogg. hist. Flor. p. 157.*

Sæcul. XV. A.C. 1413.

a Gabrino Fonduli Domino invitati, qui hujus Urbis Gubernator eam immani tyrannide divexabat, & quamvis atroci in ſuos ſævitia, ac crebra in vicinos perfidia infamis, nihilominus magni nominis Heros, atque acris conſilii Vir audiebat. Hic Imperatorem & Papam, apud quos magna valebat gratia, die quadam convivio excipit, & data opera ad præaltam quamdam turrim deducit, ex qua liberrimo oculorum proſpectu etiam longiſſime diſſita, in unum collecta viſus compendium emetiri poterant: ibi cum remotis arbitris ſolus cum ipſis verſaretur, atque aliunde Ladislai partibus impenſe adhæreret, inſtigante ultionis libidine, Cæſarem & Papam in ſubjectum forum præcipites agere animo conſtituit, nefandum tamen ejus propoſitum, ne hoſpitii jura, atque religionem violaret, tempeſtivus pudor ſuppreſſit. Sacrilegam hanc ſuam voluntatem manifeſtabat Sacerdoti eum palam ad ſupplicii locum comitanti, dum Philippi Mariæ Mediolanenſium Ducis juſſu ob plurima a ſe perpetrata facinora comprehenſus, poſt diuturnos carceres capitali ſupplicio multabatur. Eidem enim Sacerdoti faſſus eſt, quod ſi ante mortem quidquam doleret, id vel maxime foret, quod animi ſui inſtinctum minime ſecutus, Papam unacum Imperatore e domus ſuæ turri præci-

præcipitare neglexisset, quo tamen facto immortalem sibi famam comparasset. Sæcul. XV. A.C.1413.

§. LXXXI.

Synodus edicto Imperatoris convocata.

Sigismundus Constantia pro celebrando Concilio nominata, instrumento publico, quod etiam hujus Urbis Magistratus fide sua munierat, pollicitus est, Papam cum tota sua Curia omni securita e, & plena atque integra libertate in dicta civitate fruiturum, omnibusque honoribus summo Pontifici debitis excipiendum, ipsumque summam in suos Curiales judicandi potestatem, ac liberam, quandocunque placuerit, abeundi copiam habiturum. Hæc a Pontifice postulata fuere, quæ, si denegarentur, eum ad Synodum haud venturum, verebatur Sigismundus. Quapropter Constantiæ Magistratibus, Civibusque præcipiebat, ut summum Pontificem omnibus, quæ postularet, privilegiis potitum iri, instrumento publico sponderent, qui etiam se hanc fidem datam fideliter executuros juramento firmabant. Sub idem tempus Imperator aliud publicavit edictum in Villa Viglud, seu Vegui die trigesima Octobris datum, quo omnes Christi Fideles, quibus id juris competeret, ad Synodum vocavit, declarando semetipsum

Vander Hardt tom. 6 p. 5. Bzov ad ann. 1413.

Sæcul. XV. A.C. 1413.

huic Concilio interfuturum, ut eo validius tam publicæ quam privatæ securitati providere posset; daturum se quoque omnibus petituris publicæ fidei literas; Pontificem etiam cum omnibus suis Prælatis in Concilio existentibus ecclesiastica immunitate plene gavisurum, ac denique omnibus Cardinalibus, Prælatis, Principibus, cunctisque aliis tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus, quæcunque sibi viderentur necessaria, integram proponendi libertatem fore concedendam.

§. LXXXII.

Literæ Sigismundi ad Gregorium XII. & Benedictum XIII.

Raynald. ann. 1413. *n.* 23.

Præterea Sigismundus Gregorium XII. datis literis ad Concilium venire hortatur, omnem eidem pollicitus securitatem, atque significans, quod hanc epistolam, ne forte ignorantiam obtendere posset, ad eum direxisset, missisque hunc in finem publicæ fidei literis itineris sui securitati prospexisset. Attamen Gregorius, quamvis nonnisi Carolum de Malatestis Arimini Toparcham ejusque familiares suæ obedientiæ adhucdum addictos numeraret, semper tamen se velut legitimum Pontificem gerebat, necnon adversus reliquos Christi fideles bruta vibra-

vibrabat fulmina, eosque pro schismaticis habebat. Sub idem tempus Sigismundus Benedictum XIII, ut Synodum accederet, pari modo admonebat, atque ad Ferdinandum Arragoniæ Regem mittebat Legatos, qui de mutuo Regem inter & Petrum de Luna agerent colloquio, ubi communi consilio de opportunis extinquendi schismatis, & Ecclesiæ uniendæ mediis conferrent. Sæcul. XV. A.C. 1413.

§. LXXXIII.

Epistola Imperatoris ad Galliarum Regem.

Idem quoque Imperator non modo aliam dedit epistolam ad Carolum VI Franciæ Regem, sed etiam Legatos suos decrevit, qui eidem quam luctuosus esset Ecclesiæ status, quantave reformationis necessitas, exponerent, atque illum, ut vel per se, vel per solemnem legationem Concilium adire vellet, admonerent, & adderent, in dicta Synodo simul de Græcis cum Ecclesia latina reconciliandis agendum esse. *Monach. S. Dionys. hist. Carol. VI.*

§. LXXXIV.

Concilium a Joanne XXIII. per Bullam convocatum.

Joannes XXIII. a Sigismundo stimulatus die nona Decembris Anno Salutis mille- *Labbe Concil. tom. 12. p. 11.*

Sæcul. XV. A. C. 1413. milleſimo quadringenteſimo decimo tertio Bullam edidit, qua Synodum convocavit, commemorans, ab Alexandro V. Prædeceſſore ſuo reformandæ Eccleſiæ negotium, quod in Piſano Concilio ad optatum finem perducere non poterat, ad proximam Synodum intra triennium celebrandam fuiſſe remiſſum, ſe vero in hujus defuncti locum, & cæpti operis perfectionem eſſe vocatum; ideoque Florentiæ, quo ipſum deplorandus Eccleſiæ ſtatus confugere coegiſſet, exceptis a ſe Sigismundi Legatis, ſuos quoque Oratores ad eundem pro conſummando hoc negotio ablegatos fuiſſe, tandemque mutuo utriusque partis conſenſu tam de loco, nimirum urbe Conſtantienſi, quam de tempore, id eſt, prima die Novembris Anni ſequentis inter eos conveniſſe. Poſtquam hæc in Laudenſi colloquio hanc nominationem fuiſſe firmatam, nunc vero a ſe quoque præſentibus hiſce literis eandem ratam haberi, atque ad hanc Synodum ſe etiam omnes invitare. Chriſtianos Particulares quoque literas dedit ad omnia Regna, ſuæque obedientiæ Provincias, ſcilicet Franciam, Angliam, Germaniam, Poloniam, Bohemiam, Hungariam, aliasque regiones.

§. LXXXV.

Sæcul. XV.
A.C. 1413.

§. LXXXV.

Subsidium Charitativum Pontifici in Galliis indultum.

Equidem summus Pontifex jam sub prima Papatus sui exordia Archiepiscopum Pisanum, Nicolaum de Robertis Equitem, & Godefridum de Peyrussa Doctorem Legatos in Gallias mittebat, ex procurationibus, & Ecclesiasticorum mortuorum spoliis pecunias exacturos. Quorum tamen postulatis Academia acriter obluctata, Prælatos, ceterasque Universitates sollicitavit, ut ad impediendas ejusmodi exactiones suas quoque vires jungerent. Attamen frustra oppositis hisce remoris decretum fuit, ut Pontifici ex Cleri Gallicani reditibus *Charitativum* concederetur subsidium, videlicet dimidia decimarum pars; Huic concessioni Prælatorum quoque consensus accessit, & demum ipsa Universitas cedere compulsa est. Postea Archiepiscopo Legato Parlamentum adeunte, Godefridus de Peyrussa nunciat, sinceram Pontificis esse voluntatem, ut ad Ecclesiam in Capite & membris reformandam Concilium statuto tempore celebraretur; His perceptis quantocius jussu Regis solemnia Cleri Gallicani comitia in Urbe Pari-

Vid. supra s. XII.

Sæcul. XV. A.C. 1413.

sienſi indicuntur, eo fine, ut libelli inſtruerentur Concilio porrigendi, & Clerici de nimiis oneribus, quibus Eccleſia Gallicana a Curia Romana opprimeretur, ſuas querelas ad Synodi Patres deferrent.

§. LXXXVI.

Liberiores Pontificis auſus in Galliis repreſſi.

Juven. Urſin. hiſt. Car. VI. p. 251.

Interea, cum hæc gererentur, intercipitur quædam hujus Legati Epiſtola, ad Secretarium Pontificis ſcripta, in qua eidem ſignificat, quod Regii Parlamenti membra ſubſidii ex Beneficiis ſuis erogandi exemptionem jactitarent, atque hac ſuper re privilegium a ſancta Sede eis conceſſum allegarent; his addidit, Jurisdictionis Eccleſiaſticæ auctoritatem penitus ſubverſam iri, eoquod Parlamentum nulla habita Perſonarum ratione ſibi facultatem arrogaret, Religioſorum, Epiſcoporum, imo & Cardinalium cauſſas in poſſeſſorio cognoſcendi. Hanc Epiſtolam ægerrime tulerunt Aulæ Proceres; quapropter decretum fuit, ut tota rei ſeries Regi exponeretur, necnon eidem, quam periculoſi, quantive momenti eſſent hujus Legati conatus, ob oculos poneretur, ac demum ſevere Legato interdiceretur, ne Regis, ejusque Judicum,

Judicum, & præcipue judiciariam Parlamenti poteſtatem in cauſſis poſſeſſoriis beneficiorum impoſterum oppugnare præſumeret. Regi etiam ſupplicabant, ut hac de re ad Papam & Cardinales ſcriberet, quod & factum eſt. Paulo poſt Rex penſatis gravaminibus, quæ Univerſitas propoſuerat, literas innovavit, quibus olim illorum jura aſſerta declaravit, qui ſubtractionis tempore beneficia acceperunt. Item beneficiorum nundinationi in Francia obviaturus, ex conſilio Cleri atque Univerſitatum præcepit, ut Curiæ Romanæ haud amplius integrum eſſet, ullas Eccleſiarum Proviſiones & commendas in toto ſuo Regno concedere, hancque in rem ad Joannem Papam, ut huic malo proſpiceret, Oratores ſuos ablegavit. Quia vero Pontifex ſui propoſiti immemor, nihil immutare, nec a ſolita ſua agendi ratione deſiſtere volebat, tandem Parlamentum juſſit, ut edictum Menſe Februario Anni milleſimi quadringenteſimi ſexti conditum, quantum ad beneficia electiva ſpectaret, executioni mandaretur; cui edicto ipſius quoque regii Conſilii auctoritas acceſſit.

Sæcul. XV. A.C. 1413.

Vid. ſupr. Lib CI. §. 53 & 61.

§. LXXXVII.

Conventus Univerſitatis ad ſedandas Gallorum diſſenſiones.

Univerſitas Pariſienſis ad preces Aulæ Regiæ, *Juv. Urſin. hiſt. Car. VI. pag. 252.*

Sæcul. XV. A.C. 1413.

Regiæ, cujus partes tuebatur, dissidiis Regnum scindentibus sese implicare cogebatur. Igitur probe intelligens, Proceres Regni, eosque, qui clarioribus fungerentur Officiis, studiose ejusmodi tumultus fovere, ut eo liberius populum opprimerent, ac præterea, nisi promptum malo adhiberetur remedium, Anglos jamjam in eo esse, ut Aquitanniam sibi subjicerent; his perpensis Universitas Regem alias optima meditantem consilia, ad regni sui reformationem vehementer excitavit. Secretum etiam habuit Conventum apud quemdam Carmelitam, nomine Eustachium de Pavillis seu Poliaco Theologiæ Doctorem, ubi de noxiis excessibus regnum vexantibus agebatur, illorumque caussa atque origine sigillatim indagata, quilibet vel prout affectus, vel prout edoctus fuerat, suam edixit sententiam. In hanc tamen omnes abiere opinionem, quod præsentes rerum vicissitudines non minus funestæ esse possent Gallis, quam propitiæ forent Anglis. Interea vero certi nihil statutum fuit, nisi quod stabilem inter Principes pacem procurare omnino necessarium esset. Rex quoque ex Primoribus sub finem Mensis Januarii consilium congregavit, ubi quam sincero affectu Universitas regeretur, satis eluxit ex sermone, quem Ursinus Talvenda, nomine Facultatis de pacis

pacis negotio coram Rege declamabat, acriter cunctas perstringens injustitias, quæ in administrando ærario Regio, in decernendis forensibus causis, in Cancellaria, in Officiorum distributione, atque in re monetaria committerentur. Nemini eorum, quos delicti conscientia reos fecit, pepercit, nec ipsi quoque Arnaldo de Corbeia Cancellario, quamvis nomen ejus silentio presserit; quem tamen Rex protegere non destitit. Sæcul. XV. A. C. 1413.

§. LXXXVIII.

Oratio Joannis Gersonii coram Rege.

Pace Parisiis promulgata Joannes Gersonius Cancellarius nomine Universitatis, & Cleri coram Rege sermonem habuit, partim delicti veniam exoraturus omnibus Academiæ membris, horum tumultuum complicibus, partim circa alia maximi momenti argumenta disserturus, uti erant omnium Regni Ordinum reformatio, atque assasina Aurelianensis Ducis cædes. Admodum prolixa erat Gersonii oratio, quam tandem absolvit digrediendo ad S. Josephum, cui speciali devotionis affectu addictus erat. Nihilominus Academia sermonis hujus apologiam edere compulsa est adversus nonnullos, *Hist. Univ. Paris to. V. p. 236.* *Gerson. to. 3. p. 1345.* *Vid. supr. Lib. CI. §. 92*

Sæcul. XV. A.C. 1413.

nullos, quibus pacem & quorumdam Procerum honorem nimia libertate læsisse videbatur. Hanc quoque die quarta Octobris publicavit; (*) sed omni rationum suarum pondere nil amplius impetrare poterat, quam quod, Parisiensium tumultibus tandem compositis, serio incumberetur examini, ac damnationi famosæ illius elucubrationis, sub titulo: *Justificatio Ducis Burgundiæ*, in qua fas esse tyrannum occidere, demonstrare contendebatur.

§. LXXXIX.

Joannis Parvi propositiones jussu Regis discussæ.

Monach. Sandyon. l. 23. p. 933.

Quapropter Rex Gerardo de Montaiga, seu Monte acuto, Parisiensi Episcopo, ejusque Officiali negotium dedit, ut unacum Joanne Poleto Ordinis FF. Prædicatorum, atque in Galliis hæreticæ pravitatis Inquisitore, certoque Theologiæ Doctorum numero conferrent, & hujus libelli propositiones sedulo examinatas juridica configerent censura, oblato simul si opus esset, brachii sæcularis auxilio.

(*) *Habetur ad calcem Historiæ Concilii Pisani ab Ienfantio conscriptæ.*

xilio. Hæc Regis epiſtola data fuit die Sæcul. XV.
ſeptima Octobris Anno Salvatoris noſtri A. C. 1314.
milleſimo quadringenteſimo decimo tertio, in qua tamen nec Burgundiæ Dux, nec Joannes Parvus nominatim expreſſi leguntur, ſed duntaxat ſermo fuit de multis hæreſibus, atque fidei erroribus, bonis moribus ac tranquilitati ſtatus ſumme periculoſis, qui aliquibus abhinc annis in Gallias irrepſiſſent, atque ad exteras quoque Regiones ſeſe effundere cæpiſſent. Ex his literis evenit, quod in ædibus Epiſcopi celebris haberetur congreſſus, trigeſima Novembris die inchoatus, cujus quinque recenſentur Seſſiones, earumque prima celebrata eſt die mox dicto, altera quarto Decembris, tertia ejusdem Menſis die decimo nono, quarta decimo nono Januarii Anno ſequenti, ac denique quinta, duodecimo Februarii.

In prima ſeſſione lecta eſt epiſtola Regis unacum ſeptem propoſitionibus a Gerſonio ex libro Joannis Parvi decerptis. Quænam autem fuerint hæ propoſitiones, percipere lubeat.

§. XC.

Propoſitiones ex libro Joannis Parvi extractæ.

I. „Licitum eſt unicuique ſubdito aut „ vaſallo, honorabile, ac meritorium

Sæcul. XV. A.C. 1413.

„ rium occidere quemlibet tyrannum „ quocunque modo, etiam per explora- „ tores & insidias, vel adulationes vel „ per blanditias, non obstante quocunque „ suo juramento, aut fœdere inito cum „ illo, nec exspectata sententia, aut ul- „ lius judicis mandato . . . Hæc as- „ sertio sic generaliter per modum Re- „ gulæ prolata est erronea in fide, & bo- „ nis moribus contra præceptum Dei: „ *non occides.* Tendit in eversionem „ boni publici, & cujuscunque Regis aut „ Principis, & viam aperit, ac licentiam „ tribuit fraudibus, fidei ac juramenti „ violationibus, proditionibus, menda- „ ciis, & generaliter omni inobedientiæ „ subditorum erga suos Dominos, & u- „ triusque diffidentiæ.

II. " S. Michael absque ullo præce- „ pto Dei vel alterius cujuscunque, sed „ duntaxat amore naturali impulsus Lu- „ ciferum morte æternatura occidit, & „ propterea spiritualibus divitiis, quan- „ tum recipere capax est, remuneratus „ est. . . . Hæc assertio plures errores „ in fide continet, non enim S. Mi- „ chael Luciferum occidit morte æter- „ na, sed Lucifer seipsum occidit per „ peccatum, & Deus pœnæ æternæ mor- „ te peremit illum.

III. " Phinees occidit Zambri abs- „ que ullo mandato Dei, & Zambri tu- „ men

„ men Idololatra non fuit. . . . Hæc Sæcul. XV.
„ assertio est contra textum S. Bibliæ. Au- A. C. 1413.
„ ctor postmodum allegat textum Scri-
„ pturæ Num. cap. 25. cum Glossa.

IV. " Moyses absque ullo mandato
„ seu auctoritate Ægyptium occcidit. . . .
„ Hæc assertio est contra textum Bibliæ
„ Act. cap. 7. v. 25. juxta explicationem
„ glossarum, & S. Doctorum & ratio-
„ nes. Postmodum dictæ auctoritates
„ allegantur.

V. " Juditha Holoferni blandiendo,
„ nec Jehu se Baal colere velle mentien-
„ do, peccavit. . . . Hæc propositio fa-
„ vet errori dicentium, quod in certis
„ quibusdam casibus laudabiliter quis
„ mentiri valeat, contra quos declamant
„ SS. Augustinus & Hieronymus. &c.

VI. " Joab occidit Abner post mor-
„ tem Absalonis. . . . Hæc assertio est
„ contra expressum S. Scripturæ textum.
„ 2. Reg. cap. 3. ubi Joabum longo tem-
„ pore post Absalonis mortem Abner oc-
„ cidisse narratur.

VII. " Quoties aliquis quamdam fece-
„ rit actionem, quæ melior est, etiamsi
„ eam se non facturum juraſſet, non ta-
„ men perjurium commisit, sed est per-
„ jurio contrarium. . . . Hæc assertio
„ adeo generaliter posita, falsa est, & ni-
„ hil juvat scienter falso confœderatio-
„ nem jurantes, nam fraus est deceptio,

„ ac

Sæcul. XV. A. C. 1413.

„ ac clarum perjurium, & asserere hoc „ esse licitum, est error in fide. „

Præter istos septem Articulos, plures adhuc alii legebantur, quorum præcipui erant. "I. Non oportet certos quosdam „ errores condemnare, etsi sint publici „ & scandalosi, ne pax turbetur. II. Pro „ salute animæ eorum, qui excommuni- „ cati fuerunt in virtute Bullæ Urbani V. „ contra certos quosdam grassatores sub „ regimine Joannis II. regis Franciæ Re- „ gnum devastantes latæ, orare non li- „ cet, nec baptizandi sunt eorum filii. „ III. Melius est Tyrannum occidere e „ vestigio, & improvise, quam alio mo- „ do. IV. Revelanda est confessio, & „ ad eam revelandam quis cogi potest. „ V. Ad extorquendam veritatem per „ confessionem, licitum est se simulare „ Sacerdotem. VI. Princeps secundum „ suum arbitrium subditos suos licite „ expoliare potest, nec ullum valet com- „ mittere crimen depositione dignum. „ VII. Ad declarandum, ubi vel sua vel „ alterius bona deposita sint, potest quis „ juramento, & etiam carcere, ac tor- „ mentis constringi. „

Altera Sessione Officialis Episcopi Parisiensis, & Vicarius Inquisitoris, convocatis sexaginta quatuor Doctoribus, omnes nomine Episcopi Conventum adeunt, supplices, ut de modo judicandi,

ac haſce propoſitiones damnandi conſul- Sæcul. XV.
tare velint. His auditis Archiepiſcopus A. C. 1413.
Senonenſis, nomine Joannes de Monte acuto, Epiſcopi Pariſienſis frater, qui & ipſe huic Seſſioni interfuit, ſe omnia, quæ in hoc Conventu decernerentur, usque ad ſupremum vitæ halitum obſervaturum ſpopondit, & tam in ſua Diœceſi quam in aliis locis ſuæ jurisdictioni ſubjectis, quantum in ipſo eſſet, eorum executionem promoturum. Joannes Gerſonius hujus Archiepiſcopi verba excipiens, condemnationis formam porrexit. Nonnullorum vero ſententia eo abiit, ut tota cauſſa ad Curiam Romanam remitteretur; horum tamen opinio ab aliis rejecta fuit.

Tertiæ Seſſioni ipſe Epiſcopus cum Inquiſitore interfuit, ac duplex ibidem quæſtio in deliberationem vocata eſt. Prima, utrum Joannis Parvi aſſertiones, quæ denuo perlegebantur, falſæ & erroneæ eſſent? Altera, an eas condemnare oporteret, quove modo in ejusmodi damnatione procedendum? Diverſorum diverſæ erant opiniones. Quos inter Henricus Barbatus Nannetenſis Epiſcopus publicam damnationem eſſe inſtruendam cenſebat, Abbas vero Sancti Germani de Pratis totum negotium ad Sedem Romanam vel ad Concilium Generale devolvendum affirmavit. Tres alii Do-

Sæcul. XV. A.C. 1414

ctores, Parochus ad D. Martini, Joannes de Curtacoxa, & Abbas Verſelenſis in eandem abiere ſententiam. Abbas tamen S. Dionyſii, & Joannes Gerſonius adſtipulabantur Nannetenſis Epiſcopi judicio, quamvis horum ultimus minime reorum Perſonas nominatim perſtringendas eſſe judicaſſet. Die quinta Januarii de Legatis ad Burgundiæ Ducem decernendis agebatur, ad quem etiam Petrus Florus, Dominicanus ablegatur, Ducem rogaturus, ut Synodi actis conſenſu ſuo accederet.

In quarta Seſſione operum Joannis Parvi apographa tam inter ſe quam cum Authographo conferri cæperant, atque omnia concordare inventa fuere, exceptis duntaxat quibusdam terminis, nihil tamen ſenſum immutantibus. Poſthæc Doctores illas ſeptem Joannis Parvi propoſitiones ad novem extendere conſultius fore judicabant, prout illas propriis ſuis terminis huc referimus.

I. *Licitum eſt unicuique ſubdito abſque quocunque præcepto vel mandato, ſecundum leges naturalem moralem & divinam occidere vel occidi facere quemlibet Tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, vel malum ingenium, machinatur contra ſalutem corporalem Regis ſui, & Superiorum omnium, pro auferendo ſibi ſuam nobiliſſimam & altiſſimam dominationem: Nedum licitum,*

tum, sed honorabile, & meritorium, maxime quando est potentiæ tantæ, quod justitia non potest bono modo fieri per superiorem. Sæcul. XV. A.C.1414.

II. *Leges naturalis, moralis, & divina auctorizant unumquemque subditum de occidendo, vel occidi faciendo dictum Tyrannum.*

III. *Licitum est unicuique subdito, honorabile, meritorium occidere, vel occidi facere supra nominatum Tyrannum proditorem, & infidelem suo Regi & supremo Domino, per explorationes & insidias, & est propria mors, qua debent mori Tyranni. Et est licitum dissimulare & silere voluntatem suam de sic faciendo.*

IV. *Jus est, ratio, & æquitas, quod omnis Tyrannus occidatur per explorationes, & insidias, & est propria mors, qua mori debent Tyranni & infideles.*

V. *Ille qui occidit, vel occidi facit Tyrannum supra nominatum & modis prædictis, non debet de aliquo reprehendi, & Rex non debet solum esse contentus, sed debet habere factum acceptabile, & auctorizare, quantum opus vel necessitas esset.*

VI. *Rex debet præmiare vel remunerare illum, qui occidit modo, qui dictus est, vel occidi facit Tyrannum supra nominatum, in tribus rebus, scilicet, in operibus, honoribus, divitiis, exemplo remunerationum factarum S. Michaeli Archangelo, pro expul-*

Sæcul. XV. A C. 1414.

sione Luciferi a Regno Paradisi, & Phinees pro occisione Ducis Zambri.

VII. *Rex debet plus amare, quam prius illum, qui occidit, vel occidi facit Tyrannum supra nominatum modis supra dictis, & debet facere prædicari suam fidem & bonam fidelitatem suam per Regnum suum & extra facere publicari per literas.*

VIII. Litera occidit, spiritus autem vivificat, *hoc est dicere, quod semper sensum litteralem servare in Scriptura sacra est occidere animam suam.*

IX. *In casu Societatis, juramenti, promissionis, seu confœderationis factarum ab uno milite ad alterum, quocunque modo illud fiat, aut fieri possit, si contingat, quod illud vertatur in præjudicium unius promittentium ad confœderationem, sponsæ suæ, aut suorum liberorum, ipse de nullo tenetur eas observare.*

§. XCI.

Propositiones Joannis Parvi ad regum damnatæ.

Postquam hæ novem assertiones a Doctoribus per plures dies a decima nona Januarii computandos examini subjectæ fuerant, tandem quinta & ultima Sessio ad percipienda eorum suffragia die duodecima Februarii celebrata fuit. Cum

Cum ergo potior illorum pars Joannis Parvi apologiam, sub titulo, *Justificatio Ducis Burgundiæ*, necnon novem illas propositiones ex ea depromptas condemnaret, die vigesima tertia Februarii a Parisiensi Episcopo, ac ab Inquisitore hæreticæ pravitatis in omnes istos libellos pœna rogi decreta, hæcque sententia die vigesima sexta ejusdem Mensis promulgata, atque executioni data est. Hæc igitur Joannis Parvi doctrina tanquam erronea in fide, bonis moribus contraria, & scandalosa damnatur, & dicti libri exemplaria ad Episcopum deferri jubentur, omnibus autem supradictas assertiones defendere vel docere severis pœnis inhibetur. Sæcul. XV. A. C. 1414.

§. XCII.

Hæc sententia a Rege publicis literis firmata.

Die decima sexta Martii ejusdem anni Rex ad omnes suos Senatus regias expedivit literas, quibus Parisiensis Episcopi, necnon Inquisitoris sententiam ratam habuit, atque in tabulas publicas referri præcepit. Nihilominus Parisiensis Parlamenti actis inserta non fuit, nisi primum die decima quarta Junii Anno Salutis millesimo quadringentesimo decimo sexto.

Sæcul. XV. A.C. 1414.

§. XCIII.

Sigismundi Oratores Parisiis ad alloquium admissi.

Monach. Sandionys. ibid. p. 915.

Legati ad Galliarum Regem, ut cum ipso de Concilio Constantiæ celebrando agerent, a Sigismundo missi, sub finem Decembris anni præcedentis audiuntur. Hi in sermone ad Regem habito declarant, Joanni XXIII. atque Imperatori visum fuisse, Constantiæ Oecumenicum convocare Concilium, ut in eo schisma funditus extirparetur, ac tandem quis ex hisce tribus Pontificibus legitimus esset, discuteretur; hocce propositum, ut regia Majestas suo quoque consensu firmaret, suosque Prælatos ad Synodum mitteret, ipsorum jam esse preces. Ast id nunquam a Pontifice statutum existimamus; cum hac via, quæcunque in Pisano Concilio actitata fuere, in dubium vocarentur, resque ad conditionem longe deteriorem ac antea fuerat, reduceretur; quippe semper omnium, præprimis Gallorum firma erat persuasio, novæ discussionis medium ceteris omnibus minus aptum, minusque ad extinquendum schisma appositum fore. Nihilominus jussu Regis tunc opportune præsentis, sequens Oratoribus datum est responsum.

Sæcul. XV.
A. C. 1414.

§. CXIV.

Responsum Galliarum Regis Oratoribus datum.

Neminem fugit, Sereniſſimum Franciæ Regem, qui hic præſens, cum per plures quam triginta annos pene immenſos adhibuiſſet conatus, nec non incredibiles pro extirpando ſchiſmate ſumptus effudiſſet, tandem eo rem adduxiſſe, ut ipſius opera & ſollicitudine Piſana Generalis Synodus fuiſſet celebrata, quæ binos Pontifices dubios juxta ac contumaces depoſuiſſet, eoquod artificiis & manifeſtis colluſionibus, violata etiam juramenti religione, qua ſe pro bono pacis ad dimittendum Papatum voluntarie obſtrinxiſſent, toti Chriſtiano Orbi illudere non erubuiſſent; quibus exauctoratis, cum Alexander communi omnium conſenſu Papa ſuffectus eſſet, eundem a Rege, ut & ipſe Univerſalis Eccleſiæ in hoc Concilio repræſentatæ judicio obſequeretur, unacum ceteris Regibus, ac Principibus Chriſtianis tanquam verum, ac ſummum Pontificem & Chriſti Vicarium in terris recognitum fuiſſe. Præterea a Rege Joannem quoque ſub eodem dignitatis honore velut legitimum Alexandri Succeſſorem fuiſſe cultum, ſemper colendum, ſaltem quamdiu jure ſuo, etſi *Id. ibid.*

Sæcul. XV. A. C. 1414.

minime controverſum foret, abire non detrectaret, ſi Concilium ejusmodi ceſſionem pro reddenda Eccleſiæ pace neceſſarium duceret. Cum ergo Imperatorem cariſſimum ipſius Cognatum pias fovere intentiones, iisdemque ſecum conſiliis moveri, regia ſua Majeſtas cognoſceret, ideo à ſe ſubditis ſuis nullatenus inhibitum iri, quominus quicunque demum vellent, ad Conſtantienſem Synodum libere proficiſci poſſent.

§. XCV.

Joannes Huſſus iterato a Papa citatus.

Cobel. Hiſt. Huſſit. l. 1.

Interea Conradus, qui ſub Albico Pragenſem Archiepiſcopatum adminiſtrabat, ad ſedandos patriæ ſuæ tumultus ſtrenuam navat operam. Pluries Joannem Huſſum ad ſe vocat, illum adhortatus, ne, prout hactenus feciſſet, perverſa ſua dogmata in vulgus ſpargeret. Cum autem iſte Hæreticus, ſe duntaxat indulgentias haud ultra impugnaturum ſponderet, perinde acſi tota errorum ſuorum ſumma ad hunc ſolum reſtringeretur articulum, Pontifex intelligens, quanta pertinacia, quamve virulentis ſermonibus Huſſus S. Sedis atque Epiſcoporum auctoritatem publice lacefferet, altera vice eundem Romam venire jubet. Qui ni-

mia

mia sui ipsius existimatione inflatus, suarumque opinionum obstinax idololatra ob rationes jam antea allegatas, quominus compareret, sibi ignosci petiit, atque atrocius adhuc contra summum Pontificem in suis concionibus declamavit. Hunc nil nisi simplicem, nec se superiorem esse Sacerdotem, omnique jure ipsum citandi destitutum calumniatus est. Imo ob novam hanc citationem insanius furens ruptis omnibus modestiæ habenis, Wiclefi librorum lectionem commendat, cultum vero imaginum abolendum, confessionem peccatorum, necnon mortuorum in cæmeteriis sepulturam res esse inanes, ac denique horarum Canonicarum recitationem, atque abstinentiam a carnibus esse meras hominum traditiones, in Verbo Dei minime fundatas, publice e suggestu propugnat. Sæcul. XV. A.C. 1414.

§. CXVI.

Joannis Hussi sermones, ac mores nefarii.

Sub idem tempus in quodam sermone ad populum demonstrare conniteba-tur, Ecclesiasticorum vitia ac peccata coram omnibus e suggestu redarguenda; aliasque adhuc movit quæstiones, quarum una erat de sanguine Christi Domini, cujus pretiosas reliquias plurimi penes se *Æn. Sylv. hist. Bohem. cap. 25.*

Sæcul. XV. A.C.1414.

habere jactitabant; altera de sensu, quo Christus appellari valeat panis. Primum dubium ipsus dissolvit dicens, Christum Dominum semel glorificatum omnem suum reassumpsisse sanguinem, nullumque in terris remansisse, necnon miracula, quæ de apparitione Sanguinis Christi recenserentur, potissima ex parte nil nisi fraudes, atque avarorum Sacerdotum impostoras esse. Ad secundam quæstionem affirmat, eundem Christum Dominum dici posse panem. In neutra tamen harum quæstionum decisione Hussus circa articulum de transubstantiatione panis & vini in Corpus & sanguinem, necnon circa præsentiam realem a fide Ecclesiæ aberrasse videtur. Eodem tempore Petrus Dresdensis e patria sua propter Waldensium hæresim ejectus, Pragam venit, atque Jacobello de Misnia Sacelli ad S. Michaelem Sacerdoti auctor fuit, ut Communionem sub utraque specie restaurandam esse prædicaret. Quem errorem Hussitæ avide arripuerunt, palamque Concionibus suis declararunt populo, etiam Laicis usum Calicis necessarium, ac Eucharistiam eisdem duplici sub specie administrandam esse.

Tum Universitatis Pragensis Doctores, quadraginta quinque Wiclefi propositiones censura perstrinxerunt, addita præfatione, qua Pontificis, Cardinalium, atque

que Ecclesiæ Romanæ deprædicatur au- Sæcul. XV.
ctoritas, Hussitæ vero contumaciæ po- A. C. 1414.
stulantur. Ex adverso Joannes Hussus contra harum propositionum censuram ingentem sermonum & libellorum farraginem conscripsit, & nonnullas earum a Censoribus damnatas pro aris & focis propugnavit, uti erant illæ, quæ prædicandi libertatem, sæcularium Principum in bona Ecclesiastica potestatem, mere voluntariam decimarum præstationem, atque a Principibus, si in peccato mortali existerent, amissum bonorum temporalium atque Ecclesiasticorum dominium concernunt. Vastissimum etiam tractatum *de Ecclesia* composuit, illumque Præfationi, quam Universitatis Censuræ præfixam memoravimus, oppositit; in eo defendit Ecclesiam ex solis prædestinatis constitui, Christum illius esse caput & fundamentum, Pontificem autem, ejusque Cardinales nonnisi illius membra esse, ceteros Prælatos æque ac illos Apostolis successisse, eisque nullum deberi obsequium, nisi præcepta injungerent legi divinæ consentanea; ac denique excommunicationem sine fundamento fulminatam nullatenus ligare.

§. XCVII.

Sæcul. XV.
A.C 1414.

§. XCVII.

Huſſi ſcripta ac libri.

Præterea ad valvas Eccleſiæ, Bethleem dictæ affigi jusſerat ſcriptum, in quo Clericos de ſex erroribus accuſat; quod crederent. I. Sacerdotem celebrando Miſſam, ſui Creatoris fieri creatorem. II. Eos in B. V. Mariam, Papam, & Sanctos credere teneri. III. A Prælatis culpam & peccati pœnam remitti poſſe, quandocunque voluerint atque eisdem placuerit. IV. Superioribus eſſe obediendum, ſive eorum præceptum ſit juſtum, ſive iniquum. V. Omni excommunicatione ſive juſta, ſive injuſta excommunicatum ligari. Sextus, quem Clericis imputabat, error Simoniam ſpectabat. Adverſus ſecundum de exiſtimatis hiſce erroribus ſpeciatim duos conſcripſit tractatus, in quibus in Eccleſiam & Sanctos credendum eſſe confitetur, affirmans, dici non poſſe, quod credatur in Eccleſiam eo modo, quo dicitur: *Credo in Deum.* Aſt hoc Catholicorum nemo ullus unquam docuit. In uno ex dictis opuſculis inſinuat, confeſſionem, ut Sacerdoti fieret, non eſſe neceſſariam. Inſuper eodem tempore tres copioſos elucubravit tractatus adverſus Clericos. Primus inſcribitur, *Anatomia membrorum Antichriſti*, alter

ter vero titulum præfefert, *de Regno, populo, vita & moribus Antichriſti.* Denique tertius: *Abominatio Sacerdotum ac Monachorum carnalium in Eccleſia Dei.* Præter hæc adhuc alia quædam edidit opuſcula adverſus traditiones de unitate Eccleſiæ, de perfectione Evangelica, item de Myſterio iniquitatis, & de Antichriſto. In hiſce omnibus aliisque operibus tetra Huſſi contra Clerum bilis atque iracundiæ impetus, necnon eadem principia, iidemque errores occurrunt. Sæcul. XV. A.C. 1414.

§. XCVIII.

Variæ epiſtolæ Joannis Papæ contra Huſſum.

Joannes XXIII. Huſſi contumaciam & ſeditioſos ejusdem libellos indignatus, omnem movit lapidem, ut eum vel carceris pœna compeſceret, vel quovis modo ad ſaniora reduceret. Hunc in finem literas mittit ad Carolum VI. Galliarum Regem, necnon ad Univerſitatem Pariſienſem, anſamque præbet Joanni Gerſonio, ut Conradum de graviſſima ulteriores errorum, quibus ſua diœceſis infecta diceretur, progreſſus inhibendi neceſſitate commoneret, eidem ſuadens, ut ſæcularis judicii ſecurim ad radicem infructuoſæ hujus ac maledictæ arboris adhi- *Gerſon. tom. 2. p. 901.*

Sæcul. XV. A.C. 1414.

adhiberet. Quamdam hujus Gersonianæ epistolæ partem ad nostra delatam tempora Cochlæo in acceptis referimus. Idem etiam Papa ad Wenceslaum dedit epistolam verbis admodum gravibus conceptam, qua de magnis Hussitarum, licet in Concilio Romano jam fuissent damnati, progressibus in ipsius Regno eum edocet, obtestaturque Regem, ut omnibus viribus pernicioſam adeo hæresim evellere adlaboraret. Data est hæc epistola Bononiæ in Mense Junio Anno Salvatoris nostri millesimo quadringentesimo decimo quarto. Ast Wenceslaus illius prorsus nullam habuit rationem.

§. XCIX.

Samogitia per Ladislaum Jagellonem ad fidem conversa.

Dlugoss. l. 11 p. 342. & 343 Æn. Sylv. Europ. cap. 26.

Ladislaus Jagello Poloniæ Rex propagandæ Religionis studio accensus, cum Samogitiam necdum Christianæ fidei lumine illustratam intelligeret, primus eorum Apostolus fieri decrevit. Ergo ipsemet, comitantibus Witoldo magno Lithuaniæ Duce, Anna Regina Comitis Cilleiensis Filia, secundis nuptiis sibi juncta, suaque Filia Hedwige ex secunda hac uxore Anno millesimo quadringentesimo octavo susceptа, ad Samogitas se contu-

contulit. Sacri hujus itineris ſocios habuit plures adhuc alios Viros non minus pietate quam doctrina conſpicuos, legisque divinæ ſtudioſiſſimos. Samogitæ inter cetera Numina adorabant tonitrua atque ignem, quem in altiſſimi montis jugo, cujus pedem Niewyaſzenſis fluvius alluebat, ab ipſorum ſacrificulis lignis enutritum perpetuo ſovebant; Lucos atque ſylvas tanquam ſuorum Deorum habitacula venerabantur, easque Numinum inſtar colebant, ſicut etiam aves & feras in illis habitantes. Ladislaus igitur conſcenſo monte ignem, qui ibidem continuo ardebat, affuſa ingenti aquæ copia ipſemet extinxit, & ſylvæ arbores ſuccidere, omnesque feras forte occurrentes trucidare, milites ſuos juſſit. Hi populi, quibus eorum Sacerdotes, ſi hanc ſylvam excidere auſi forent, Numinum ſuorum vindictam comminati fuere, non ſine ingenti ſtupore Polonos milites minime læſos conſpexerunt. Quapropter de ſuis Diis diffidere cæperunt, & quidem ex Samogitarum Primoribus unus Regem allocutus, quia, inquit, Dii noſtri adeo imbelles atque inermes fuere, ut a Deo Polonorum devicti eſſent, nos quoque eorum cultum deſerere, & fortiori Deo adhærere decernimus. Facta hac declaratione Rex populum myſteriis fidei imbui præcepit,

Sæcul. XV. A.C. 1414.

Sæcul. XV. A.C. 1414.

cepit, vel potius ipſemet inſtruxit, incognita enim adhuc erat ejus Miſſionariis hujus Nationis lingua, quam tamen expoſt didicerant. Ipſis quoque Gubernatorem delegit quemdam Baronem Samogitam Religione Chriſtianum, cognomento Kinzgal, atque etiam in celebriori urbis loco Eccleſiam Cathedralem ædificari curavit, pluresque in aliis totius Provinciæ locis fundavit Paræcias. Rebus ita diſpoſitis Ladislaus ad ſua reverſus eſt, proſperum pii conſilii eventum Deo in acceptis referens.

§. C.

Flagellantium Secta in Miſnia.

Gobelin. Perſon. ætat. p. 295. Fleury. l. C. §. 62.

Prodiit hoc anno Milleſimo quadringenteſimo decimo quarto in Sangerhuſa Miſnienſis Marchionatus oppido ingens Hæreticorum turma, qui ſub *Cruci-fratrum* nomine flagellis ſeſe concidentes per orbem diſcurrebant, jactitantes, Sacerdotium Evangelicum, poſtquam ipſi adveniſſent, ob Presbyterorum malitiam a Deo fuiſſe abolitum: Rejecto etiam Baptiſmalis aquæ uſu proprium ſuum ſanguinem ſubſtituebant, quocirca ſe flagris cruentabant: In Sacramento Altaris nec verum Chriſti corpus, nec verum Deum contineri, ſed Presbyterorum *ructum* eſſe blaſphemabant: Confeſſionem peccatorum

rum Sacerdoti deponendam & S. Abſolutionem contemnebant, eidem flagellationem cum cordis contritione ſubrogantes: Nullum admittebant purgatorium, nec ſuffragia pro defunctis: Nullius diei feſtivitatem celebrabant niſi Dominicæ, Nativitatis Chriſti, atque Aſſumptionis B. V. Mariæ. De his erroribus pluribusque aliis Hæretici iſti per Henricum Schonefeldium Theologiæ Doctorem atque Inquiſitorem convicti, & ad rogum damnati in dicto oppido Sangerhuſa combuſti ſunt. Sæcul. XV. A.C. 1414.

§. CI.

Joannes Pontifex Mantua Bononiam profectus.

Omnibus igitur pro celebranda Conſtantienſi Synodo communi conſenſu inſtructis, Joannes XXIII. atque Imperator Sigismundus ab invicem diſcedunt, præſtituto tempore ad colloquium redituri. Interea Mantuam petit Pontifex, ubi etiam cum Joanne Franciſco de Gonzaga Amico ac Protectore ſuo hyemem exegit. Proximo autem Vere Bononiam rediit, ſecuritati ſuæ adverſus Ladislaum conſulturus, qui valido exercitu toti Italiæ terrorem incuſſit, & Bononiæ Papam obſeſſurus videbatur. Hoc perterriti Cardinales omnia jamjam ad *Niem. in vita Joan. XXIII. Anton. tit. 21. c. 6. §. 1.*

Sæcul. XV. A C. 1414.

fugam parata tenebant. Nec minor erat metus, quo ipsemet contremuit Joannes, parum auxilii a Bononiensium fide sibi pollicitus, utpote quos antea acerbius habuit. Ideo novas conscripsit copias, Ladislao occursurus, & se suaque defensurus. Verum omnes isti conatus omnino inanes, atque impares fuissent exercitui adeo in bellicis exercitato, necnon recenti sua victoria inflato, præsertim sub tali tantoque duce, cui furor ac iræ impetus novos injecerat stimulos, nisi ipse Deus inopina morte Ladislaum intercepisset, & quidem morte, quæ suorum scelerum, ac vitæ in omnem licentiam effusæ effectus, simulque pœna fuit. Joannes Papa accepto obitus hujus nuncio non modica afficiebatur lætitia, cum a potentissimo hoste sese expeditum videret.

§. CII.

Ladislai Regis extrema.

Raynald. ann. 1414. n. 5. 6. Niem. in vit. Joan. XXIII. cap. 39.

Ladislaus, dum iter suum prosequitur, Bononiam invasurus, gravissimo corripitur morbo, quem, ut nonnulli volunt, contraxit ex poculo sibi a quadam Perusini Medici filia propinato, hanc Rex immodico deperibat amore, quem, ut hæc fœmina in se adhuc ardentiorem redderet, id philtro efficere ausa est. Historicorum

corum aliqui addunt, illam a Florentinis, quibus hujus Principis fides atque sinceritas semper suspecta esset, auro fuisse corruptam. Ladislaus incognito hoc morbo se pressum sentiens, ingravescente indies malo Romam delatus, inde maritimo itinere Neapolim transvehitur, ubi etiam paulopost die sexta Aprilis in flore ætatis suæ, atque in medio secundæ fortunæ cursu vitæ suæ stadium absolvit, nonnisi quadragesimo ætatis, vigesimo autem quarto Regni sui anno. Sæcul. XV. A. C. 1414.

§. CIII.

Joanna Regni Neapolitani hæres.

Igitur Ladislao sine prole defuncto, Princeps Joanna, alias dicta Joannella ejusdem Soror, & Guilielmi Austriaci vidua, tum annos quadraginta quatuor nata Regina salutatur, quæ tamen Regiminis sui gloriam non levibus obscurabat maculis, cum vitæ licentia fratrem suum omnino excederet, quo factum, ut Arragonenses Neapolis Regnum vi occuparent. Proceres Regni Joannæ intemperantiis modum posituri, eam ad nuptias cum Jacobo Borbonio, Marchiæ Comite, ex regia Franciæ prosapia orto ineundas compellunt; Hic vero arrogantiam, ac corruptos conjugis mores ulterius ferre impotens, in Gallias se recepit, ubi paulo-

Sæcul. XV. A. C. 1414.

post in Conventu Vesuntino in Burgundiæ Comitatu S. Francisci habitum induit.

§. CIV.

Dubia mens Joannis Papæ.

Bzov. an. 1413. n. 29.

Ingenti equidem gaudio Ladislai fatum Pontificem repleverat, attamen idipsum ejus animum inextricabili perplexitatum labyrintho involvit; dubius enim hærebat, quid de futura Synodo decerneret? Flagrabat desiderio redeundi Romam, civibus ejus adventum communi voto præstolantibus, nihilque magis exoptantibus, quam Papæ præsentiam ejusque præsidium, ut tandem Neapolitanorum jugo exonerarentur; ipse quoque hac via suum solium firmatum iri, omnesque Ecclesiasticas ditiones hucusque a Ladislao usurpatas se recuperaturum sperabat.

Reichental cap. 8. & 9.

Nec deerant ejus Consanguinei, atque Amici, qui hoc idem Pontifici consulebant, summoque studio dissuadebant, ne ad Urbem transalpinam atque Imperatori subditam accedens, auctoritatem suam discrimini exponeret. Nec vano etiam augurio præsagiebant, fieri posse, & re ipsa sic factum eventus docuit, ut ad Synodum velut Papa veniret, inde vero ut privatus rediret Clericus. Ex altera vero parte, cum haud amplius Ladislai violentias

tias prætexere posset, nil sibi reliquum cernebat, quo se a servanda fide Sigismundo data eximere posset. Sæcul. XV. A.C. 1414.

§. CV.

Pontifex a Cardinalibus Constantiam venire rogatus.

Cum Cardinales reformationem a se tantopere exoptatam, absente Joanne, nunquam perfici posse, probe intelligerent, illum continuis urgent precibus, ut Constantiam veniret, & Concilio ipsus præesset. Exponebant eidem, agi de proprio ipsius honore ac bono, necnon de universalis Ecclesiæ utilitate; nullum huic rei subesse periculum, quoniam post Concilii Pisani acta, nemine reluctante ab omnibus verus, & legitimus Pontifex foret habendus, atque ut talis etiam Constantiæ agnoscendus; imo ipsum Papatus sui jura firmaturum, cum illi, qui hucusque Pseudo-Papis aliqualem detulissent obedientiam, intra breve tempus ab eis defecturi essent. His addebant, temporalia negotia facile suis Ducibus atque Vicesgerentibus commendari posse, relicta cuidam eorum Romanæ Urbis Præfectura. *Raynald. ad ann. 1414. n. 6.*

Sæcul. XV. A.C. 1414.

§. CVI.

Provisiones Joannis ante suum discessum adhibitæ.

Bzov. ad an. 1413. n. 7. 8. 9.

Tandem Joannes Papa post diuturnam animi sui fluctuationem Cardinalium consiliis acquiescit, Romamque mittit Jacobum Insulanum Cardinalem a se creatum, ut Urbis clavum ejus loco tenens, eandem in Pontificis obsequio contineret. Archiepiscopum autem Colocensem ad Sigismundum ablegat, dato negotio, ut Magistratus Constantiensis, præstita Juramenti fide, promitteret, prosecuturum se Joannem honoribus, quibus fas est Romanos Pontifices venerari, illumque pro solo vero culturum Pontifice; permissurum eidem in suos summam exercendæ jurisdictionis libertatem, nilque attentaturum adversus Curiæ suæ adscriptos, nec violaturum liberi commeatus literas, quas ipse vel ejus Thesaurarius concessissent; curaturum, ut Constantiensis territorii itinera libera, atque aditu secura essent, omnesque ad Synodum accedentes vel redeuntes plena securitate gauderent. Hæc patta jurejurando firmata ac subscripta ad Pontificem mittebantur, priusquam Constantiam proficiscereturr, qui eadem post suum adventum innovari præcepit.

§. CVII.

Sæcul. XV. A.C. 1414.

§. CVII.

Fœdus Pontificis cum Friderico Austriæ Duce.

Pontifex magis adhuc, suæ consulturus securitati cum Friderico Austriæ Duce pacem iniit, eidemque justam timoris sui causſam exponens, illius auxilium imploravit. Hic Pontifici pollicitus est, se illum Constantiæ apud omnes atque adversus quoscunque defensurum, eique, quando vellet, liberum ex urbe discessum, semper procuraturum, ea tamen lege, ut Joannes Duci quotannis sex aureorum millia numeraret, eique supremum exercitus sui imperium committeret. *Gerard. de Roo. de reb. Austr. l. 4. c. 136.*

§. CVIII.

Cardinalis Vivarienſis jussu Pontificis Constantiam profectus.

Cunctis ita provide dispositis Pontifex, antequam ipsemet veniret, Joannem de Broniaco Ostiensem Episcopum, alias Cardinalem ab Episcopatus sui Urbe Vivarienſem dictum Constantiam præmittit, ut pro celebranda Synodo cuncta, quæ necessaria essent, cum Sigismundi Commissariis atque Urbis Magistratibus disponeret. Venit Cardinalis mense Augusto Constantiam. Hujus Viri natale so- *Naucler Gener. 48. p. 435.*

Sæcul. XV. A.C. 1414.

lum erat Brogniacum prope Annecium Sabaudiæ oppidum, Cambrium inter & Genevam ſitum; in primis ætatis ſuæ annis ſubulcum agebat, ad purpuram vero ſolo meritorum ſuorum ſuffragio aſcendit; Illum Clemens VII Anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo tertio Cardinalem Presbyterum tit. S. Anaſtaſii creavit, & Benedictus XIII. Anno ſupra milleſimum trecenteſimo nonageſimo octavo Oſtienſi præfecit Eccleſiæ, cui Vice-Cancellarii S. R. E. dignitas annexa eſt. Cum autem hunc Pontificem a reddenda Eccleſiæ pace alienum eſſe perſpiceret, cum aliis Cardinalibus ab eo diſceſſit, atque ad Piſanum ſe contulit Concilium. Anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo decimo ad Archiepiſcopatum Arelatenſem vocatus eſt, ſemper tamen Cardinalis Vivarienſis appellabatur. Vacante ſacra Sede ipſe Concilio præfuit, ac poſtea Martinum V conſecravit. Demum etiam Genevenſis Epiſcopatus adminiſtrationem, defuncto Joanne Curtacoxa, obtinuit.

§. CIX.

Papa Bononia Conſtantiam profectus.

Tandem Pontifex, invitus licet, Conſtantienſi itineri ſe accingens, die prima Octobris Bononia diſcedit, nobili comitatu,

mitatu, ac pretiosa suppellectili, gemmis, argento, & vestibus bene instructus, ut pompa suae dignitati congrua compareret, manuque liberali dona effunderet. ac primum quidem Veronam, postea Tridentum, demum Tyrolim transiens Merani in Curiensi Diœcesi substitit, ibi enim Fridericus Austriæ Dux agebat, quocum fœdus, cujus mox meminimus, firmavit, Bulla hanc in rem die decima quinta Octobris condita. Tandem delatus Creuzlingam, quæ uno lapide Constantia distat, Mitram Abbati Monasterii S. Udalrici concessit. Sæcul. XV. A. C. 1414.

§. CX.

Papa Constantiam solemniter ingressus.

Die vigesima octava Octobris Joannes Papa novem duntaxat circumdatus Cardinalibus (cum circiter triginta tres adesse debuissent) ingenti tamen Archiepiscoporum atque Episcoporum numero, omnique ferme aulico ministerio Constantiam equo vectus ingreditur. Ubi a Clero & Magistratibus, qui eum ad Palatium Episcopale deducebant, magnifica prorsus pompa excipiebatur. Tum tanta hominum frequentia ad Constantiensem confluebat urbem, ut triginta equorum millia uno eodemque tempore *Reichental. p. 13. Onuphr. p. 269.*

Sæcul. XV. A.C. 1414.

recenserentur, ex quo hominum infinitam pene multitudinem conjicere licet, quorum major adhuc numerus tractu temporis supervenerat.

§. CXI.

Solemne Concilii principium ad tertiam, demum ad quintam Novembris diem remissum.

Vander Hardt tom. 4. p. 10.

Equidem prima Joannis sollicitudo eo abiit, ut solemne Concilii principium, quod ad diem primam Novembris decretum erat, celebrandum confirmaretur; Ast occurrente Sanctorum omnium, & Commemorationis Fidelium festivitate illud ad tertiam ejusdem Mensis diem prorogari, ac per Zabarellam Cardinalem Florentinum, dicta die inchoandum promulgari fecit. Hac ipsa dilatione prima Sessio assistentium numero celebrior facta est; secunda enim hujus Mensis die sex adhuc Cardinales advenerant, eodemque die duodecim creati fuere Auditores Rotæ, qui ad Ecclesiam S. Stephani deducti sunt, ubi tribus in hebdomada diebus de caussis Ecclesiasticis cognoscerent, jusque dicerent. Tandem, ut omnibus ad hanc Synodum vocatis amplius accedendi concederetur temporis intervallum, Sessio ad quintam diem Novembris dilata fuit.

§. CXII.

Sæcul. XV.
A. C. 1414.

§. CXII.

Joannes Huſſus Conſtantiæ.

Acceſſerat tertia Novembris die Conſtantiam Joannes Huſſus, liberi commeatus literis munitus a Sigismundo Imperatore ſibi ex Civitate Spirenſi transmiſſis, quasque die vigeſima ſecunda Octobris Norimbergæ acceperat. Sigismundus, ejusque frater Wenceslaus eidem itineris comites dedere Joannem Chlumæum, Henricum Lazembogium, & Wenceslaum Dubam Nobiles Bohemos, atque Huſſi protectores. *Idem. p. 12. Theob. Joan. Huſſi vita p. 21.*

§. CXIII.

Concilium die quinta Novembris inchoatum.

Præſtituta igitur die quinta Novembris Synodo ſolemne datum eſt auſpicium, quamvis nec Imperator, nec S. R. I. Electores, nec etiam Regum ac Principum Legati, ac Benedicti XIII. & Gregorii XII. Oratores adhucdum veniſſent. Papa comitantibus quindecim Cardinalibus, tribus & viginti Archiepiſcopis, viginti ſeptem Epiſcopis, duobus Patriarchis, atque ingenti Abbatum numero, univerſo Urbis Clero inter totius civitatis campanarum ſtrepitus ad Cathedralem proces- *Labe. Conc. tom. 12. p. 9. Dacher ap. Vander Hardt tom. 4. part. 1.*

Sæcul. XV. A. C. 1414.

proceſſit Eccleſiam; Ubi rem divinam de Spiritu ſancto Pontificali ritu peregit, quam excepit ſermo cujusdam Theologiæ Doctoris Benedictini; hoc finito Franciſcus Zabarella Cardinalis Florentinus, utpote ceteris junior, juſſu Pontificis, atque approbante Concilio Seſſionem proximam die decima ſexta hujus Menſis, quæ erat feria ſexta, celebrandam indixit, cujus rei publicum Joannes de Scribanis Procurator fiſcalis ſibi tradi petiit inſtrumentum. Intermedio hoc tempore Pontifex a Cardinale Inſulano Romanæ Urbis Præfecto literas accepit, quibus a ſe reſtauratam Pontificis auctoritatem, ac Petrum Macchenzium civitatis uſurpatorem Roma expulſum fuiſſe ſignificabat; accepto hoc nuntio Joannes, totaque ejus Curia ingenti efferebatur lætitia.

§. CXIV.

Quorumdam Cardinalium, & Magni Rhodiorum Magiſtri adventus.

Bzov. n. 53. Hujus rei fama delata eſt Conſtantiam per quinque Cardinales, qui unacum pluribus Archiepiſcopis, aliisque Nobilibus Viris advenerant. Eadem adhuc die ſummus Pontifex congregationem celebravit, in qua publicam gratiarum actio-

actionem solemni supplicatione Deo exsolvendam decrevit. Dicta die, scilicet decima Novembris Patriarcha Constantinopolitanus, & Magnus Rhodiorum Magister Constantiam ingressi sunt. Sæcul. XV. A. C. 1414.

Omnes certatim ad Concilium confluebant, aut saltem eo venire pro viribus allaborabant. Parisiis quoque occasione hujus Synodi decima Novembris die solemnia coacta fuere comitia, in quibus de eligendis Deputatis, qui ad Synodum mitterentur, deliberatum fuit, simulque definitum, quid subsidii unicuique eorum durante absentia ad victum aliaque necessaria assignari deberent. *Marten. Thes. nov. anecdot. tom. 2. p. 1539.*

§. CXV.

Specialis Congregatio ante primam Sessionem.

A quinta usque ad decimam sextam Novembris, quæ dies erat indicta pro prima Sessione, plures Congregationes celebratæ fuerunt, in quibus de ordine servando, & de materiis postea discutiendis consultatum fuit. Harum nonnullis ipse Pontifex adstitit. Ast Congregationi non interfuit die duodecima Novembris habitæ, in qua scriptum aliquod instrumentum recitabatur, plures articulos de securitate ac Concilii libertate complectens, declaransque, nominandos esse *Vander Hardt tom. 4. p. 14.*

Promo-

Sæcul. XV. A.C. 1414.

Promotores, ac Procuratores, qui unionem Ecclesiæ ejusque reformationem promoverent; his adjungendos esse ex qualibet Natione idoneos Doctores, qui tempore Sessionibus intermedio, diebus fixis convenirent, omnesque, quibus aliqua proponenda occurrerent, percipe-rent, de auditis vero Patres post Promotorum relationes in subsequentibus sessionibus deliberarent. Denique ad colligenda suffragia eligendos esse Prælatos, unacum quibusdam Notariis, & priusquam de reformatione tractaretur, ante omnia agendum esse de unionis negotio. Cuncta hæc complectebatur prima illius instrumenti pars, quæ in Congregatione sequenti die decima quinta ejusdem Mensis habita summo Pontifici exhibita est. Altera vero illius pars articulum de cessione Pontificatus spectabat, in qua declaratum, Joannem XXIII, si id Synodus pro bono Ecclesiæ necessarium duxerit, ad Papatus cessionem teneri. Hic tamen articulus celabatur Pontifici, Patres enim haud temere suspicabantur, hunc ab illo utpote proposito suo contrarium nunquam approbatum iri.

§. CXVI.

Supplex libellus in alia Congregatione Pontifici porrectus.

Onuphr. p. 246.

Joannes articulos primæ partis præsentis instru-

instrumenti approbavit, eoquod consen- Sæcul. XV.
tirent actis Pisanæ Synodi, quam Papa A.C. 1414.
a Constantiensi Concilio nonnisi continuari affirmabat, id enim, ut de novo hoc Concilio teneret, privati sui commodi ratio suadebat, non enim alio ex fine Constantiam venit, quam spe fretus, in hac Synodo auctoritatem suam contra binos Antipapas Pisis nuper depositos firmatam iri. Quapropter præcipuus in eo erat, ut omnia Pisani Concilii acta auctoritate firmarentur, decreta illius quovis modo executioni darentur, & tunc demum reformationi Ecclesiæ incumberetur. Hæc Pontificis consilia non minus erant speciosa, quam ejus votis congrua, quibus suum Papatum firmius stabiliret, cum enim Pisanum Concilium fuisse legitimum, atque Universalem repræsentasse Ecclesiam, Prælatorum nullus dubitaret, pronum erat inferre, nec Joannis XXIII. electionem ab iisdem ullatenus dubiam haberi, eoquod Alexander V illius Prædecessor canonice electus, atque ambo illi Antipapæ exauctorati, ac tanquam schismatici declarati fuissent. Hinc æquitas postulare videbatur, ut Patres, sicut in præcedentibus schismatibus solitum erat, nunc quoque illi, quem Ecclesia per Generale Concilium repræsentata veneraretur, tanquam vero ac legitimo Pontifici accederent, atque ad

detur-

Sæcul. XV. A.C. 1414.

deturbandos illius æmulos opportuna media quærerent. Verum longe alia Constantiensium Prælatorum erat intentio. Hoc die, quo præsens celebrabatur Congregatio, Cardinalis Barensis Constantiam salutavit.

§. CXVII.

Sessio I. Concilii Constantiensis.

Labbe Conc. tom. 12. p. 10.

Postera vero die, prout indicta fuerat, habita est Sessio prima. Hanc auspicabantur Patres a Missa de Spiritu sancto, qua per Cardinalem Jordanum ab Ursinis celebrata, Prælati omnes Pontificalibus ornati suas occupabant sedes, & decantata quadam Antiphona Patres simul omnes submissa voce orationem subjungebant, decantatis postea Litaniis cum Hymno de Spiritu Sancto. Quibus finitis Prælati surgentes, Mitras quisque suas imponebant, tum vero quidam Episcopus suggestum conscendens, Decreta in Sessione condenda perlegebat, ad quorum lectionem Præsides cujuslibet Nationis, scilicet Italicæ, Gallicæ, Germanicæ, atque Anglicæ respondebant: *Placet.* Postmodum Hymnus *Te Deum* &c. cantabatur. Ipse summus Pontifex huic Sessioni præfuit, habuitque sermonem, textu ex Propheta Zacharia cap. 8. v. 16. desumpto. *Loqui-*

mini

mini veritatem unusquisque cum proximo suo, veritatem & judicium pacis judicate in portis vestris. Denique Cardinalis Zabarella legit diploma convocationis Concilii a Joanne Papa factæ, quidam vero Secretarius Apostolicus alta voce ejusdem recitavit Bullam; decemque nominavit Notarios, unum Synodi custodem, Auditores Rotæ, quatuor Advocatos, duos Promotores, seu Procuratores, & quatuor Cæremoniarum Magistros, qui cuilibet Patrum suam designarent sedem; postea quemlibet auctoritate Pontificis admonuit, quod si forte alicui juxta dignitatis suæ gradum in Sessionibus competens assignatus non fuisset locus, nullum exinde Ecclesiæ suæ juribus aut personæ prærogativis præjudicium inferri. Tandem ad finem hujus Sessionis recitatus est Canon Toletani Concilii XI. sub Pontifice Adeodato Anno Incarnationis Dominicæ sexcentesimo septuagesimo quinto celebrati, quo omnibus & singulis cujuscunque conditionis inhibebatur, *indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbare, nullis etiam fabulis vanis aut risibus agi, vel obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere;* qui vero prædicta violaverint, cum omni dedecore de consessu expellerentur, lata in eos trium dierum excommunicationis sententia. Dein Sessio se-

Sæcul. XV. A.C.1414.

Cord. Aquir. Concil. Hist. tom.2.p.663.

Sæcul. XV. A.C. 1414

quens a Pontifice indicta fuit ad decimam septimam Decembris diem, Patresque omnibus, quæ paulo ante gesta fuere, approbatis, sessionem solverunt.

§. CXVIII.

Gregorii XII. insignia Joannis jussu dejecta.

Vander Hardt tom. 4. p. 20.

Interea Gregorii XII. & Benedicti XIII. Oratores iter suum prosequebantur Constantiam versus, illisque, qui a Gregorio missi erant, in Augustinianorum cœnobio hospitii locus assignabatur. Cardinalis vero Ragusinus Joannes Dominici, ubi aliquibus leucis ab urbe distabat, quemdam præmisit, qui insignia Gregorii foribus dicti Conventus affigeret. Hoc facto Joannes non parum exacerbatus, sequenti nocte ea dejici jussit. Quod cum Cardinalis graviter acciperet, hac super re Congregatio quædam habita est, in qua tamen suffragantium animis in diversa abeuntibus, nihil decisum fuisse constat.

§. CXIX.

Continuatio caussæ Joannis Hussi.

Reichental p. 203.

Intermedio hoc temporis spatio Joannes Hussius non attentis, quas a Sigismundo

mundo receperat, ſecuritatis literis (*) comprehenſus eſt. Hic antequam Praga diſceſſiſſet, ad Eccleſiarum hujus urbis portas libellum affigere præſumpſit, quo ſignificabat, ſe ad Synodum acceſſurum, ibique ad ſingula accuſationum capita adverſus ſe intentanda reſponſurum, necnon vitæ ac doctrinæ ſuæ rationem redditurum. Mox ab Epiſcopo Nazareno Inquiſitore ſciſcitabatur; num & ipſe contra ſe quædam proponenda haberet? a quo benevolum quidem accepit teſtimonium, cum tamen ad Archiepiſcopi curiam, ubi generalis Cleri conventus adverſus ipſum congregatus erat, ſeſe conferret, denegatus fuit ipſi ingreſſus, Prælatis eum audire renuentibus. Hoc Joannes nequaquam territus, itineri ſe committit, unacum nobilibus illis Viris, quorum ſupra meminimus; affixi quoque ſcripti ſui apographa in omnibus, quas pertranſibat civitatibus, in lingua Bohema & Germanica diſtribuit, publice

Saecul. XV. A.C.1414.

(*) *Quod Sigismundus aut Concilium datam Huſſo fidem publicam violaverit, impudentiſſima eſt calumnia, ab acatholicis vel per grandem inſcitiam, vel per ſummam malitiam fraudulenter conficta, quam Scriptores catholici evidentibus pridem argumentis ſatis ſuperque confutarunt.*

Sæcul. XV A.C. 1414.

publice conteſtatus, ſe ad Concilium iturum, ut innocentiam ſuam vindicaret, ſuisque accuſatoribus ſatis faceret, exhortans eos, ut ſi quid ei objicere poſſent, ſecum ad Concilium venirent.

§. CXX.

Citatus ad Papam & Cardinales.

Vander Hardt tom. 4. p. 21.

Joannes Huſſus, ut ſupra diximus, tertia Novembris die Conſtantiam venit, illucque non multo poſt tempore Stephanus Paletz Theologiæ Profeſſor Pragenſis, atque in eadem Urbe cujusdam Eccleſiæ Parochus Huſſi adverſarius profectus eſt, juncto ſibi alio Parocho, nomine Michaele de Cauſis. Uterque Joanni Huſſo acriter obſiſtebant, parique Zelo animati ſcriptum, quod illius errores complectebatur, Pontifici & Concilii Patribus exhibebant; quo perlecto Joannes Huſſus die poſt adventum vigeſima ſexta ſolemni citatione jubetur, ut coram Pontifice & Cardinalibus compareret. Acceſſit Huſſus comitante Joanne Clumæo amico ſuo, atque in totius conſeſſus præſentia, ſe mori potius, quam alicujus hæreſis convinci velle declaravit, addens, ſe læto animo veniſſe ad Synodum, & protinus, ſi alicujus erroris convictus eſſet, illum abjuraturum.

§. CXXI.

Secul. XV.
A. C. 1414.

§. CXXI.

Joannes Huſſus comprehenſus.

Cardinales hoc reſponſo contenti Huſſum ſub præſidio tamen cuſtoditum dimittunt, & pomeridianis ejusdem diei horis congreſſi, illum in loco ſecuro detinendum decernunt, ne, prout hucusque feciſſet, iterum dogmata ſua ſpargeret. Ergo die ad occaſum declinante Pontificii Palatii Prælato datum eſt negotium, ut Joannem Huſſum in ædes Cantoris Conſtantienſis Eccleſiæ deduceret, in quibus ſub valida cuſtodia detentus permanſit, inde vero circumactis octo diebus ad carceres monaſterii FF. Prædicatorum translatus eſt. *Naucler. gener. 48. Cochl. l. 2.*

§. CXXII.

Huſſus ab Imperatore liberari juſſus.

Joannes Clumæus hanc Huſſi incarcerationem permoleſte ferens ingentes excitavit tumultus, ſuasque hac ſuper re querelas ad Joannem Papam detulit, hic tamen facti hujus ſeſe prorſus inſcium eſſe profitebatur. Clumæus apud Pontificem operam ſe perdere intelligens, ad Sigismundum ſe convertit, qui ſuis Oratoribus, ut Joannis Huſſi libertatem poſtularent, ſcripſit, graviter in ſua epiſtola *Vander Hardt tom. 4. p. 26.*

Sæcul. XV. A.C.1414.

conqueſtus, quod Huſſus libertate, qua vi publicæ fidei ipſi datæ frui debuiſſet, exueretur. Attamen nunquam promptæ deerant rationes, ob quas Oratorum poſtulatis ſatis fieri haud poterat. Præſtolandus igitur erat ipſius Imperatoris adventus, qui primum Menſe Decembri ad finem vergente Conſtantiam ſua honorabat præſentia. Interea vero Joannes Huſſus in carcere hæſit, ubi etiam in morbum incidit, eique ſuos a Papa Medicos fuiſſe ſubmiſſos nonnulli referunt.

§. CXXIII.

Sigismundus Imperator Aquisgrani coronatus.

Vander Hardt to.4. p. 28.

Sigismundus Aquisgrani octava Novembris die in Regem Romanorum atque Imperatorem coronatus fuit, cujus rei felix fama eodem die, quo Joannes Huſſus comprehendebatur, Conſtantiam delata eſt. Theodoricus de Meurs ſeu Morſa Colonienſis Archiepiſcopus ſolemni hoc fungebatur officio; hic ipſe Friderico de

Saverden

Saveria Avunculo ſuo die ſexta Aprilis hujus anni vita functo ſucceſſerat. Ipſius quidem electioni nonnulli ſeſe oppone-

Berg.

bant, Guilielmum de Monte jam antea Paderbornenſem Epiſcopum poſtulantes. Aſt Joannes XXIII Theodorici de Meurs electio-

electionem confirmavit: ex qua discor- Sæcul. XV.
dia satis diuturnum exortum est bellum, A.C.1414.
quod non aliter extinctum fuit, quam Guilielmi promisso, se Paderbornensi Episcopatui, atque Archiepiscopatui cessurum, suique æmuli neptem uxorem sibi juncturum; hoc demum facto possessio intacta Theodorico permansit.

§. CXXIV.

Accusationum capita adversus Hussum.

Interea contra Joannem Hussum caussa judiciaria Constantiæ mota est, ejusque accusatores libellum supplicem Pontifici exhibent, in quo adversus eum deferunt, quod publice docuerit. I. Populo S.Eucharistiam sub utraque specie esse ministrandam. II. In Sacramento Altaris post consecrationem remanere panem. III. Sacerdotes in statu peccati mortalis constitutos Sacramenta administrandi potestatem amittere, econtra vero quemlibet in statu gratiæ positum ea ministrare posse. IV. Nomine Ecclesiæ non intelligi Papam, vel Clerum; Ecclesiam bonorum temporalium dominium habere non posse; & Dominos temporales pro suo arbitrio ea aufferre valere. V. Constantinum, aliosque Principes errasse, quod Ecclesiam dotassent. VI. Omnes Sacerdotes potestate æquales esse, proin

Sæcul. XV. A.C. 1414.

ordinationes, & casus Papæ vel Episcopis reservatos nil nisi eorum ambitionis esse effectus. VII. Ecclesiam, quando Papa, Cardinales, Episcopi, totusque Clerus in peccato mortali constituti forent, potestate clavium destitui. Tandem VIII postulabatur de contemptu excommunicationis, eoquod toto sui itineris tempore omni die Sacrum celebrasset.

§. CXXV.

Commissarii ad instruenda judicii acta nominati.

Vander Hardt tom. 4. p. 23. oper. H. tom. in fol. 7.

Hisce expositis designantur Commissarii, acta judicii contra accusatum instructuri. Id negotii datum est Patriarchæ Constantinopolitano, aliisque duobus Episcopis. Hi igitur testes audiunt, jusjurandum recipiunt, eorumque testimonia conscribunt, atque illa ad Joannem Hussum in suo carcere infirmum deferunt; Hic ad defensionem caussæ suæ Advocatum petiit, sed id fieri posse denegatum est, cum ex præscripto Canonum neque pro hæretico dicere, neque ejus caussæ patrocinium suscipere liceret. Tribus hisce Commissariis ad percipiendas testium depositiones nominatis adjuncti fuere plures alii, captivi hujus libros examinaturi, nimirum, inter Cardi-

nales

nales Cameracenſis, Sancti Marci, Brancatius & Florentinus, Frater Leonardus de Florentia FF. Prædicatorum Magiſter Generalis, & FF. Minorum Generalis Miniſter Fr. Antonius de Pareto cum aliis ſex Doctoribus. Nihilominus Joannes Huſſus in mediis hujus tempeſtatis fluctibus tranquillitate mentis potitus, carceris ſui tædium plurium opuſculorum elucubratione lenire conabatur; ſcripſit enim ibi libros de Matrimonio, de Decalogo, de dilectione & cognitione Dei, de pœnitentia, de tribus hoſtibus hominis, de Cœna Domini, aliosque, quorum in ſuis epiſtolis meminit. Secul. XV. A.C. 1414.

§. CXXVI.

Adventus plurium Illuſtrium Virorum ad Concilium.

Menſe Decembri multi Proceres tam Eccleſiaſtici quam ſæculares Conſtantiam delati ſunt, inter alios Comes Cilleienſis Socer Imperatoris; Alberti Auſtriaci, qui ejusdem Gener erat, Oratores; Petrus de Alliaco Cameracenſis Epiſcopus, Genuenſis, & Viennenſis Archiepiſcopi, Epiſcopus Ratisbonenſis, Archiepiſcopus Rigenſis, Legati Angliæ numero ſex, Sarisberienſis, Bathonienſis & Herfordienſis Epiſcopi, Abbas Weſtmo- *Idem pag. 21*

Sæcul. XV. A. C. 1414.

nasterienſis, Vigornienſis Prior, & Varvicenſis Comes.

§. CXXVII.

Libelli in quadam particulari Congregatione oblati.

Bzov. ann. 1414. p. 382. col. 2.

Die ſeptima Decembris habita eſt Cardinalium Congregatio, in qua unionis ac reformationis negotium ingenti ardore agitatum fuerat. Nonnulli Cardinales Itali Joannis obedientiæ addicti primum porrigebant libellum, Cardinalis Cameracenſis alterum, & tertium denique reliqui Cardinales. Priores poſtulabant Concilii Piſani confirmationem atque illius executionem, hacque via non parum Pontificis commodo conſulebant, utpote qui ipſo hoc facto electionem ejus approbari poſtulabant, quod Joannes unice in votis habebat. Aſt Cardinalis Cameracenſis, qui abs dubio de ſcriptis Italorum petitis ſecretam habebat notitiam, in ſuo libello docebat, ex eo quod Piſanum Concilium in omnium ſententia legitimum, pro unico fine ſibi præfixiſſet unionem Eccleſiæ hucusque non obtentam, omnes Prælatos, ac ipſum quoque Pontificem non ſolum vi Piſanæ hujus Synodi, ſed ex ipſo naturali & divino jure obſtrictos eſſe, ut cuncta promoven-

movendæ hujus unionis media, eaque magis opportuna inquirerent; eos vero, qui contrariam tuerentur ſententiam, eo ipſo ſchiſma nutrire, fore convictos. Quibus ſubjunxit, Concilii Conſtantienſis auctoritatem nullatenus a Piſano dependere, nec opus eſſe, ut illud ab iſto confirmaretur. Scriptus eſt libellus iſte prævio quorumdam Gallorum Præſulum conſenſu, quibus clandeſtina Joannis Papæ molimina ad diſſolvendum Concilium excogitata, optime perſpecta erant. Tertius denique libellus nil niſi meram complectebatur Satyram, in qua mores, ac Joannis vita tacite carpebantur, ſeu potius erat ſchema omnium boni Pontificis obligationum, eo artificio expoſitarum, ut legentes facile intelligerent, Joannis XXIII. vitam moresque illis e diametro oppoſitos eſſe. Sæcul. XV. A.C. 1414.

§. CXXVIII.

Alia Congregatio de unionis negotio.

Menſe Decembri ad medium vergente alia adhuc habebatur Congregatio, in qua idem unionis negotium iterum agitari cæpit. Cum vero plurium Cardinalium ſententia eo abiret, ut juxta Piſani Concilii mentem in Petrum de Luna & Angelum Corarium ibidem legitime exauctoratos ulterius legibus procederetur; *Vander Hardt tom. 2 p. 193.*

Sæcul. XV. A.C. 1414.

tur, Cardinalis Cameracenſis alium produxit libellum, ut hanc viam ſummis periculis obnoxiam, nulloque modo ineundam oſtenderet. Idem auctor fuit, ut potius utrumque Antipapam ad voluntariam ceſſionem pro bono pacis amplectendam inclinare, ac tandem unicuique honorificum in Eccleſia officium, quo quivis eorum contentus eſſe poſſet, conferre ſatagerent. Diſſolvebat ſimul, quæ contra hanc viam moveri poſſent, difficiliora, demonſtrans, in ejusmodi pacta citra iniquitatis aut ſimoniæ notam cum Viris, qui tanquam ſchismatici denunciati eſſent, conveniri, eisque pro actu ceſſionis munera offerri poſſe, quin exinde Piſano derogaretur Concilio. Inſuper ſuum Imperatori jus aſſeruit, vi cujus hic præprimis ſchiſmatis tempore Concilium cogere valeret, ex eo, quod eſſet Eccleſiæ defenſor: inde vero intulit, impræſentiarum non agi de approbanda Piſana Synodo, ſed ut audirentur utriusque Competitoris Oratores, & Principum iis addictorum legati; nec via facti procedendum eſſe, donec amicabilis compoſitio fruſtraneo prorſus ſucceſſu tentata, atque ipſi de contumacia convicti eſſent.

§. CXXIX.

Sæcul. XV.
A.C.1414.

§. CXXIX.

Adventus Legatorum Franciæ.

Secunda Seſſio die præſtituto decimo ſeptimo Decembris habita non eſt, forte, quod Imperatoris adventus exſpectaretur, ejusdemque præſentia Patribus gratiſſima foret. Plusquam trimeſtre abiit, quin ulla celebraretur Seſſio publica, ſed tantum quædam particulares cogebantur congregationes. Præterlapſo autem hoc temporis intervallo Franciæ Legati comitantibus plurimis ejusdem Nationis Præſulibus advenerant, ingenti pompa excepti; quamvis exterorum Cardinalium nullus illis obviam proceſſerit, excepto Vivarienſi, cum hic ampliſſimos in Galliis perciperet reditus.

§. CXXX.

Sigismundus Imperator Conſtantiæ.

Non multo poſt ipſe etiam Imperator advenerat, qui vigeſima quarta Decembris pridie Natalis Domini Überlingæ, quæ uno lapide Conſtantia diſtat, diverterat. Joannes Clumæus comperto Imperatoris adventu pluribus in locis, per quæ tranſire debebat, libellum latino & Germanico idiomate conceptum affigit, in quo de geſtis adverſus Joannem Hus-

Vander Hardt tom. 4 p. 28. Naucler. gen. 48. p. 437

ſum

Sæcul. XV. A. C. 1414.

sum graviter conqueſtus, Prælatis, omnibusque hujus facti complicibus extremam Cæſaris indignationem audacter comminatur. Verum Sigismundus parum ea curaſſe videtur. Itaque eadem adhuc nocte navim conſcendens cum Barbara Cilleienſi Comitiſſa ejus conjuge, Eliſabetha Boſniæ Regina, Rudolpho Saxoniæ Rege, Anna de Würtemberg pluribusque aliis primariis utriusque ſexus Nobilibus circa quartam vel quintam horam ſummo mane Conſtantiam ingreſſus eſt; ibique ſomno pauliſper capto Cathedralem acceſſit Eccleſiam, in qua, cum ſacra iſta nocte ſummus Pontifex Cæſaris adventum præſtolatus primum Miſſæ ſacrificium ſolemni ritu perageret, Imperator habitu Diaconi indutus adſtitit, eoque ſacro officio fungens cantavit Evangelium ex capite 2. ſancti Lucæ deſumptum, *Exiit edictum a Cæſare Auguſto* &c. Re divina peracta Pontifex Imperatori gladium obtulit, adhortans, ut eundem ad defenſionem Eccleſiæ ſtringeret. Sigismundus tunc temporis nonniſi quadrageſimum ſextum ætatis annum agebat, Princeps magni ingenii, naturali eloquentia præditus, literatorum Virorum fautor, atque expedita latini ſermonis facilitate clarus. Hujus quoque ingens erat fidei, & unionis Eccleſiæ ſtudium, cujus præclara in hoc ipſo Concilio edidit ſpecimina.

§. CXXXI.

§. CXXXI.

Sæcul. XV.
A. C. 1311.

Congregatio præsente Sigismundo celebrata.

Quarta ab adventu suo die, scilicet vigesima nona Decembris habita est Congregatio generalis, quam ipse Cæsar præsentia sua cohonestabat. Aderat quoque Pontifex cum suis Cardinalibus atque Prælatis. Hos Sigismundus de cunctis, quæ cum Benedicto XIII. & Gregorio XII. egisset, edocens, Synodi Patres eo induxit, ut horum Nuncios necnon Principum eisdem obsequentium Legatos exspectarent. Simulque eis exposuit, sua opera Ferdinandum Arragoniæ Regem, & Benedictum Papam post varias consultationes fuisse inductos, ut promitterent, se cum illo Niciam in Provincia proximo Mense Junio adituros, ubi de mediis ad reddendam Ecclesiæ pacem opportunis conferrent. His addidit, se eundem Gregorio animum inspirasse. Quibus finitis in eadem Congregatione nominati fuere Cardinales, qui de omnibus ad prosequendam Synodum requisitis deliberarent. *Vander Hardt tom. 4 p. 31.*

§. CXXXII.

Bellum Regis Galliæ adversus Burgundiæ Ducem.

Damnata Parisiis pernicioſa Joannis Par- *Juv. Ursin. Hist. Car. VI p. 277.*

Sæcul. XV. A.C. 1414.

vi doctrina, Carolus VI. Galliarum Rex Ducem Burgundiæ tanquam juratum regni hostem omnibus viribus persequi statuit. Ergo ad Ecclesiam S. Dionysii se confert Auriflammam accepturus, dein nobiles primariæ ac secundariæ clientelæ cohortes edicto ad castra vocat, atque urbe Compendiensi obsidione cincta, Suessionensem vi occupatam militum suorum deprædationi cedit, illiusque Præfectum, Bournovillum nomine, capite truncari jubet. Tam subita utriusque civitatis expugnatio non modicum rebelli Burgundo incussit terrorem, quem auxit comperta Philippi Nivernensis Comitis fratris sui subjectio, qua se suaque Regi subjecit. Igitur Comitissam de Hanonia sororem, & Antonium Brabantiæ Ducem itidem fratrem suum ad Regem decernit, supplices, ut eadem, qua nuper Nivernensem, ipsum quoque venia donaret. Quibus Carolus Rex benigne respondit, se suam Burgundo, si venire vellet, gratiam impensurum, eique, quamcunque peteret, securitatem præstiturum, si vero viam justitiæ experiri mallet, secundum justitiæ leges caussam esse decidendam, sin Regis clementiam imploraret, tam abundantem, tamque copiosam eidem fore concedendam, qua plenius votis suis satisfactum iri haud sperare potuisset. Tam benevolo Regis responso Comitissa & Brabantiæ

bantiæ Dux admodum læti ad fratrem rediere. Interea vero Rex victricia ſua arma circumferens Peronam, & Bapalmam, quæ aliquantulum reſtitit, deditione facta occupat. Dein Atrebatum expugnare aggreditur, quam urbem Petrus de Lucemburgo cum quadringentis militibus præſidiariis, quos ipſi Burgundiæ Dux nuperrime ſubmiſerat, ſtrenue propugnavit. Poſtquam autem quædam Burgundi legio incautius ex arce erumpens, adverſo Marte pugnaſſet, atque eorum plurimi qua cæſi, qua capti eſſent, Regis exercitus, confeſtim accurrens, reſiduo obſeſſorum manipulo omnem ſubſidii ſpem intercluſit. Comitiſſa de Hannonia, & Brabantiæ Dux, cum fratrem ſuum ad extremas redactum anguſtias viderent, Regis animum ut delicti veniam eidem concederet, iteratis precibus pulſant, nomine Ducis quodvis obſequii genus ſpondentes. Carolus tam benigne horum preces excepit, ut ex illo temporis articulo non niſi de pace mentionem fieri pateretur. Sæcul. XV. A.C. 1414.

§. CXXXIII.

Pax utrinque compoſita.

Ergo unacum Hannoniæ Comitiſſa, & Brabantiæ Duce conditiones pacis firmantur, quas ad ſe transmiſſas Bur-

Sæcul. XV. A.C. 1415.

gundiæ Dux omnino ratas habuit. Vi harum Atrebatum se Regi subjiciat; & vexillis regiis super urbis portas explicatis omnes incolæ fidei sacramento se eidem obstringant; Petrus de Luxemburgo exercitus imperio exauctoretur, & dimissis Burgundi Ducibus regii substituantur; sit generalis præteritarum injuriarum oblivio, qua tamen non fruantur quingenti ex Burgundiæ Ducis factione nominatim describendi. Pax ista Lutetiæ publicata ad præcipuas regni urbes transmissa fuit. Attamen haud diu firma subsitit.

§. CXXXIV.

Colloquium Deputatorum cum Imperatore.

Vander Hardt tom. 4 p. 32.

Deputati nuper die vigesima nona elapsi Mensis Decembris a Congregatione selecti, prima Januarii anni præsentis millesimi quadringentesimi decimi quinti conventum agunt, ut cum Imperatore deliberarent de mediis, quibus libertas, securitas, bonus ordo, loci commoditas, alimenta, & Concilii firmitas promoveretur. Horum prudentiæ debetur, quod, quamvis ferme centum millia peregrinorum Constantiam confluerent, atque aliunde hujus Urbis ambitus non admodum spatiosus foret, tamen vix ullæ

ullæ audirentur querelæ, quibusvis vitæ alimoniis juſto pretio venalibus, nec quoquam penuria preſſo. Conſtitutis politiæ œconomicæ legibus Patres ad cauſſas Eccleſiæ animum adjiciunt, rogantque Commiſſarii Cæſarem, ut libere adverſus Joannem Huſſum ipſis agere liceret, verebantur enim, ne fides publica ipſi a Sigismundo data, remoram objiceret, Annuit tamen Imperator eorum votis, declaravitque, quod Concilium in materiis fidei plena potiretur libertate, & juxta S. Canonum præſcripta adverſus eos, qui de hæreſi notorie ſuſpecti eſſent, procederet, eosque ſecundum ſua merita, poſtquam examinati, probatique fuiſſent, judicaret, additque, ſe comminationes, quæ in favorem Joannis Huſſi per libellos in quibusdam locis affixos divulgabantur, executioni mandari vetuiſſe, ſique neceſſitas poſceret, iterato prohibiturum, ex quo Sigismundum mentem ſuam mutaſſe (*) colligitur. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CXXXV.

(*) *Dici debuiſſet, EXPLICASSE, nempe declaravit Sigismundus, nunquam ſe datis ſecuritatis publicæ literis hæretico convicto, & contumaci criminis ſui impunitatem concedere voluiſſe, cum hoc alias non ſolum S. Canonibus, ſed ipſi juri divino ſumme oppoſitum noſſet.*

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

§. CXXXV.

Bohemiæ Procerum epistolæ ad Sigismundum pro Hussо,

Vander Hardt ibid.

VIX Pragæ de Joannis Hussi detentione fama percrebuit, cum illico ingens inter omnes Regni Proceres oriretur commotio; iteratis ad Imperatorem literis illius liberationem postulant, innocentem deprædicant, argumento petito ex Conradi Archiepiscopi testimonio, cujus autographum Cæsari transmittunt. Nec hoc mirum videri debet, cum idem Præsul paucos post annos Hussitarum causſam publice tuendam suscepisset. Præterlapso aliquo tempore iidem Nobiles iterum ad Imperatorem perscribunt, ei significantes, nec inter Proceres, nec inter plebem ullum reperiri, qui non sine stupore ac indignatione comperisset, quod summus Pontifex hominem innocentem, violata fide publica, atque insuperhabitis liberi commeatus literis, quas a sacra sua Cæsarea Majestate accepisset, indicta causſa carceri mancipare præsumeret. Verum omnibus hisce epistolis non alius succesſit eventus, quam quod Hussus arctiori carceri custodiendus traderetur, qui postquam apud FF. Prædicatores solido bimestri incluſus hæsit, inde ad Franciscanos translatus fuit.

§. CXXXVI.

Sæcul. XV.
A.C.1415.

§. CXXXVI.

Controversa Joannis Hussi fuga.

Equidem de diversis hisce carcerationibus acta disertis verbis loquuntur, eas tamen cum fuga, quam Joannes Hussus die tertia Martii anno salutis millesimo quadringentesimo decimo quinto attentasse fertur, haud conciliare valeo. Udalricus Reichental Constantiensis Canonicus, & Gerardus Dacherius Electoris Saxoniæ Consiliarius, Auctores coævi, Joannem Hussum e propria sua domo fugam tentasse supponunt, sed his Acta palam contradicunt, ex quibus docemur, quod Hussus ex illo tempore, quo carceri datus fuisset, nunquam amplius quovis modo libertatem consecutus esset. Verum utut res se habeat, percipiamus, quæ scriptores de prætensa hac fuga referant. Igitur Joannes Hussus, cum se diligentiori oculo observari intelligeret, vim sibi inferri veritus periculum fuga evadere meditatur. Conceptum animi propositum executurus, se matutino tempore abscondit in quodam Henrici Latzenbogii curru, quo fænum ex proximo pago advehendum erat. Appropinquante prandii hora Latzenbogius, cujus custodiæ Joannes Hussus concreditus erat, illius absentiam animadvertens, ubique eum

Hist. Conc. Const. Lentfantii tom. 1. p. 56.

Naucler. gener. 48. p. 437.

Sæcul. XV. A.C.1415.

irrito conatu investigat. De illius fuga mæstus Consulem Urbis adit, qui illico portas occludi, & forenses Apparitores fugientem insequi jubet. Interea vero Joannes Hussus in curru latitans deprehenditur, atque ad Latzenbogium ducitur, & ab ipso ad Pontificis Palatium transfertur. Addunt quoque, Joannem Hussum iterati carceris metu denuo fugam tentasse, atque incredibili adstantium multitudini sese immiscere voluisse, sed a Papalibus satellitibus, cognito Hussi consilio comprehensum in Palatio Pontificis arctiori custodiæ traditum fuisse.

§. CXXXVII.

Oratores Petri de Luna & Angeli Corarii ad Synodum.

Vander Hardt to.4. p. 36.

Legatis Benedicti XIII. & Gregorii XII. Constantiæ appropinquantibus, & vix non jam urbem ingredientibus, habita est Congregatio, in qua de modo hosce excipiendi, necnon de dignitatis titulo ipsis attribuendo deliberatum fuit. Pertinax erat disceptatio, an rubro pileo, dignitatis suæ indicio, decorati accedere permitterentur. Imperator & Cardinalis Cameracensis cum majori Patrum numero censebant, quod ejusmodi quæstio a Joanne ejusque fautoribus intempestive

ve mota pacis atque unionis ſtudio longe poſtponenda eſſet. Huic Cæſaris ac Cardinalis ſententiæ ceteri quoque omnes accedebant, & Legatos debito honore recipiendos judicabant, cauſſati, haud ſine periculo fore, ſi importuno hocce probro eorum animi exaſperarentur. Ergo primi ingrediuntur Oratores Benedicti, ſignificantes, Dominum eorum Niciam adire paratiſſimum eſſe, ut de procuranda Eccleſiæ concordia cum Imperatore, & Arragonum Rege conferre poſſet; idem etiam affirmabant Legati Ferdinandi eodem adventantes tempore, cumque Imperatorem invitarent, ut huic colloquio intereſſe dignaretur, ipſe ſe ſub quibusdam conditionibus proximo Menſe Junio acceſſurum ſolemniter pollicitus eſt. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. CXXXVIII.

Acceſſus Electoris Palatini ad Concilium.

Paucis poſt diebus, nimirum decima ſeptima Februarii complures Principes atque Prælati Gregorio XII. obſequentes Conſtantiam delati ſunt. Agmen ducebat Ludovicus Bavarus Elector Palatinus, & Ruperti Imperatoris filius unacum Wormatienſi, Spirenſi, & Verdenſi Epiſcopis, ac Trevirenſis Archie- *Idem pag. 36*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

piscopi Legatis. Hi Constantiam ingrediuntur junctis sibi Gregorii Nunciis, qui, ut ingressui suo ampliorem pompam conciliarent, studiose eos expectabant. Joannes Dominici Cardinalis Ragusinus, qui paulo ante advenerat, rubro pileo capiti imposito præcessit, stipantibus utrinque latera Electore Palatino, atque Prælatis, quos inter etiam Patriarcha Constantinopolitanus Collega suus numerabatur.

§. CXXXIX

Oratores Gregorii ad alloquium admissi.

Idem p. 38. Exiguo post intervallo ad alloquium admissi ab Imperatore interrogantur, an competenti agendi auctoritate instructi forent? utrum Synodum approbarent, atque ad unanimem cum aliis consultationem accedere vellent? Ad primum respondit Cardinalis Ragusinus, habere se satis idoneas mandati literas. Nec verbis ejus suberat dolus, quippe Gregorius Legatis suis Bullam consignavit, qua profitetur, promptissimum se esse ad Papatum vel per se, vel per suos Procuratores abdicandum, dummodo reliqui duo, Benedictus & Joannes pariter prætensis juribus suis cederent, ad ceteros vero duos articulos quod attineret, defectum mandati

mandati allegabat; subjunxit tamen Elector Palatinus, a se suam oppignorari fidem, quod Gregorius nulla omnino ad reddendam Ecclesiæ unionem necessaria repudiaturus esset media, dummodo Joannes XXIII. neque Synodo præsideret, imo nequidem præsens adesset. Imperator, cui nihil antiquius erat unione, Cardinali Ragusino ceterisque respondit, ipsis potissimum incumbere, ut ad restaurandam Ecclesiæ pacem omnia excogitarent media, se vero petere, ut illa sibi scripto traderent. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CXL.

Libellus a Legatis Joanni oblatus, ab eoque rejectus.

Ad maturanda hæc consilia altero die habita est Congregatio, in qua Elector Palatinus operosius quam præcedenti die mentem suam exposuit, pollicitus, navaturum se omnem cum Legatis operam, ut cessio ad optatum suum finem efficacius perduceretur, additque, se longe ampliorem ad hoc potestatem, si data non sufficeret, petiturum. Prælati hujus Pontificis obedientiæ addicti Joannis XXIII. discessum a Synodo urgebant, prout jam antea postulaverant, ut cum majori libertate consilia sua conferre possent. Quia vero illi libellum porrige- *Idem tom. 4. p. 41. & tom. 2. p. 469.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

bant, in quo fusiori calamo sua postulata prosequebantur, Joannes libellum sibi oblatum per singula capita refutavit, Gregorii & Benedicti cessionem approbans, non tamen in suam consentiens; illud vero petitum, ne ipse ulterius Concilio præesset, tanquam propositionem injustam atque indignam rejecit, eoquod, inquiebat, ipse solus legitimus Pontifex a potissima Christiani Orbis parte recognitus, Concilium convocasset, atque ad illum accedens in eo persisteret, omni studio ac viribus reformationi Ecclesiæ adlaboraturus; additque, plenam, omnemque in Synodo adesse libertatem, Gregorium ad illam debite invitatum, ejusque sectatores, si sub honestis conditionibus sese Synodi Patribus adjungere vellent, omnibus benevolentiæ signis ad illam admittendos esse.

§. CXLI.

Joannis anxietas in Concilio.

Oratores Gregorii, ubi se ad pertractandum hoc negotium sufficienti auctoritate destitutos intellexerant, quosdam ad Pontificem ablegant, qui eum de tota rei gestæ summa edocerent, simulque ampliora, magisque expressa peterent mandata, quibus Gregorius literas fidei publicæ testes tradidit. Tunc demum

Joannes

Joannes Concilii ſententiam rebus ſuis haud ultra propitiam fore præſentire cæperat; plures enim particulares habebantur Congregationes, ad quas, cum ejus integritas Patribus ſuſpecta eſſet, non vocabatur, quamvis per ſuos emiſſarios auro muneribusque corruptos exactam eorum, quæ acta fuere, hauſiſſet notitiam; plura quoque vulgabantur ſcripta, in quibus liberiori calamo illius mores carpebantur, interque eos Cardinalis Philaſtrius libellum compoſuit, in quo trium omnino Pontificum abdicationem ceu reliquis omnibus optimum pacis medium validiſſimis urgebat argumentis. Cum autem Papa vehementer de eo conqueſtus eſſet, tantum abfuit a virili Cardinalis hujus conſtantia, ut ſcriptum hoc ſuum eſſe negaret, quin potius coram ipſo Pontifice ſe illius Auctorem eſſe, ac pro bono pacis illud elucubraſſe, ingenue profiteretur. Hiſce Joannes ſummopere perterritus, omni quidem ſtudio, absque ullo tamen ſucceſſu partes ſuas augere ac roborare contendebat.

Sæcul. XV. A C. 1415.

Niem apud Vander Hardt tom. 2 p. 389.

§. CXLII.

Vota conſultiva, adverſante Papa, ſæcularibus conceſſa.

Quemadmodum complures in Concilio numerabantur Doctores ſæculares,

Sæcul. XV. A. C. 1415.

lares, quibus suffragium consultivum dare permittebatur, hi autem, eoquod Clericalibus Ordinibus adscripti non essent, eo ampliori libertate mentem suam aperirent, quo minus a Papa gratias & favores sperarent; ideo Joannes præcepit, ut Synodus ex solis Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Ordinum Generalibus, aliisque ejusmodi dignitate fulgentibus Ecclesiasticis conflaretur. Attamen hoc præceptum plurimorum animos graviter offendit: & omnium quidem primus Cardinalis Cameracensis sese opposuit, libello hanc in rem Patribus oblato. Philastrius quoque Cardinalis adversus idem Pontificis mandatum calamum strinxit; unde horum prævaluit sententia, non sine ingenti Pontificis mœrore, eoquod Prælatorum suorum auctoritatem superari cerneret a potioribus suffragiis tam plurimorum Doctorum sæcularium, quam Deputatorum, quos Reges, Principes, Respublicæ, Academiæ, cetercœque Communitates ad Synodum misissent, qui tamen omnes Clericali militiæ non erant adscripti, licet doctrina conspicui saniora foverent consilia.

§. CXLIII.

Decretum de suffragiis in omni Sessione publica per Nationes ferendis.

Accesserat Pontifici nova doloris caussa, eoquod

eoquod ſtatim a principio propoſitum es- Sæcul. XV.
ſet, in publicis Seſſionibus non per ſingu- A.C.1415.
la capita, ſed per Nationes ferenda eſſe ſuffragia. Jam tum Pontifex acriter huic decreto obluctatus erat. Sperabat enim, ſuffragiis viritim datis, ſe ſemper cum ſuis potiorem fore, plurimos enim numerabat ſibi ſumme addictos, & a ſe liberaliter promotos, ac præterea Italica Natio ceteras omnes numero anteibat. Verum Imperator hanc controverſiam feliciter compoſuit, atque inſuperhabitis Papæ, ſuorumque adhærentium conatibus deciſum fuit, quod impoſterum in Seſſionibus publicis ſententia per Nationes diceretur, quamvis hic ſuffragandi modus conſueto aliorum Conciliorum uſui adverſaretur, in quibus ſemper a congregatorum ſingulis ſuffragia colligebantur: In præſenti autem Synodo valde graves ab avita hac conſuetudine recedendi rationes militabant. Igitur cum Hiſpani huic Concilio necdum adhærerent, Synodus in quatuor dividebatur Nationes, Italicam, Gallicam, Germanicam, atque Anglicam; ex iſtarum qualibet eligebantur Deputati, Procuratores & Notarii, quorum primis præponebatur Præſes, qui ſingulis menſibus officio ſuo defungebatur. Quælibet Natio particulares ſuos conventus agebat, in quibus cauſſæ in Concilio proponendæ diſcu-

Sæcul. XV. A. C. 1415.

discutiebantur. Si vero inter eos de quodam articulo conventum esset, tunc is ad generalem quatuor Nationum Congregationem deferebatur, sin in ea unanimis omnium consensus accederet, subscriptione facta, appositoque sigillo sequenti exhibebatur sessioni, ut plena totius Synodi auctoritate firmaretur. Hæc suffragandi methodus toto Synodi tempore servabatur.

§. CXLIV.

Sancta Birgitta in Concilio Sanctorum fastis adscripta.

Naucler. gener. 48. p. 437.

Legati regnorum, Sueciæ, Daniæ, & Norvegiæ cuidam Congregationi die prima Februarii celebratæ intererant unacum Cleri sui Deputatis, impense supplicantes, ut Birgitta natione Sueca, ac stirpe regali orta in sanctorum canonem referretur, cum vitæ puritas, sacræ peregrinationes, & miracula ante ac post mortem ejus patrata illius sanctitatem abunde testatam redderent. Hæc cuidam Viro in Suecia nobilissimo nupta octo suscepperat proles, sed post conjugium satis diuturnum ambo conjuges mutuo consensu thori sui societatem dissolverunt, quo facto Birgitta solitariam duxit vitam, unice pietatis operibus intenta;

ta; instituit etiam Religiosorum ac Monialium Ordinem, cujus adhuc nonnulla exstant in Belgio monasteria; tandem vero pluribus ad loca sacra peregrinationibus sancte expletis migravit in cœlum Romæ Anno salutis millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, a Bonifacio IX in Sanctorum numerum relata Anno supra millesimum trecentesimo nonagesimo primo. Cum autem timendum, ne hæc Canonizatio a multis tanquam illegitima haberetur, utpote schismatis tempore facta, Sueci confirmationem illius petebant, ut accedente etiam generalis Concilii auctoritate nullus amplius dubitandi locus supereſſet. Quam sibi sortem Joannes Papa summopere gratulatus est, solemni hac functione extremos Pontificatus sui dies illustrandi occasionem nactus, exiguo enim post tempore solio dejectus fuit. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CXLV.

Cessionis via a Concilii Deputatis Pontifici proposita.

Clanculum oblatus erat quidam libellus plurima contra Papam accusationum capita complectens, qui tamen suppressus fuit, Germanis Anglisque ita consulentibus, partim ne Sedi Apostolicæ macula inurere- *Vander Hardt tom. 4. p. 42. & tom. 4. p. 233.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

inureretur, partim ut decoris atque honestatis ratio haberetur; indecens enim foret penitius inquirere in ejusmodi criminationum articulos, qui *omnia*, ut loquitur Theodoricus, *peccata mortalia, nec non infinita quodammodo abominabilia continerent*. Horum etiam sententiæ adstipulabantur Itali, eam securiorem magisque honestam esse viam arbitrati. Itaque medio inquisitionis neglecto unice cessionis viam esse urgendam statuunt, eamque in rem ad Joannem Deputatos decernunt, illum ad cedendum inducturos.

§. CLXVI.

Cessionis formula Pontificis jussu recitata.

Papa depositionem sibi oppido ignominiosam, quam tamen ob crimina sibi objecta merito timuerat, prævenire conatus est, hinc Deputatis, animo ad simulatam lætitiam composito, servata tamen quadam vultus gravitate respondit, facturum se, quicquid ab eo peterent, dummodo pariter æmuli sui idem præstarent. Exinde quantocius Cardinali Florentino schedam tradidit perlegendam, hujus tenoris. Quamvis nullo voto, juramento, aut promissione ad cessionem a me petitam obstringar, nihilominus pacem

cem orbi christiano conciliaturus, ac proin Ecclesiam pacaturus promitto liberam ac voluntariam Papatus mei abdicationem, quamprimum Petrus de Luna, & Angelus Corarius a Concilio Pisano tanquam hæretici & schismatici declarati, atque Pontificatu depulsi, juribus suis, quæ sibi arrogant, similiter cesserint, & quidem eo modo ac tempore, iisdemque conditionibus, quas ego meique Legati cum Synodi Deputatis communi suffragio declaraturi ac decreturi essemus. Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. CXLVII.

Formula Joannis in consessu discussa.

Hæc formula a Nationibus in unum congregatis ad examen vocatur, ast amplis quidem verbis concepta, sed obscura, ambigua, atque ad perficiendum unionis opus minime idonea reputatur; siquidem expressam habebat conditionem, quæ ab utriusque competitoris arbitrio dependebat, adeo, ut unius duntaxat a cessione dissensus, totam hanc sponsionem effectu suo frustrari, sicque Synodi operam hucusque impensam eludere posset. Ergo ad Joannem iterato Deputati ablegantur, eum rogantes, ut magis perspicuam, ac minus conditionibus restrictam super cessione sua promissionem ederet. Annuit quidem Pontifex, sed altera ejus *Idem tom. 4. p. 42.*

Sæcul. XV. A C. 1415.

formula vix non iisdem, quibus præcedens, verbis concepta erat, quam tamen Constitutione quadam se firmaturum spopondit.

§. CXLVIII.

Altera Pontificis formula à Synodo rejecta.

In illa duntaxat superaddit, quod judicii acta in Pisano Concilio adversus Benedictum & Gregorium instructa innovarentur, novisque augerentur instrumentis, ita tamen, ut eorum executio usque ad tempus pro cessione ipsis præfigendum suspenderetur, si vero nollent hi duo contendentes cedere, secum Imperator & Principes, Regum Legati, totumque Concilium sua studia conferrent adversus eos eorumque fautores, atque ipsum mutuo tam spiritualibus quam temporalibus auxiliis adjuvarent, verum alteram hanc declarationem minus adhuc idoneam, quam primam censebant Patres, quoniam in illa Joannes, prout in priori fecerat, denuo Papatu cessurum se promisisset, ea duntaxat conditione, si ceteri duo pariter cederent, insuper caussam adversus utrumque instructam innovari postulasset. Hinc Nationes alteram quoque formulam rejicientes, Joannem enixe rogant, ut amplius magisque distinctum cessio-

cessionis exemplar porrigeret. Attamen promissum suum indies procrastinans, hujus cunctationis beneficio multos ex Synodi Patribus in suas partes trahere, sibique conciliare nititur. Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. CXLIX.

Formula III. ab Imperatore Pontifici oblata.

Nec ultra quisquam Joanni cessionem suadere audebat, omnes enim asperis objurgabat verbis, qui coram ipso hac de re quicquam memorabant. Nihilominus Nationes tertiam concipiunt formulam, quam ipsemet Imperator & nonnulli a Concilio Deputati prævia trium Nationum approbatione Pontifici exhibent; hanc tamen ille, quod nimis clara nullisque conditionibus limitata esset, acceptare constanter recusat. *Vander Hardt tom. 2 p. 238.*

§. CL.

Adventus Deputatorum Academiæ Parisiensis.

Interea, cum omnes Joannem ad Papatus sui cessionem inducere satagerent, opportune Constantiam veniunt Parisiensis Academiæ Deputati, quorum princeps erat Joannes Gersonius ejusdem Universitatis *Hist. Universf Paris. tom. V. p. 275. 276. Laborat. Hist. Car. VI. præf.*

Sæcul. XV A.C.1415.

sitatis Cancellarius, ac tunc temporis Galliarum Regis Legatus ad Synodum deputatus. Hunc comitabantur Joannes Dacherius, Jacobus Desparsius Facultatis medicæ Doctor, & Benedictus Gentianus, sancti Dionysii Monachus sua ætate doctrina atque eloquentia nemini secundus, qui & ipse creditur esse Anonymus ille Monachus Sandionysianus, qui nobis perquam exactam Caroli VI, omniumque sub ejus regimine gestorum historiam reliquit. Hi igitur admittuntur ad alloquium Papæ atque Imperatoris, qui eos non vulgaribus honorum signis exceperunt, ac præclarissimis simul elogiis Parisiensem universitatem celebrarunt, illam præ ceteris omnibus Europæ Academiis commendantes, eoquod ad pacem Ecclesiæ reliquis Christiani Orbis statibus plus una ferventius cum Galliarum Rege laboraverit. Quibus Papa subjunxit, se etiam velle integra fide, libere tamen, unionem Ecclesiæ procurare, etiamsi suis ad summum Pontificatum juribus cedere oporteret, prout in pleno consessu sese ad id paratum jam declarasset. Deputati junctis viribus tantopere desideratum pacis negotium confecturi, Germanis atque Anglis accessere. Cum autem diversæ cessionum formulæ a Joanne procusæ haud probarentur Concilio, tres illæ Nationes aliam termi-

Vander Hardt tom.4 p.45.46. tom.2.p.239 241. Bourg.part. 1. p.307.

terminis claris, ac distinctis, nullaque æquivocatione aut restrictione limitatam concinnabant. Displicuit illa summopere Pontifici; verum res sibi erat cum Viris flecti nesciis. Germani etiam, ut ei majorem adhuc incuterent timorem septem propositiones Synodo porrigunt, in quibus affirmant, cessionis viam ex omnibus certissimum esse pacis reddendæ medium, proin illam pure ac simpliciter amplectendam, formulamque communi trium Nationum suffragio adornatam esse acceptandam; hoc si renuerit Pontifex, fore incursurum peccati mortalis reatum, & a Synodo tanquam supremo Judice ad Papatus cessionem præcepti auctoritate esse cogendum; si vero pertinacius recusaret, ejus contumaciam brachio etiam sæculari in auxilium vocato, nomine universalis Ecclesiæ coercendam. Hisce Joannes velut fulmine tactus tempori cedendum existimans, quæ ab eo per vim omnino exigi potuissent, animo saltem in speciem spontaneo peragere statuit. Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. CLI.

Cessionis formula a Joanne acceptata.

Igitur Papa primo Martii die hora undecima antemeridiana ad Congregationem hunc in finem in ejus Palatio indictam accedit, in ea Patriarcha Antio- *Vander Hardt tom. 4 p. 47.*

Sæcul. XV A.C 1415.

chenus Imperatore, & Nationum Deputatis præsentibus, Joanni formulam exhibet, supplicans, ut eam perlegere dignaretur. Annuit petito Pontifex, atque lectione absoluta internos animi dolores supprimens dixit, se nunquam alia fovisse consilia, quam ut pacem Ecclesiæ redderet, eodemque ex fine Constantiam sese venisse, & nunquam non sponte ac libere cessionis viam approbasse; quibus dictis alta voce formulam sequentibus verbis conceptam pronunciavit.

Ego Joannes Papa XXIII. propter quietem totius populi Christiani, profiteor, spondeo, & promitto, voveo & juro Deo & Ecclesiæ, & huic sacro Concilio sponte & libere dare pacem ipsi Ecclesiæ per viam meæ simplicis cessionis papatus, & eam facere & adimplere cum effectu juxta deliberationem præsentis Concilii, si & quando Petrus de Luna Benedictus XIII, & Angelus Corario Gregorius XII. in suis obedientiis nuncupati papatu, quem prætendunt, per se, vel procuratores suos legitimos similiter cedant, & etiam quocunque in casu cessionis vel decessus articulo aut alio, in quo per meam cessionem poterit dari unio Ecclesiæ Dei ad extirpationem præsentis schismatis.

§. CLII.

§. CLII.

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

Sessio secunda Concilii Constantiensis.

Duo hæc verba: *Voveo & juro*, in hac formula desiderabantur, cum in Conventu Franciscanorum die vigesima septima Februarii lecta atque approbata fuisset. Sequenti tamen die hæc ipsa verba a Parisiensis Academiæ Deputatis addita, atque omnium plausu acceptata fuere, Benedicto Gentiano, qui ex illis unus erat, hujus additionis causas exponente. Ex Prælatis autem Italis nonnisi duodecim unacum Genuensium Archiepiscopo huic formulæ consensu suo adstipulati sunt. His peractis Imperator nomine Concilii, Cardinales, & Nationum Deputati Pontifici de submissione præstita gratias egerunt, omnes autem Deo omnipotenti, intonato Hymno, *Te Deum* &c. laudes decantarunt. Postmodum Papa publicam, & alteram Synodi Sessionem ad sequentem diem, quæ erat secunda Martii indixit. Ingens erat in illa congregatorum frequentia. Re divina ab ipso Pontifice solemniter peracta aliisque servatis de more solemnibus, Cardinalis Florentinus silentium imperat, atque elata voce profitetur; Pontificem oblatam cessionis formulam acceptasse. Joannes ante Aram sedens pu-

Labbe Collect tom. 12. p. 16.

Spond. ad ann. 1415. n. 5.

Sæcul. XV. A. C. 1415.

blice & clara voce formulæ a semetipso scriptæ schedam perlegit: prolatis autem hisce verbis: *Voveo & juro Deo*, e solio surgens, ante Altare in genua procumbit, manumque pectori admovens enuntiat: *Hæc spondeo, promitto, voveo, ac juro.* Eoque facto in pedes se erigit, & Cathedram repetens schedæ lectionem prosequitur, qua absoluta Imperator deposito diademate, flexisque genibus Pontificis pedem deosculatus est, idemque fecit nomine Concilii Patriarcha Antiochenus, totumque Concilium omnem opem Pontifici promisit.

§. CLIII.

Papa cessionis suæ Bullam expedire recusat.

Vander Hardt tom. 6. p. 52.

Cum vero omnia hæc juramenta, quantacunque solemnitate firmata esse viderentur, facili tamen negotio eludi potuissent a Viro, cui ob animum subdolum ac varium ferme nunquam certa fides habenda erat, ideo Patres a Joanne petebant, ut cessionis factæ Bullam juxta consuetam formam ederet. Hoc petito Joannes auctoritati suæ injuriam irrogari ratus, omnino acquiescere renuit. Itaque Concilium, cum Joannem ob Cæsareæ dignitatis reverentiam facilius Synodi precibus

precibus conceſſurum ſperaret, Imperatorem rogat, ut Papam ad expediendum diploma hortaretur. Verum Sigismundus tantum pro parte voti ſui compos factus eſt; Joannes enim conſcientiæ ſuæ, officio, Conciliique votis plene ſatis ſe facturum exiſtimans, ſi ſuam ceſſionem literis encyclicis Chriſtiano orbi ſignificaret, hanc in rem ſecunda die, vel ut aliis placet, nona Martii Bullam edidit. Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CLIV.

Ceſſio per Joannis Bullam omnibus Chriſtianis denunciata.

Quoniam vero plurimum intererat, negotium bene cæptum ante Imperatoris diſceſſum in Hiſpaniam omnibus ſuis numeris abſolvi, ut facta Joannis ceſſione, reliqui etiam duo Competitores ad ſimilem inducerentur abdicationem, ideo tres illæ Nationes, Gallica, Anglica, & Germanica cenſebant, Pontificem ad perficiendum opus omni ſtudio urgendum eſſe, eumque adigendum, ut Imperatorem, Prælatosque cum eo Niciam profecturos, velut cauſſæ ſuæ Procuratores agnoſceret; quod eo conſilio fieri poſtulabant, ut, cum illi hujus ceſſionis ſponſores eſſent, proprii ſui honoris inſtinctu excitati eo efficacius eam perfici *Conc. Gen. tom.12.p.16.*

Sæcul. XV A.C.1415. urgerent, quo magis alias timere deberent, ne & ipsi cum eo tanquam mendaces arguerentur. Nihilominus Pontifex, cum ipsi hæc præponeretur Nationum sententia, eam unacum Italorum sibi adhærentium parte rejecit, atque ex eorum dissensu, & forte ex propriis illorum sermonibus haud obscure colligebatur, eos discessum a Concilio meditatos fuisse. Sub idem quoque tempus plures Galliarum Regis Legati advenerant, nimirum, Ludovicus Bavarus Ingolstadiensis lineæ, frater Reginæ Franciæ, Archiepiscopus Rhemensis, & Carcassonensis, atque Ebroicensis Episcopi.

§. CLV.

Congregatio de novi Pontificis electione.

Vander Hardt tom.4.p.55. Joannes Sigismundum sibi demereri cupiens, decima Martii eidem Rosam auream dicta die solemni ritu benedictam obtulit. Imperator hoc munere non sine magna gratitudine ac veneratione recepto, Rosam cum pompa per totam civitatem circumtulit; Papa vero eundem cum ceteris Principibus tam Clericis quam Laicis lautissimo excepit convivio. Attamen cuncta hæc humanitatis officia adeo non Sigismundi oculos fascina-

Sæcul. XV. A. C. 1415.

viam seligere liceret. Itali hoc sententiarum dissidium in rem suam vertere sătagunt, spe freti, inde mox secuturam animorum quoque dissensionem inter ambas illas Nationes, quæ eorum studiis adversabantur. Hinc Vivariensem, sancti Marci, Cameracensem, & de salutiis Cardinales ad Gallicam Nationem deputant, qui eam a Germanis atque Anglis saltem quoad duos articulos abstrahere conarentur, scilicet. I. Ne Papa per sepsum cessionem facere cogeretur, II. ut decretum jam abhinc uno Mense conditum de sententia in Sessionibus publicis per Nationes ferenda revocaretur. Imperator re comperta necessarium esse duxit, Nationem Gallicam simul cum Germanis atque Anglis convocare, illisque libellum exhibere, quo Papa cessionis suæ Procuratores constituere, & Synodo non abscedere juberetur. Verum inde magna exarsit contentio, compluribus ægerrime ferentibus, quod Sigismundus in hac Congregatione cum Germanis & Anglis super hisce articulis deliberare præsumeret.

§. CLVIII.

Dissidia Imperatorem inter & nationem Gallicam.

Cum natio Gallica exponeret, æquitatis

fascinabant, ut altera etiam die Congregationem cogeret, ibidem expositurus, Ecclesiæ de novo Papa providendum esse. Quo facto satis manifeste indicavit, Joannem Papatu abiisse, ac Synodo alium eligendi jus competere. Fervida inde ultro citroque exoriebantur jurgia, Archiepiscopo Moguntino palam pronuntiante, quod si Synodus novum Papam eligendi jure potiretur, haud alium, quam Joannem XXIII eligere posset, alium se nunquam pro legitimo Pontifice habiturum. Cum vero unicuique plena sententiam suam edicendi libertas esset, & quilibet (prout in æstu disputationum fieri amat) contra illum, qui dissensionis auctor credebatur, magno fervore insurgeret, ideo cuncti crimina, de quibus Joannes accusatus fuerat, in memoriam revocare, accusationumque capita adversus eum exposita, recoquere cæperant. Tandem vero Nationibus attributa fuit potestas statuendi, quicquid ad promovendam Ecclesiæ unionem, necnon Pontificis electionem magis expedire judicaverint. Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. CLVI.

Papa de fuga arripienda suspectus.

Hæc sententia tam efficaci conatu dissipabat clandestinas Joannis artes, ut

Sæcul. XV. A. C. 1415.

ut Conſtantia excedere, atque occulta fuga ſeſe ſubducere omni ſtudio intentus eſſet. Aſt cum ſub idem tempus concurrens rerum viciſſitudo compluribus ſatis firmum de ejusmodi fuga ſuſpicandi præberet argumentum, quantocius promulgatur edictum, vi cujus omnes, qui urbem egrederentur, detineri, atque exactius explorari jubentur. Ipſemet Cardinalis S. Angeli quondam deambulans prehenſus eſt. Quapropter Joannes de læſa ſecuritate, ac libertate adeo ſolemniter promiſſa ſuas apud Magiſtratum querelas detulit, qui tamen culpam in Sigismudum rejecit. Ergo omnibus modis cautum eſt, ne Pontifici urbe excedendi copia daretur, petitumque fuit ab eo. I. Ut conſtitueret Procuratores idonea ad renuntiandum Papatui auctoritate inſtructos. II. Deferret hanc provinciam ipſi Imperatori, Prælatisque huic adjungendis, atque de præmiſſis Bullam ederet. III. Conſtantia non diſcederet, nec Concilium diſſolveret, donec unio perfecta eſſet. IV. Nec ad Concilium vocati clandeſtine recederent. Hoſce Articulos Patriarcha Antiochenus propoſuit Pontifici, Joannes vero Deputatis reſpondit, velle ſe per ſe ipſum Papatui cedere, id enim Perſonæ ſuæ, Eccleſiæ, & Concilii honorem exigere, huncque cedendi modum aliunde magis

Gerard. de Roo. Hiſt. Auſtriac. l. 4. p. 136.

gis expeditum, certiorem, ac suæ dignitati magis congruum esse, quam Procuratoribus uti. Ceterum se omni tempore, quicquid virium suarum esset, procurandæ Ecclesiæ unioni impensurum, imo & permissurum, ut haud amplius pro Pontifice agnosceretur, & Cardinales jurata fide profiterentur, se eum pro tali nunquam habituros, si unionis negotium ideo impediretur, quod Papatum, prout juramento promisisset, non abdicaret. Insuper se Concilium, donec schisma extinctum fuisset, nullatenus dissoluturum pollicitus est. Ast Germani & Angli nullam speciosis hisce promissis fidem habendam esse censebant. Sæcul. XV. A. C. 1415.

Bourg. Prob. p. 310. Martenn. Thes. nov. Anecd. tom. 2. p. 1614.

§. CLVII.

Anglorum consilium de Papa custodiæ dando.

Adeo omnibus exploratum erat Papæ, quo Constantia discedere volebat, consilium, ut vix ultra dubitandi locus supereresset; quocirca Angli in quadam Congregatione die decima nona Martii habita Joannem Papam custodiæ tradendum coram Imperatore suadebant. Obstitit tamen Natio Gallica, existimans, satius fore, ut ad exsolvendam juramenti fidem Pontifici, quamcunque vellet, viam

Van der Hardt tom. 4. pag. 57.

Sæcul. XV. A. C. 1415.

viam seligere liceret. Itali hoc sententiarum dissidium in rem suam vertere sătagunt, spe freti, inde mox secuturam animorum quoque dissensionem inter ambas illas Nationes, quæ eorum studiis adversabantur. Hinc Vivariensem, sancti Marci, Cameracensem, & de salutiis Cardinales ad Gallicam Nationem deputant, qui eam a Germanis atque Anglis saltem quoad duos articulos abstrahere conarentur, scilicet. I. Ne Papa per sepsum cessionem facere cogeretur, II. ut decretum jam abhinc uno Mense conditum de sententia in Sessionibus publicis per Nationes ferenda revocaretur. Imperator re comperta necessarium esse duxit, Nationem Gallicam simul cum Germanis atque Anglis convocare, illisque libellum exhibere, quo Papa cessionis suæ Procuratores constituere, & Synodo non abscedere juberetur. Verum inde magna exarsit contentio, compluribus ægerrime ferentibus, quod Sigismundus in hac Congregatione cum Germanis & Anglis super hisce articulis deliberare præsumeret.

§. CLVIII.

Dissidia Imperatorem inter & nationem Gallicam.

Cum natio Gallica exponeret, æquitatis

tis legibus consonum esse, ut Galli, cum reliquæ Nationes remotis ceteris suas hucusque iniissent consultationes, pari quoque jure gauderent, Germani atque Angli illico a consessu discesserunt; cum autem Galli insuper Cæsareos quoque Deputatos abesse, neminemque præter Imperatorem eorum conventui adesse vellent, Sigismundus non parum indignatus ex consessu excessit, commotiori voce dicens: Nunc tandem Ecclesiæ unioni, atque Imperii saluti bene affecti dignosci possunt. Cardinalis quoque Cameracensis his verbis minas intentari suspicatus, cum aliis quatuor Cardinalibus pariter Deputatis recessit. Paucis tamen post diebus Legati Franciæ ad hanc discordiam opportune terminandam advenerant. Hi enim, cum ad alloquium admitti peterent, Regis sui nomine vix non eadem, quæ Imperator urgebat, puncta exhibuere, scilicet, ne Synodus dissolveretur, aut alio transferretur, nec Papa ullatenus ab ea discederet; Procuratores vero ad perficienda cessionis acta a Patribus denominarentur. Hæc Regis voluntas tantum valuit, ut Galli denuo Germanis atque Anglis sese unirent, & una omnes Imperatorem hortarentur, ut Joannem Papam ad Procuratores, prout ab eo petitum fuerat, constituendos auctoritate sua compelleret.

Sæcul. XV. A.C. 1415.

Vander Hardt tom. 2. p. 257.

§. CLIX.

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

§. CLIX.

Fuga a Joanne firmiter ſtatuta.

Niem. apud Vander Hardt to. 2. p. 393.

Facta hac trium Nationum concordia diſparuere Summi Pontificis artes. Ultimum ejus præſidium poſitum habebat in clandeſtinis Archiepiſcopi Moguntini conatibus, atque in potenti Friderici Auſtriaci auxilio, qui per integrum ferme menſem Conſtantiæ agebat, ſub ſpecie ulterioris itineris, re ipſa tamen, ut Pontificis fugam ope ac conſilio adjuvaret, quamvis ſe nullo modo eidem favere ſimulaſſet. Nihilominus hujus *rei rumor* brevi tempore per totam urbem *diffundebatur*. Hinc Joannes conceptum animi ſui propoſitum eo tutius celaturus, Imperatori denunciat, Conſtantienſem regionem valetudini ſuæ inimicam eſſe, ſeque ut benigniore frueretur aura, ad vicinum quemdam locum receſſurum. Reſpondit Sigismundus, urbem relinquere minus conſultum eſſe, tali enim conſilio adverſum ſe ſat funeſtas ſuſpiciones fore excitandas; his addit, ſibi haud amplius integrum eſſe, eundem Conſtantia dimittere, neque illum urgentes habere rationes, quæ ejusmodi receſſum ſuaderent. Unde Papam & Imperatorem, quin alterutri ſatisfieret, colloquium ſolviſſe, facile colligi poterit.

§. CLX.

§. CLX.

Sæcul. XV. A.C.1415.

Sigismundi conatus Papam a proposito revocandi.

Ex illo temporis articulo Imperator Pontificem vigili oculo observari jubet, adeo, ut diversis ex intervallis ad ejus cubile, imo ad lectum usque exploratores mitteret. ipse quoque eum a concepto suo proposito dehortaturus aliquando accessit, ubi illum in lecto suo jacentem reperit, multis conquestum, quod vix mentis compos esset, eoquod crassior Constantiensis cæli temperies caput aggravaret, nec eam diutius ferendo par esset; cum vero Sigismundus ei complura Urbi finitima loca, eaque amæniſſima, atque ad captandum salubriorem aerem opportuna commendaret, rogaretque, ne Concilium, donec absolutum esset, dimitteret, minus vero clandestina fuga aut alio quovis indecenti modo recederet, Papa respondit, se nullatenus ante dissolutam Synodum discessurum. In quo contra mentem suam haud locutus censeatur, existimabat enim, fugam suam, atque exinde Concilii dissolutionem uno eodemque temporis articulo subsecuturas. *Naucler. gener. 48. p. 439.*

§. CLXI.

§. CLXI.

Joannes Constantia profugus.

Id. ib. Niem. loc. cit.

Hæc Imperatoris adhortatio a Pontifice conceptum fugiendi animum adeo non infirmavit, ut potius eum in suo proposito magis obfirmaret. Ast illud exequi, hoc opus hic labor erat, quippe tanta erat exploratorum vigilantia, ut tum ipse quam Austriæ Dux, inscio Sigismundo vix pedem movere potuerint. Ultima spes erat ludicrum quoddam equestre certamen, quod Fridericus Austriacus horis pomeridianis ad vigesimam Martii diem haberi constituit, eo animo, ut Joannes evadendi occasionem acquireret. Inter Pugiles eminebant ipsemet Austriæ Dux, & Comitis Cilleiensis Filius. Populo interea ad hoc spectaculum turmatim confluente, Pontifex inclinato die strigosum equum conscendit, rudi ac fusca Equisonis seu veredarii chlamyde per humeros defluente indutus, ac sarcinam ephippii arculo impositam gestans, inter medias populi turmas urbe excessit. Noctu naviculam Friderici opera ad id præparatam conscendit, & secundo flumine per Rhenum intra paucas horas Scaphusiam, præfati Ducis oppidum quarto lapide Constantia, dissitum, pervenit. Fridericus lu-

do

do equestri soluto ad urbem quidem rediit, vespere tamen solus Constantia Scaphusiam citato pede contendit, Papam, qui ibidem jam advenerat, invisurus. Comperta hac Pontificis fuga tota Constantiensis civitas non modico metu turbatur, omnesque dilabi meditantur, deprædationis periculum veriti. Verum tempestiva Imperatoris prudentia omnem excussit timorem. Ipsus enim equo vectus comitantibus Electore Palatino, cunctisque Aulæ suæ Proceribus urbem obibat, ubique fidem interponens, Constantiæ eandem omnino ac antea fore securitatem, nec propter Pontificis absentiam Concilium interruptum iri. Secul. XV. A. C. 1415.

§. CLXII.

Epistola Papæ ad Cæsarem Scaphusiæ data.

Sub idem tempus ad Imperatorem delata est Epistola manu Pontificis exarata, in qua significat, venisse se Scaphusiam non ea mente, ut Papatus abdicationem amore pacis promissam fuga sua eluderet, sed potius, ut recuperata per Dei clementiam libertate ac vitæ suæ securitate liberius hoc negotium exequi posset, præclusa cunctis calumniandi licentia, ac si potentiorum vi compul- *Vander Hardt tom 2. p. 252.*

Sæcul. XV. A.C. 1415

fus Papatui ceſſiſſet. Subjunxit quoque, Scaphuſiæ ſatis ſalubrem valetudini ſuæ adſpirare auram, illinc vero fugam a ſe arreptam fuiſſe inſcio Duce Auſtriaco, quod tamen a veritate abludebat. Non multo poſt vix non eadem ad Cardinales, quibus necdum animi ſui propoſitum manifeſtaverat, præſcripſit. Sequebantur Joannem complures ſui Miniſtri inferioris ordinis, aliique domeſtici, & paucis poſt diebus ſeptem etiam Cardinales eo ſe conferebant, quorum tamen plerique brevi Conſtantiam reverſi ſunt.

§. CLXIII.

Joannes per deputatos Cardinales ad reditum ſollicitatus.

Sigismundus modicam hiſce literis fidem adſtruens, eadem adhuc die omnes Nationes ob clandeſtinam Pontificis fugam non parum turbatas convocat, profeſſus, ſe Synodum etiam cum periculo vitæ ſuæ defenſurum, proin nemini ullum Joannis abſentia timorem incuteret. In eadem Congregatione communi ſuffragio decretum fuit, ut Scaphuſiam ablegarentur Jordanus ab Urſinis, Gulielmus S. Marci, & Amadæus de ſalutiis Cardinales, unacum Archiepiſcopo Rhemenſi, eisque datum eſt negotium, ut

ut Papam ad Synodum revocare omnibus viribus allaborarent. Auſtriacus vero tanquam proditionis ac perfidiæ contra Eccleſiam, Concilium atque Imperium attentatæ reus, ab Imperatore ac Synodo ad judicium vocatus eſt, atque ex eo temporis puncto Procerum plurimi, pluresque Urbes ejus imperio ſubditæ præſtitum fidelitatis ſacramentum revocabant. Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. CLXIV.

Oratio Gerſonii de auctoritate generalium Conciliorum ſupra Papam.

Antequam Deputati diſceſſiſſent, Joannes Gerſonius communicatis cum Imperatore conſiliis ſermonem habuit, quo auctoritatem Synodi ſupra Papam eo fine extulit, ut hi Concilii mentem hac ſuper re Joanni Pontifici exponerent, ac Synodum ejus fuga, (ut ſperabat ipſe) nullatenus diſſolutam fuiſſe ſignificarent. Aſt Cardinales Congregationi, in qua Gerſonius dixerat, intereſſe renuebant, quod Papa literis ſuis eos docuiſſet, ſe propterea ſolum Conſtantia abiiſſe, ut cum majori libertate Papatui cedere valeret, quare ſpecioſi hujus promiſſi effectum exſpectare cupiebant. Gerſonii oratio ejusmodi continebat principia, quibus omnia, *Gerſon. oper. tom. 2. p. 201.*

Sæcul. XV A.C. 1415.

quæ Patres in cauſſa Joannis agebant, tanquam unico fulcro innitebantur. Hæcque fuit origo illius controverſiæ ex tunc tanta jam animorum contentione agitatæ, nimirum, utrum Concilium ſit ſupra Papam, nec ne? Partitus eſt ſermonem ſuum in duodecim propoſitiones, quarum poſtrema eſt; *Eccleſia non habet efficacius medium ad generalem ſui ipſius reformationem, quam generalium, & Provincialium Conciliorum continuationem.* Pariter oſtendit, Eccleſiam vel generale Concilium ſine expreſſo conſenſu, vel Pontificis mandato etiam Canonice electi, & ſancte viventis mandato congregari potuiſſe & poſſe in pluribus caſibus, quales ſunt juxta hunc Auctorem: *Si Papa accuſatus, & evocatus ſit, ut audiat Eccleſiam, & ipſe renuit contumaciter Eccleſiam convocare.* Alius caſus eſt. *Si materiæ graves concernentes regimen Eccleſiæ, veniunt terminandæ per generale Concilium, & Papa renuit contumaciter illud evocare.*

§. CLXV.

Pontificis de hoc ſermone, aliisque querelæ.

Vander Hardt tom. 4. p. 67.

De eadem quæſtione Pariſienſis Academia nonnullas vulgavit propoſitiones, quas tamen non omnes Synodus ratas

tas habuit, cum earum quædam duriores essent, nonnisi ad irritandos animos instructæ. Ceterum Oecumenici Concilii auctoritatem, prout Gersonius proposuerat, Pontifice superiorem esse, omni studio comprobare nitebatur. Displicuere Pontifici ejusmodi asserta, de quibus idcirco apud Legatos Franciæ, eum nomine Concilii invisentes, graviter conquestus est. Idem omnibus Curiæ suæ Ministris, ut infra sex dies Scaphusiam venirent, scripto imperat; Epistolam quoque apologeticam ad Aureliæ Ducem, & Parisiensem Academiam mittit, qua Imperatorem & Synodum apud Gallos in invidiam adducere tentat. Scribit etiam in eandem sententiam ad Galliarum, & Poloniæ Reges, aliosque complures Principes. Nonnullæ ex hisce literis ad ipsos Concilii Patres remittebantur, unde conjicere pronum est, eas in Principum animis exigui admodum ponderis fuisse. Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. CLXVI.

Archiepiscopi Rhemensis ad Synodum relatio de Papæ consiliis.

Biduo post Rhemensis Archiepiscopus, qui cum ceteris ad Papam decernebatur, e legatione sua reversus est. Ad ejus relationem excipiendam Generalis *Niem. tom. 3 p. 398.*

Sæcul. XV. A.C. 1415

indicitur Congregatio, in qua Archiepiscopus Imperatori, Cardinalibus, & Galliæ Legatis Epistolas Joannis Papæ offert, ejusque nomine oretenus proponit, Joannem unice salubrioris auræ gratia Constantiam deseruisse, nec se de injuriis forte in hac urbe acceptis conqueri, minus vero ideo recessisse, ac si Imperatoris, eorumque, qui illi faverent, auctoritas ei suspecta fuisset, imo se ardenter optare, ut cum Cæsare Niciam proficisci, ac juncto consilio atque opera Ecclesiæ paci providere posset. In Epistola autem ad Cardinales directa speciatim tres ex eorum ordine, ac ex qualibet Natione unum Prælatum denominat, quos tanquam Procuratores constituit, ut ejus nomine Papatum abdicarent; hac tamen conditione adjecta, si pariter ceteri duo contendentes cedant. Hujus mandati syngrapham brevi & meliori, qua poterit, forma se expeditum promittit, jubetque, exponerent Imperatori ceterisque omnibus, quibus expedire visum fuerit, sincera animi sui consilia. Absoluta Archiepiscopi Rhemensis relatione Sessio publica ad posteram diem vigesimam sextam Martii indicta est.

§. CLXVII.

Sæcul. XV.
A.C.1415.

§. CLXVII.

Sessio tertia, Synodi continuatio decreta.

Tertia tandem habetur Sessio, nil remorante Pontificis fuga. Huic aderant duo duntaxat Cardinales, Cameracensis, qui & Sessioni præfuit, & Florentinus. Ipse tamen Sigismundus Imperiali ornatu insignis, hanc Sessionem præsentia sua decoravit, assistentibus Saxonico, & Palatino Electoribus, Friderico Norimbergæ Burggravio, pluribusque aliis S. R. Imperii Principibus. Post Missæ sacrificium & persolutis de more solemnibus, Cardinalis Florentinus sequentes articulos ex decreto Synodi publicavit. I. *Synodum fuisse & esse rite ac juste convocatam, inchoatam, & celebratam* II, *illam per recessum Papæ vel aliorum Prælatorum non esse dissolutam, sed remanere in sua integritate & auctoritate, etiamsi quædam ordinationes factæ fuissent in contrarium, vel in futurum fierent.* III. *Istud Concilium nec dissolutum, neque dissolvendum esse usque ad extirpationem præsentis schismatis, & quousque Ecclesia sit reformata quoad fidem, & mores in capite & membris.* IV. *Non esse transferendum ad alium locum, nisi ex caussa rationabili,*

Labb. Conc. tom.12.p.17.

Sæcul. XV. A. C. 1415.

& ab ipso Concilio approbata. V. *Prælatis, aliisque, qui Concilio interesse tenentur, ante finem Concilii abire licitum non esse, nisi ex rationabili caussa prius examinanda per Deputatos a Concilio.* Omnes hosce articulos cujuslibet Nationis Deputati suo quisque ordine approbarunt, & desuper publicum instrumentum confici jusserunt.

§. CLXVIII.

Cardinalium ad Papam deputatorum relatio.

Schelstr. in act. Conc. Const. p. 200.

Absoluta hac Sessione rediere tres illi Cardinales ad Joannem Papam ablegati, comitantibus eosdem Cardinale Pisano & Cardinale de Chalanto, qui prius Pontificem sequebantur. Hos, ut audirent, Nationum Deputati coram Imperatore conventum agunt. Haud dubie hosce Legatos quævis fausta Concilio denunciaturos sperabant omnes, verum animo concidebant Patres, cum hos Cardinales post plurimas ambages etiam aperte tueri intelligerent, Synodum absente Papa dissolutam censeri, hunc vero minime Concilio inferiorem esse. Inde ultro citroque admodum fervens exorta est disceptatio. Dumque hæc gerebantur, Cardinalium nonnulli edictum Joannis

nis affigunt, quo Papa omnes Cardinales, suosque Ministros sub pœna anathematis infra unius septimanæ terminum ad se revocat. Ast hic libellus insciis Cardinalibus a foribus abstractus ad Patres in unum congregatos defertur, qui eisdem exprobrant, quod suis conatibus pacis adeo certo promissæ expectationem fallerent. Respondent Cardinales, non suo jussu hoc scriptum fuisse publicatum, bene tamen illud die sequenti publicandum fore, compertum habuisse. Quæ cuncta tantum valuerunt, ut re infecta congregatio soluta, & ad alteram diem vigesimam septimam Martii dilata fuerit, in qua Cardinales Scaphusia redeuntes audirentur. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. CLXIX.

Congregatio de eodem negotio habita.

Intervenerat Imperator, legitque Cardinalis Pisanus auctoritate Pontificis quosdam articulos, quibus haud obscure significabatur, Joannem nullatenus cedere, sed potius sibi soli Papatum firmius asserere decrevisse. Imperator unacum tribus Nationibus perspecta Pontificis pertinacia acrius commotus Concilium continuari, ac quartam etiam Sessionem celebrari postulat. Interea tamen altera *Vander Hardt tom. 4. p. 76.*

die

Sæcul. XV A.C.1415.

die vigesima octava Martii adhuc alia habebatur Congregatio, in qua Cardinales omni studio ac contentione hujus Sessionis dilationem urgebant. Ast Nationum Deputati Cæsaris auctoritate suffulti non minore libertate, quam nuper ipsi Cardinales atque Itali, obluctati rem eo deduxerant, ut Sessio ad trigesimam Martii diem sancita fuerit. Postmodum Cardinales isti aliud Papæ mandatum affigi jubent, vi cujus officialibus Pontificiis duntaxat usque ad Dominicam *Quasimodo* Constantiæ commorari indultum erat; inde factum est, ut non modica Nationum indignatio crescceret, atque Pontificis, Cardinaliumque fides Concilio magis suspecta fieret.

§. CLXX.

Pontificii Procuratoris munus a Cardinalibus Cæsari oblatum.

Imperator illa, quæ Sessionem præcedebat, die Nationes convocari jubet, ut articulos in ea decidendos instruerent. Agebatur potissimum de auctoritate Concilii, ejusque continuatione, non obstante Pontificis discessu, firmanda in iis, quæ ad obtinendam schismatis extinctionem & reformationem Ecclesiæ in capite & membris pertinent; simulque statuebant, omnes ejusdem Decretis refragan-

fragantes juxta rigorem legis puniendos esse. Cardinales de his articulis edocti, hæc verba, *reformatio Ecclesiæ in capite & membris* deleri postulant, Papam in hoc puncto minime Concilio subjiciendum contendentes. Præterea petunt, ne Papa, nisi de schismate aut hæresi accusatus esset, coactivæ Synodi potestati subderetur, ac perpetuo supprimeretur silentio illa libertas, quæ Pontifici Constantiæ concessa fuisse jactabatur. Postmodum Cardinales abdicandæ dignitatis ejus potestatem Imperatori auctoritate Pontificis offerunt, ea tamen lege, ut bini ex Cardinalium Collegio cum sacræ Cæsareæ Majestatis consilio, Papa etiam invito, Pontificatui cedere possent, insuper polliciti, Curiam Romanam absque Synodi judicio Constantia non esse abducendam, seque Sessioni postera die trigesima Martii celebrandæ, interfuturos, dummodo de istis articulis, quos supprimi rogassent, nulla fieret mentio, sed prout in votis haberent, omnino delerentur.

Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. CLXXI.

Papa Scaphusia Lauttenburgum profugiens.

Imperator intellectis hisce conditionibus, se hac super re cum Nationibus in Francis-

Sæcul. XV. A.C. 1415.

Franciſcanorum cœnobio congregatis collaturum reſpondit; eodemque temporis momento promiſſis ſtetit. Cum autem Nationes in concepto Articulorum tenore nil immutandum contenderent, Cardinales de rei ſumma edocet, rogans, ut usque ad proximæ ſeſſionis tempus nonniſi hora decima celebrandæ, quid factu opus eſſet, deliberarent. Dum hæc interea agebantur, Pontifex omnium, quæ geſta fuere, haud ignarus, Cæſarem contra Auſtriæ Ducem bellum parare certior factus, proin in Scaphuſia ſe cingi veritus, Lauffenburgum auffugit, quod oppidum eſt ad Rhenum inter Scaphuſiam & Baſileam interjectum. Simulac Scaphuſia exceſſerat, Notarium & teſtes accerſiri jubet, & illis præſentibus ſolemniter conteſtatur, ſe quicquid Conſtantiæ juraſſet, & promiſiſſet, metu ac vi adactum feciſſe, ac propterea illud ſervare non teneri. Nihilominus tamen eodem tempore in quibusdam ſuis epiſtolis ultro citroque directis e diametro oppoſita ſcripſit.

Vander Hardt tom. 4. p. 85.

§. CLXXII.

Congregatio ante Seſſionem habita.

Seſſione primum ad horam decimam indicta, adhuc Congregatio matutinis horis celebrata eſt, in qua de opportunis

agebatur mediis, quibus Cardinales ad hanc Seſſionem venire permoverentur. Si fides Emanueli Schelſtrato Vaticanæ Bibliothecæ Pro-Præfecto, conſpirarunt cum Cardinalibus Regis Galliæ Legati, ut juncta cum eis opera Articulorum ſuppreſſionem poſtularent. Hoc interea exploratum habemus, quod omnibus pro Seſſione convenientibus, & divinis jamjam peractis, Præſulibus quoque ſedes ſuas occupantibus, Cardinales tuendæ cauſſæ ſuæ impares, tandem unacum Imperatore & Nationum Deputatis Concilium accedere decreverint, quin prævie de ulla conditione inter ſe conveniſſent, ſola promiſſione contenti, quod Articuli de poteſtate coactiva Concilii & reformatione Eccleſiæ in ſuo Capite & membris mitigandi eſſent certis quibusdam limitibus; quem vero limitationis modum hac in re inierint Patres, conjicere haud licet; nam hæc conſultatio duntaxat viva voce, atque ut putamus, tumultuarie facta fuit *.

Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CLXXIII.

(*) Ipſum Concilii Decretum Concilii Generalis poteſtatem ſupra Papam his verbis limitavit: *In his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis.* Vide Turrecremat. Compegium, Sanderum, Bellarminum, & alios plurimos.

Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. CLXXIII.

Sessio quarta.

Labbe Conc. Gener. tom. 12. p. 18.

Quartæ huic Sessioni præfuit Cardinalis Jordanus ab Ursinis; Intererant quoque omnes Cardinales, excepto Cameracensi & Vivariensi adversa valetudine præpeditis: plurimi enim Codices scripti hos adhucdum Constantiæ commoratos fuisse memorant. Imperator etiam aderat cum omnibus Principibus in hac urbe existentibus. Re divina per Antiochenum Patriarcham de more peracta, aliisque consuetis solemnibus rite persolutis Zabarella Cardinalis *Florentinus* prælegit Articulos, quorum primus (plurium contentionum caussa) sequentibus concipiebatur terminis: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Hæc sancta Synodus Constantiensis Generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis, & unione, & reformatione Ecclesiæ Dei in capite & membris fienda, ad laudem omnipotentis Dei in Spiritu Sancto legitime congregata ad consequendum facilius, securius, liberius, & uberius unionem, & reformationem Ecclesiæ Dei ordinat, disponit, statuit, decernit, & declarat, ut sequitur:*

§. CLXXIV.

Sæcul. XV.
A C. 1415.

§. CLXXIV.

Decretum Sessionis.

Declarat, quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitime, generale Concilium faciens, Ecclesiam catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habeat, cui quilibet, cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in iis, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei, in capite & in membris.

§. CLXXV.

Diversæ opiniones circa postrema hujus articuli verba.

Primus iste articulus in plerisque hujus Concilii editionibus, necnon ex plurimis scriptis Codicibus altefato tenore legitur. Nihilominus Schelstratus hæc verba: *Reformatio Ecclesiæ in Capite & membris*, in quarta Sessione perlecta non fuisse asserit, sed Florentinum Cardinalem in medio lectionis cursu repente hærentem ea consulto omisisse, vel falsa, vel contra generalem Synodi mentem perperam intrusa fuisse affirmans. Dupinus hæc quoque verba: *in iis, quæ pertinent ad fidem* in nonnullis editionibus de-

Sæcul. XV A C. 1415.

esse testatur, ac denique in quibusdam Bibliothecæ Vaticanæ Codicibus scriptis, quos Schelstratus consuluit, hæc verba: *ad reformationem Ecclesiæ in Capite & membris*, desiderari. Cum vero in pluribus aliis, præsertim in uno Cardinalis Sirleti, in duobus San-Victorianis voluminibus, etiam tempore Concilii manu exaratis, necnon in antiqua Collectione actorum Concilii Constantiensis jussu Basileensis Synodi Anno millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo concinnata, & prima vice Haghenoæ Anno supra millesimum quingentesimo typis vulgata, item in omnibus sessionis sequentis authographis reperiantur; cumque Gersonius in utroque sermone, quem in Concilio habuit, hæc verba sub eodem tenore recitasset, videtur Schelstratus immerito Concilii Basileensis Patres velut primos hujus additionis Auctores incusasse, maxime, quia ad probandum, quod reipsa Synodus, Papam Concilio esse inferiorem, definierit, supervacaneum fuisset, hæc verba primum assuere, eoquod hæc doctrina per priora hæc verba: *Cui quilibet, cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat*, jam satis superque stabilita fuisset *. Denique

(*) *Plane hæc verba ad stabiliendum Gal-*

lorum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

concedatur, quoddam dubium in hac Seſſione circa hæc verba reformationem concernentia motum fuiſſe; nonne id in Seſſione ſequenti ſatis ſublatum videtur, dum in ea idem hoc Decretum unacum eadem hac additione relectum & reiteratum fuit. Haſce duas ſententias Doctor Vander Hardt conciliare conatur, dicens: quod in manuſcriptis, in quibus de reformatione nulla fit mentio, articuli referantur tales, quales Zabarella in Concilio legerat: econtra vero illi Codices, in quibus hæc verba expreſſa habentur, eos recitarent, prout Nationes illos a ſe conditos a Cardinale perlegi voluerunt. Saecul. XV. A.C.1415.

§. CLXXVI.

Articulus ſecundus.

Articulus ſecundus, prout illum Cardinalis Florentinus legerat, hujus erat teno-

lorum ſyſtema non ſuffeciſſent, hi enim Papam quolibet Concilio Generali abſolute inferiorem eſſe ex hiſce decretis evincere nituntur, cum tamen hæc verba aperte hac reſtrictione limitentur: ſuper præmiſſis, *id eſt ſuper auctoritate Conciliorum in & pro caſu ſchiſmatis, ſeu, quod idem eſt, Pontificis duntaxat dubii, vel illegitimi, ubi enim certus eſt Papa, non exſtat ſchismatis caſus.*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

tenoris. *Sanctissimus Dominus noster Papa Joannes XXIII. Romanam Curiam, & officia publica illius vel illorum officiarios, ab hac civitate Constantiensi ad alium locum non mutet, aut transferat, seu personas dictorum officiorum ad sequendum eum, directe vel indirecte cogat, sine deliberatione, & consensu ipsius sanctæ Synodi, & ab hoc, quoad illos officiarios, vel illa officia, per quorum absentiam Concilium verisimiliter dissolveretur, vel læderetur. Et si contrarium feciſſet, seu facere in futurum, aut aliquas censuras Ecclesiasticas vel alias pœnas quascunque contra dictos officiarios fulminasset, vel fulminaverit, id totum sit irritum, & inane, quinimo dicti officiarii in dicta Civitate Constantiensi suis officiis utantur, & illa exerceant libere ut prius.*

§. CLXXVII.

Articulus tertius.

Articulus tertius his concipitur terminis: *Omnes & singulæ translationes Prælatorum, necnon privationes eorumdem, aut aliorum beneficiorum quorumcunque, commendarum aut donationum revocationes, monitiones, censuræ Ecclesiasticæ, processus, sive acta, & gesta gerenda, agenda per præfatum Dominum nostrum, aut suos Officiarios & Commissarios in læsionem Concilii*

lii a tempore ſui receſſus, ipſo jure ſint nulla, Sæcul. XV.
eaſſa irrita & inania ac nullius roboris, A. C. 1415.
ex ſua auctoritate caſſat, irritat, & annullat.

§. CLXXVIII.

Quartus & quintus Articulus.

Cardinalis Florentinus priores tres duntaxat legit articulos, nihilominus tamen adhuc alii duo condebantur, quorum primus continebat, quod *de qualibet Natione eligantur tres Deputati, qui cognoſcant de cauſis recedere volentium, & de pœnis recedentium ſine licentia, infligendis.* Secundus habet, *quod pro bono unionis non crearentur novi Cardinales, & ne fraude vel dolo dicantur facti dudum Cardinales aliqui, declarat ſacrum Concilium pro non Cardinalibus haberi, qui non erant Cardinales publice reputati, & tenti in receſſu Papæ a civitate Conſtantienſi.* Dupinus hos articulos a Cardinalibus, Nationum Prælatis, Imperatore aliisque Principibus præſentibus, & abſentium Legatis approbatos fuiſſe affirmat. Non deſunt tamen autographa, in quibus duo poſtremi articuli tanquam in hac ſeſſione definiti deſiderantur.

Hiſt. Conc. Conſt. D. l'Enfant. tom. I. p. 105.

Secul. XV.
A. C. 1415.

§. CLXXIX.

Propositiones Cardinalium.

Vander Hardt tom. 4. p. 91.

Præfati Cardinales eadem die alios adhuc, ferme tamen eosdem cum illis, quos Cardinalis Pisanus die vigesima septima Martii proposuerat, proferunt articulos, polliciti, se nihil intentatum relicturos, ut Joannem ad acceptandos hosce articulos inducerent. Tenor autem erat sequens. I. Papa edito diplomate promittat, se Concilium nec dissoluturum, nec alium in locum absque deliberatione & consensu Synodi translaturum. II. Eadem hæc Synodus condat cessionis syngraphum, quam Papa acceptare teneatur, eligaturque certus Procuratorum numerus, ex quibus Papa octo seligendi libertatem habeat, ceteri autem duodecim pro parte Imperatoris & Cardinalium stent. III. Si in libello nomine Pontificis jamjam oblato quicquam immutandum occurat, Papa juxta datam a se fidem, ad hanc mutationem acceptandam inducatur. IV. Pontifex propriam curiam habeat, sine præjudicio tamen Concilii. V. Cardinales, si Papa e vivis decederet, non alium eligant Pontificem. VI. Nullius Cardinalis creationem suo consensu firment, donec negotium unionis totaliter absolutum sit.

Tandem;

Tandem, operam ſuam impendant, ut Papa de omnibus, quæ Synodus ad concordiam Eccleſiæ neceſſaria fore judicaverit, diploma edat; nec contra Auſtriæ Ducem bellum moveatur. Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. CLXXX.

Congregatio de omiſſis per Cardinalem Florentinum articulis.

Prima die Aprilis, quæ erat feria ſecunda Paſchatis, habita eſt Congregatio, in qua Nationum Deputati de articulis, quos Cardinalis Florentinus ſubreptitie præteriit, deliberaturi convenerunt, altioris id indaginis ac momenti rem eſſe exiſtimantes. Quia vero hoſce Articulos jam antea maturo conſilio ponderaverant, ab eis nec latum unquem recedendum crediderunt. Tandem vero erant contenti, ut ſubreptionem hanc in ultima Seſſione a Cardinale Florentino factam exprobrarent Cardinalibus, & inſuperhabitis horum precibus decernerent, quod articuli in quarta Seſſione prætermiſſi, vel mutilati, in ſequenti Seſſione, quæ ad ſextam Aprilis diem indicta erat ex integro recitarentur. *Idem p. 92.*

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

§. CLXXXI.

Concilium a Joanne per epistolam de ipsius fuga edoctum.

Idem p. 93. Antequam Sessio celebraretur, Joannes fugam suam Lauffenburgum arreptam Patribus denunciat, disertis verbis memorans: se Scaphusia discessisse, cum timeret, ne ibidem captivus detineretur, necnon ea, quæ in bonum unionis promisisset, exequi prohiberetur. In eadem Bulla, ut Imperatori & Concilio majorem conflaret invidiam, subjunxit, quod nec illa, quæ sibi Constantiæ imminebant, pericula formidasset, sed libenter quævis subiisset discrimina, nisi veritus, ne Benedictus & Gregorius comperta ejus custodia, ex tali ausu occasionem captantes, se a cessione Papatus retraherent, & schisma diutius alerent.

§. CLXXXII.

Congregatio de secunda Pontificis fuga.

Idem p. 94. Hæc Bulla non modice turbatos reddidit Cardinales, spem inter & metum fluctuantes. Hinc enim per repetitam Pontificis fugam Concilium dissolutum iri gaudebant, illinc vero per diuturniorem

niorem ejus abſentiam ſuas dignitates a- Sæcul. XV.
mittere timebant. Quid igitur factu o- A.C.1415.
pus eſſet, ancipites hærebant. Nihilominus tamen non pauci eorum Synodi diſſolutionem temere ſperantes ad Joannem ſe conferunt. Quorum intellecto conſilio Imperator Generalem Congregationem indicendam cenſuit, in qua Archiepiſcopus Rhemenſis de legatione ſua ad Pontificem iteratam deferret relationem, eo fine, ut Bulla cum Archiepiſcopi verbis collata Joannis inconſtantiam omnibus palam faceret. Rhemenſis id ſuæ adjecit relationi, Cardinalem de Chalanto ad ſe veniſſe, ac nomine Pontificis ſibi præcepiſſe, ſignificaret Sigismundo, ſe non metu, vi, nec Imperatoris odio compulſum Conſtantiam deſeruiſſe, ſed unice, ut clementiori aura valetudini ſuæ conſuleret, ſeque omnia, quæ in Concilio promiſiſſet, prompte executurum, tantoque in Imperatorem amore ferri, ut illo Niciam ad colloquium cum Petro de Luna proficiſcente, itineris comes eſſe deſideraret, ibidem mutuo ſtudio unionem promoturus. Cardinalis iſte tum temporis præſens, de narrati veritate teſtatus eſt, affirmans, ſibi etiam a Papa injunctum eſſe, ut referret, ab ipſo non quidem ex metu violentiæ ab Imperatore, bene tamen a ſuorum Aulicorum nonnullis ſibi inferendæ fugam eſſe

Sæcul. XV. A.C. 1415.

arreptam. De hac Archiepiscopi relatione Sigismundus, & Franciæ Legati instrumentum confici jusserunt. Dein de aliis caussis actum est, tresque nominati fuere Commissarii, qui a Concilio recedentium rationes discuterent, eosque, qui absque impetrata venia ab eo discessuri essent, castigarent.

§. CLXXXIII.

Sessio V.

Labbe Conc. tom. 12. p. 21.

Die Sabbati sexta Aprilis quintam celebrant Sessionem. Præfuit Cardinalis Ursinus assistentibus septem aliis Cardinalibus, nimirum Laudensi, Aquilejensi, S. Marci, de Chalanto, Pisano, de Salutiis & Florentino. Cardinales vero Cameracensis, Vivariensis, Venetus, & de Fliscо, licet Constantiæ agerent, non intererant, cujus absentiæ ratio ignoratur. Prima Patrum cura eo tendebat, ut articuli jam in quarta sessione lecti iterato recitarentur: cum vero Florentinus Cardinalis eos relegere detrectasset, hæc provincia Episcopo Posnanienſi demandata est.

§. CLXXXIV.

Præcedentis Sessionis decreta, aliaque approbata.

Vander Hardt tom. 4 p. 98.

Si Schelstrato fides, quorumdam contentio de forma, qua hi articuli exponeban-

nebantur, exorta est. Nihilominus plurimorum Concilii actorum testimonio discimus, fuisse eos unanimi consensu exceptos, atque firmatos sub eadem forma, ac cetera aliarum Sessionum decreta. Præter hosce quinque articulos Spondanus, & post eum Dupinus alios adhuc quatuor referunt. I. Teneatur Joannes Pontificatum abdicare, atque hujus Concilii definitoni stare II. si requisitus cedere recusset vel differat, habeatur pro deposito. III. Ejusdem recessus fuit illicitus, & bono ac unioni Ecclesiæ noxius, hinc requiratur, ut redeat, & si renuit, contra eum tanquam contra schismatis fautorem & de hæresi suspectum procedatur. IV. Si vero Constantiam redire cupit, adimpleturus, quod promisit, dentur ei securitatis literæ, quibus illi cautum sit, ne prehendatur, incarceretur, nec in Persona nec in bonis ejus, nec ante nec post abdicationem eidem molestia inferatur, sed plena fruatur securitate ac libertate, præterea ejus dignitati consulatur hanc in rem designatis octo Commissariis, quorum quatuor a Papa, totidem vero a Concilio nominentur.

Sæcul. XV. A.C.1415.

Labb. append ad tom. 12 p. 1468.

Spond. ad ann. 1415. n. 22

Dupin. Bibl. tom. 12.

§ CLXXXV.

Sæcul. XV. A.C.1415.

§. CLXXXV.

Alii articuli a Posnanienſi Epiſcopo propoſiti.

Bzov. & Spond. an. 1415.

Hiſce articulis unanimi totius Concilii ſuffragio confirmatis, alios protulit Poſnanienſis Epiſcopus, quibus ad proximam Seſſionem via ſternebatur. Petiit ergo I. Pontificis fuga, necnon libera ac certa Concilii continuatio, nil obſtante ejusdem abſentia, datis ad Reges, Principes & Univerſitates epiſtolis ſignificetur. II. Pœnæ decernantur in eos, qui ſpreta prohibitione clam e Concilio diſceſſerunt. III. Sententia a Concilio Romano adverſus Joannis Wicleſi doctrinam lata confirmetur, atque ejusdem libri flammis tradantur. IV. In materia fidei & præcipue in cauſſa Joannis Huſſi Cardinales, & Prælati delegentur Commiſſarii, eisque adjungantur Theologiæ & Canonum Doctores. Hæ omnes propoſitiones pariter a Patribus fuerunt approbatæ.

§. CLXXXVI.

Commiſſarii ad informanda Judicii acta contra Joannem Huſſum nominati.

Cameracenſi & S. Marci Cardinalibus, Dolenſi Epiſcopo, & Ciſtercienſium Abbati

Abbati demandata est potestas judiciaria, ut Joannis Hussi acta prosequerentur, & latas in Joannis Wiclefi doctrinam sententias innovarent, præcipue vero illam, quæ fulminata erat adversus quadraginta illos articulos, jam antea a Parisiensi & Pragensi Universitatibus damnatos. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. CLXXXVII.

Preces ad Imperatorem de Papa Constantiam revocando.

Post hæc Episcopus oretenus, & per modum consilii proposuit, supplicandum esse Sigismundo tum præsenti, ut datis literis Joannem ad Synodum redire, atque ad liberandam Ecclesiæ, & Concilio datam fidem induceret, ita tamen, ut honorifice eum haberet, omnique libertate frui permitteret. Imperator de loco surgens dicebat, se quidem scire, quod Papa sub Ducis Austriaci præsidio in Lauffenburgensi arce moraretur, nescire tamen, utrum vel ipse redire, vel illum Dux dimittere velit. Verum quicquid de hoc esset, se, ut Synodi voto concederet, Joannem data epistola ad reditum etiam precibus permoturum, ideoque illi publicæ securitatis literas missurum esse. Quinimo fidem dedit, si Concilio expedire visum fuerit, se in propria Perso-

na

Sæcul. XV. A.C. 1415.

na profecturum, & Pontificem, invito etiam Duce Auſtriaco, Conſtantiam reducturum; addito, copias ſe miſiſſe Scaphuſiam verſus, & Cardinalibus necnon Curiæ Romanæ Officialibus in dicta urbe agentibus liberi commeatus literas obtuliſſe; hos autem reſpondiſſe, ſe nec redire, nec Papam Joannem ſequi, ſed Romam petere velle, uti etiam Cardinales Conſtantienſes ipſimet ſtatuiſſent.

Cum vero hæc verba vel maxime ferirent Cardinales, ideo Zabarella Cardinalis Florentinus ſuo, ſuorumque Collegarum (potiſſima ex parte præſentium) nomine repoſuit, ſe quidem decreviſſe Joannem tueri, ſi prout promiſiſſet, Papatum dimitteret, ſin vero contra datam fidem cedere detrectaret, relictis ejus partibus ſe Concilio adhæſuros: interea tamen ſe ſemper Pontificis honori conſulere intentos fuiſſe, eoquod mens illius necdum ſatis comperta fuiſſet; Quod autem me attinet, proſequebatur Cardinalis, teſtatum facio, mihi minime notum eſſe, quod Scaphuſienſes Purpurati unquam dixiſſent, ſe nec Conſtantiam redituros, nec Papam ſecuturos, ſed Romam peituros, hinc vehementer miror, ejusmodi rumores in publicum ſpargi. Ceterum in hac Seſſione ſancitum fuit, poſſe Imperatorem jubere, ut omnes, qui ſimulato habitu

habitu Conſtantia diſcederent, comprehenderentur. Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. CLXXXVIII.

Eccleſiæ Gallicanæ ſententia de Decretis hujus Seſſionis.

Percepimus omnia, quæ in hac Seſſione acta fuere, cujus prima decreta de auctoritate Concilii ſupra Papam, & de ſubordinatione ejusdem tam in materia fidei, quam morum, acres ab illo tempore procrearunt contentiones, & compluribus, eisque ampliſſimis lucubrationibus ſubminiſtrarunt materiam. Cum vero hæc quæſtio potius ad Theologicum quam Hiſtoricum forum pertineat, nullatenus mihi animus eſt, eandem impræſentiarum penitius diſcutere, ſed ſufficiat ea, quæ in ipſa Synodo geſta fuere, ſimpliciter referre, relicta Lectoribus illos Auctores, qui ex inſtituto celebrem hanc quæſtionem articulatim diſtincteque pertractarunt, conſulendi libertate. Interim tamen paucis verbis annotare liceat, in Generalibus Cleri Gallicani comitiis Anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo conditos fuiſſe quadraginta articulos, continentes declarationem accuratam & perſpicuam doctrinæ, quam Eccleſia Gallicana circa aucto-

Sæcul. XV. A.C.1415.

auctoritatem utriusque poteſtatis, Eccleſiaſticæ, & temporalis profitetur. Hos inter articulos ſecundus luculenter prodit, quam inviolabili affectu laudata Eccleſia ſancti Oecumenici Conſtantienſis Concilii decreta in IV. & V. Seſſione enunciata amplectatur, velut ab ipſa ſacra Sede Apoſtolica comprobata, uſu Univerſalis Eccleſiæ, & Romanorum Pontificum confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana omni tempore, quam ſanctiſſime obſervata (*). Cumque idem Cleri Galli-

(*) *Hæc Continuatoris verba Reverendiſſimus ac doctiſſimus D. Stevart Canonicus & Decanus Eccleſiæ Metropolitanæ ad D. Rumoldum ſequenti perſtringit cenſura:* Continuator in tribus vel quatuor verbis impudenter audet effutire tres horrendas falſitates. *Haud ignoramus Continuatorem eadem ex propoſitione II. Pariſienſis Conventus mutuaſſe, ubi Epiſcopi quidam alte intonant.* Decreta Concilii Conſtantienſis a Sede Apoſtolica comprobata, ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana Religione perpetua eſſe cuſtodita. *Qua autem ratione Auctor noſter illa a Sede Apoſtolica fuiſſe approbata jactitare poteſt? cum tamen ab omnibus ſummis Pontificibus rejecta, a nullo autem confirmata fuerint; non quidem a Joanne XXIII. approbata, qui jam fuga dilapſus erat, & hiſce decretis ſibi ſalubram cudi optime præſenſerat; unde auctoritatis

Gallicani Conventus, hæc decreta perpetuo valitura, omneinque ſuam vim plene retentura ſanxiſſet, ſubjungit: reprobare ſe eorum opinionem, qui iſta decreta violant, vel infirmant, dicendo, eorum Sæcul. XV. A.C.1415.

---

tis ſuæ tenax Synodo ſeſe ſubjicere detrectaverat; nec a Martino V. quia duntaxat approbavit, quæ in materiis fidei *ſcilicet contra errores Wicleſi, Huſſi &c.* & conciliariter, *id eſt prævio examine, communi conſenſu, & præſidente Pontifice decreta fuere: non ab Eugenio IV, qui quidem Concilii Conſtantienſis auctoritatem, & poteſtatem extulit, ſed non ſupra Pontificem, nec quoad primas ſeſſiones, unde in epiſtola ad Foſcarenum Venet. Ducem, ait,* potius vitam poſuiſſemus, quam ut Sedis Apoſtolicæ auctoritas ſubmitteretur Concilio, *& in ep. ad Legat. in Germ. Anno* 1445. *declarat,* ſe venerari Conc. Conſtantienſe ab ejus initio usque ad translationem, absque tamen præjudicio præeminentiæ S. Sedis Apoſt. *Demum Pium II. edita Bulla ſententiam hanc revocaſſe nemini dubium eſt, dum dixit:* non eſt corpus Eccleſiæ ſine capite, omnisque ex capite diffluit in membra poteſtas. *Num forte* univerſalis Eccleſiæ uſu comprobata *dici poſſunt hæc decreta, quæ nonniſi ſola Gallia adoptat, omnesque ceteræ Chriſtiani orbis Eccleſiæ, regna ac Doctores avitæ adhærent doctrinæ, ubi hæc ipſa decreta Joanne XXXIII. abſente, exclu-*

Sæcul. XV. A.C. 1415.

rum auctoritatem vacillare, ea non esse approbata, vel illorum vim duntaxat ad casum schismatis restringi.

Quoniam vero Generalium Conciliorum auctoritas supra omnem aliam potesta-

---

sis Cardinalibus, viginti duobus, aliisque Regibus Principibus &c. obedientiæ Benedicti & Gregorii addictis, bisque sese opponentibus ac contra ea scripto excipientibus, repugnantibus etiam Italorum Natione, & ipso Sigismundo Imp. die 29., ac Galliæ Oratoribus hæc decreta omitti petentibus, nihilominus clanculum, obreptitie, præter præviam, communemque deliberationem *addita, atque intrusa fuere. Num omni* tempore ab Ecclesia Gallicana religiose observata *dici merentur ea decreta, cum Carolus VI. Galliarum Rex Ebroicensi, & Carcassonensi Episcopis Joannis XXIII. depositionem nunciantibus reposuit,* insolens sibi videri, quod Synodus ausa fuisset Pontificem deponere, *cum idem Doctores Parisienses ea de re acriter per Delphinum objurgari, & Joannem a Castellione Constantia Parisiis reducem carceri mancipari jussisset. Carolus vero VII. missis ad Eugenium IV. Legatis Basileensium decreta, Constantiensibus similia respuit, & Ludovicus XII. anno* 1513. *per suos Oratores Cardinalem Sanseverinum, Claudium Seissellum, & Ludovicum Furbinum ad Concilium Lateranense missos,*

testatem spiritualem per hæc Decreta perspicue asserta ac decisa habetur, atque Ecclesia Gallicana in hac materia sententias suas illi tanquam validissimo fundamento superstruit, Schelstratus non abs re censuit, labefacta eorum auctoritate Cleri quoque Gallicani declarationem funditus eversam iri, ejusque doctrinam graviter concutiendam. Enimvero ante hunc Auctorem Gallicanæ doctrinæ Adversarii semper tanquam certum supponebant, quod Constantiensis Synodi decreta, quibus Ecclesia Gallicana innititur, omnino integra fuerint publicata, nemo etiam illa immutata fuisse affirmare audebat, minus vero dedita opera aliquam illorum partem fuisse adulteratam. Theologi quidem Ultramontani diversa alia adoptant media, ut arma, quæ Ecclesia Gallicana ad tuendas suas opiniones ex præfatis decretis petit, eidem extorquere valeant.

Sæcul. XV. A.C. 1415.

§. CLXXXIX.

---

missos, ejusmodi decretis renuntiavit, & Sessioni X. ejusdem Concilii adhæsit. Vide Spond. ad Annum 1415. *n.* 54. *&* 1418. *n.* 5. *ex quibus, pluribusque aliis documentis manifeste patet, hæc decreta nequidem a Gallis perpetua Religione fuisse custodita.*

Sæcul. XV. A. C. 1415.

§. CLXXXIX.

Schelſtrati conatus ad evertendam horum Decretorum auctoritatem.

Aſt Schelſtratus argumentorum infirmitatem haud ignorans, finem, ad quem collimabat, via tutiori, eaque magis expedita aſſequi ſperabat, (*) aſſerens, ſe inveniſſe

(*) Iniquius Continuator Schelſtratum tantæ auctoritatis ac doctrinæ Virum quaſi mendacii vel hallucinationis arguit. Si noſtro Continuatori forte ſuſpecta erat Schelſtrati fides, cur non conſuluit *Itinerarium Helvetico-Italicum* Bruneti e ſecta Proteſtantium Anglicanæ Eccleſiæ Doctoris ac Theologi, qui authentica manuſcripta, in quibus præfata verba deſiderantur, in Bibliotheca Vaticana ſe propriis oculis vidiſſe teſtatur his verbis: *Juxta Gallorum Codices manuſcriptos, in Seſſione IV. conditum eſt Decretum, quod Pontificem ſubjicit . . . . Conciliorum auctoritati tam quoad decreta, quam quoad reformationem in Capite & membris . . . . Ad hæc Schelſtratus reſpondit: hæc Decreti Seſſionis IV. manuſcripta nihil dicunt de reformatione in capite & membris. Profecto quosdam mihi ejusmodi Codices exhibuit, in quibus hæc verba omnino non leguntur, & præcipue duo manuſcripta oſtendit, de quibus evidens eſt, ea tempore, QUO ACTU HOC CONCILIUM CELEBRABATUR, conſcripta fuiſſe. Adeo enim exploratos habeo illius ævi characteres, atque ſcribendi modos, ut me nullatenus deceptum fuiſſe, certiſſimum ſit.* Hæc Brunetus. Ex Hermano etiam Vander-Hardt, cujus fides Continuatori certe ſuſpecta eſſe non poterit, diſcere debuiſſet, Schelſtratum,

veniſſe in Bibliotheca Vaticana, curæ ſuæ demandata, genuina quædam auctographa, (*) quorum auctoritate fultus Theologos

Sæcul. XV. A.C. 1415.

tum non immerito hujus additionis Auctores exiſtimaſſe Baſileenſis Synodi Prælatos, hic enim diſertis verbis teſtatur: Collatis inter ſe optimæ notæ Codicibus MS. cum aliis Codicibus ex Baſileenſi exemplari deſcriptis, ſe deprehendiſſe hanc particulam: *& reformationem Generalem* &c. aſſutam fuiſſe: Hæc quoque verba *& ad fidem* a Petro Crabbeo fuiſſe intruſa facile colligere potuiſſet Continuator, ex eo, quod in omnibus editionibus, quæ Colonienſem Crabbei præceſſerunt, hæc verba deſiderentur; Demum Baſileenſes ſuam editionem ex tribus Codicibus manuſcriptis Concilii Conſtantienſis a Notariis ipſius hujus Synodi conſcriptis compilarunt; cum ergo in his tribus Codicibus hæc verba: *Reformationem* &c. non reperiantur, argumento eſt, ea primum in Baſileenſem editionem, atque inde in Colbertinam, Victorinam, Hagenoenſem &c. irrepſiſſe, qua arte, quove conſilio, vid. apud Schannatum Concil. ſæcl. 15. fol. 44. §. 3. Gall. Vindic. contra Maimburg. differt. 3. §. 4. Eug. Lombard. Regal. Sacerd. l. 2. §. 16. Matth. Petitdidier diſſ. hiſt. de ſent. Conc. Conſt. paſſimque plures alios.

(*) Profecto Continuator de Republica literaria optime meritum ſe reddidiſſet, ſi contra Schelſtratum præallegata, quæ conſuluit Vaticani manuſcripta, adulterata, vitiata, vel ſuppoſititia aut falſa eſſe, oſtendiſſet, vel ſaltem Lectores ſuos ad ejusmodi Auctores atque teſtes, qui hoc luculenter demonſtrant, remiſiſſet, quod tamen nec Arnaldus ſuus nec alii hucus-

Sæcul. XV. A. C. 1415.

logos Gallos ſuis armis exuere poſſet; Concilii Conſtantienſis Decretorum auctoritatem tanquam unicum eorum Achillem enervando, ac præprimis ad oculum, ut confidebat, demonſtrando, primum quartæ Seſſionis decretum a Patribus Baſileenſis Synodi corruptum fuiſſe. Quod ut probaret, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo tertio librum typis publicis vulgavit ſub titulo: *Acta Concilii Conſtantienſis, ad expoſitionem Decretorum ejus ſeſſionum IV. & V. facientia* &c. Doctorum plures huic lucubrationi reſponderunt, quos inter tamen argumentorum pondere ac ſolliditate eminuiſſe videtur Arnaldus in ſuis dilucidationibus circa Auctoritatem Conciliorum Generalium, atque Pontificum. (*)

FINIS TOMI XXV.

---

hucusque evincere potuerunt. Conſultius igitur egiſſet, ſi intacto Schelſtrato, ſimpliciter dixiſſet: ſolius Eccleſiæ Gallicanæ (non autem *Eccleſiæ Univerſalis & ſummorum Pontificum*) uſu hæc Decreta eſſe confirmata, & quoad hæc verba obſervari. Saltem reticere non debuiſſet etiam in Galliis famoſos illos quatuor Articulos, quos inter numeratur doctrina de auctoritate Concilii ſupra Papam, anno 1682. conditos a Ludovico XIV. Galliarum Rege revocatos fuiſſe.

(*) *Dilucid. circa Author. Conc. Conſt. & Baſil. in 8vo 1711.*

INDEX

INDEX
TOMI XXV.
CONTINUATIONIS
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ.

In quo Arithmeticæ Romanorum notæ numerum in Dissertatione ad Historiam Ecclesiasticam; Arabicæ vero ipsius operis paginas denotant.

A.

Albatorum secta. CLXXXVI.

Albicus Pragensis Archiepiscopus qualis fuerit? Pagina 312. Ei Conradus Olmucensis Episcopus Administrator adjungitur. 313.

Alexander V. Papa eligitur 215. Ejus indoles 216. Pisanæ Synodo præest 219. Ejus oratio 220. Anteacta approbat *ibid.* Coronatur 221. A Parisiensibus magni habetur *ibid.* Sententias suorum Competitorum PP. irritat 225. Dispensationes confirmat *ibid.* Andegavensi Neapolis

jura asserit 226. Electiones canonice factas confirmat 227. Spolia, & annatas remittit *ibid.* Rupertum Imperatorem offendit 235. Ejus Bulla pro FF. Mendicantibus 244. 275. Hi prædicare prohibentur a Galliarum Rege 246 & 247. Ladislaum Regem regno exuit 248. Pistojam abit *ibid.* Romam revertitur 249. Ejus Bulla de bello in Turcas 250. Alia adversus Hussitas *ibid.* Archiepiscopo Pragensi Wiclefi libros proscribere præcipit 255. Balthasari Cossæ in omnibus obsequitur 257. Facilis in concedendis gratiis 258. Romam venire frustra rogatus 260. 261. 262. suos competitores condemnat 260. Moritur 262.

Alliacensis, vide, *Petrus*.

Amelius (Petrus) Embrodunensis Archiepiscopus Cardinalis creatus. CXXIV.

Ancharano (Petrus de) in Pisana Synodo Ruperti Imperatoris propositiones confutat. 199.

Angelus de Corrario. Vid. *Gregorius* XII.

Angliæ Legati ad Pisanam Synodum 197. Concilium contra Wiclefistas. 7.

Antonius Cardinalis & Gregorii XII. Deputatus Francofordiæ 174.

Antonius de Luna Archiepiscopum Cæsar-Augustanum proditorie occidit 292.

Appellatio Ruperti Cæsaris ad Concilium Oecumenicum 193.

Aquilejense Concilium a Gregorio XII. convocatum. 140.

Aretini

Aretini relatio deputationis Joannis XXIII. ad Imperatorem 349.
Armeniacus Joannes Cardinalis creatus. 138.
Arnaldus Corbejenſis a Galliarum Rege ad Clementem VII. miſſus pro impediendis exactionibus. CLXX.
Arragoniæ Legati ad Piſanam Synodum admiſſi 212. Regem ſuum de geſtis Concilii edoceri poſtulant 213. Benedicti XIII. Legatos in Synodo audiri poſtulant 213. indigne habentur 214.
Arragoniæ ſucceſſor, vide *Ferdinandus.*
Arundelius Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus Wiclefi articulos condemnari petit. 7. Lollardos inſectatur 338.
Articuli Wiclefi, & Joannis Huſſi. Vid. *Wicleſus & Joannes Huſſus.*
Avenione Pontifices a Clemente V. usque ad Gregorium XI. reſident. LXI.
Auguſtiniani Eremitæ Pariſienſi Univerſitati parere recuſant, & prædicare prohibentur 247.
Aureliæ Dux Benedictum XIII. captivum libertati reddere conatur. 14. Liberat. 17. Ejus diſſidia cum Burgundiæ Duce 58. 316. Juſſu Burgundi occiſus 114. Ejus conjux fruſtra a Rege cædis ultionem petit 117. 120. præ mœrore moritur 121. ejus factio a Burgundiæ Duce diſperſa 318. decreſcit 339. bellum Regis Gal-

liæ adverſus ejus Filium. *ibid.* fœdus cum Anglis init. 339.

B.

Bajazethes a Tamerlano victus, ac ferreæ caveæ incluſus. pag. 16.
Balthaſar Coſſa Cardinalis. Vid. *Joannes* XXIII. Ladislao profligato Romam recuperat 249. Alexandrum V. in omnibus obſequentem habet 257. 260; eum Bononiam comitatur 260. Papatui inhiat 261. 271. Alexandrum veneno necaſſe creditur 263. Gregorio XII. adverſatur 270. ab eo excommunicatur 292.
Barenſis Cardinalis in Galliis legatus perhonorifice exceptus 224.
Barienſis Archiepiſcopus. Vid. *Urbanus* VI.
Barrierius Petrus, Cardinalis creatus. CXXIV.
Benedictus XI. Bonifacio ſuccedit. LXII.
Benedictus XII. Joanni XXII. ſubrogatus. LXII.
Benedictus XIII. poſt Clementem VII. Papa electus CLV. Legati Principes a Rege Galliæ Avenionem ad eum miſſi CLVIII. ceſſioni annuere detrectat CLX. inanem Bullam edit CLXI. colluſione cum Bonifacio unionem Eccleſiæ impedit CLXVI. Bullam adverſus Pariſienſem Univerſitatem promulgat. CLXVII. Pampelonenſem Cardinalem in Gallias mittit. CLXIX. ab octodecim Cardinalibus ſuis relictus CLXXIV.

Ejus reſponſum ad Petrum Alliacenſem a Rege Avenionem miſſum CLXXVII. In arce Avenionenſi obſeſſus CLXXIX. atque in ſuo palatio captus CLXXXII. Ejus epiſtola ad Galliarum Regem de hac captivitate. CLXXXII. Gallorum diſſidia circa ejus captivitatem, & ſubtractam obedientiam. p. 13. liberatur ab Aureliæ Duce, Braquemontii miniſterio 17. 18. vindictæ haud cupidus 19. fugam ſuam Galliarum Regi nunciat 21. ſuos Cardinales in gratiam recipit 22. pacta cum Galliarum Rege 23. obedientiam a Gallis ſibi reſtitui petit. 24. reddendæ obedientiæ pacta 26. 28. Caſtellani ei obediunt 29. Nepoti ſuo Archiepiſcopatum Toloſanum confert. *ibid.* Philippi Abbatis electionem reprobat 30. Electiones tempore ſubtractæ obedientiæ factas firmare renuit. *ibid.* Legatos mittit ad Bonifacium IX. 32. Hi minus benigne excepti 33. colloquium proponunt. 34. ſed rejecto conſilio ſimoniæ crimen Bonifacio perperam objiciunt 35. carceri mancipantur. 36. eorum perfidia exponitur 46. & ſeq. Benedictus in Italiam iter meditatur 48. Ad id decimas a Clero Gallicano obtinet. *ibid.* Genuam venit 55. Innocentium tanquam ſchiſmatis fautorem proclamat. 58. Cardinalem de Chalanto in Franciam ablegat. 61. Galli obedientiam ei ſubtrahunt 66. ad Gregorium XII. ſcribit

bit de unionis negotio 90. ſubdole cedere promittit 94. ceſſionem confirmare renuit 95. necdum ei ſubtractionis decretum indicatur. 96. ceſſionis fautores excommunicat 107. Galliarum Regi minatur. 108. Savonam petit 110. impenſe, ſed fruſtra Papatui cedere rogatur. 113. Bullam contra Gallos promulgat 130. contra illam Curtacoxa declamat 133. ſententia adverſus illam 134. dilaceratur 135. ejus latores puniuntur 148. Perpinianum fugit, ibique Synodum celebrat 161. 138. Cardinales creat. *ibid.* 236. a ſuis Cardinalibus ad Piſanum Concilium vocatur 156. 159. *ejus reſponſum* 160. ejus Prælati ceſſionem ſuadent 164. Oratores ad Piſanum Concilium mittit 164. male habentur a Gallis & Florentinis 165. a Piſana Synodo citatur 184. 185. ei dies dicitur. 185. obedientia ſubtrahenda decernitur 201. 202. ſubtracta promulgatur. 205. ejus Legati auditi. 214. Paniscolæ moratur. 272. a Cæſare ad Concilium Conſtantienſe invitatur 357. ejus Legati in eadem Synodo. 422.

Bertrandus Archiepiſcopus Burdegalenſis electus Papa aſſumpto nomine Clementis V. LXIII.

Biturícum Dux in ſua arce cinctus 340. obſidio ſoluta 341.

Bohemi

Bohemi a Bonifacio IX. deficiunt. 3. Huſſum eſſe captum conqueruntur 420.

Bonifacius IX. Urbano IV. ſuccedit CXXI. Quatuor Cardinales ab eo creati. CXXIII. Exactiones ad firmandum Ladislaum in Neapolis regno. CXXVIII. Duo Carthuſiani ad eum miſſi. CXXXIII. Galliarum Rex eidem quatuor alios mittit. CXXXVIII. legitimus Papa agnoſci petit. CXLII. ejus colluſio cum Benedicto XIII. *ibid.* Rex Luſitaniæ, aliique Principes ejus obſequio conſtanter addicti. CLXVII. Romanis inviſus ob ſimoniæ ſuſpicionem. CLXXXIV. Annatas perpetuo jure ſtabiliiſſe creditur. CLXXXV. Jubilæum ab eo Romæ celebratum. CXC. Hungariæ & Bohemiæ regna ab eo deficiunt 3. pariter Sigismundus Imp. & Wenceslaus Rex 4. Ladislaum Hungariæ Regem coronari procurat 4. quasdam urbes in Italia recuperat. 15. Benedicti Legatos minus benigne excipit, & ab eis Pontificios honores poſtulat 33. de Simonia a Legatis perperam ſugillatur, atque ob hanc injuriam morbum contrahit 35. moritur *ibid.* Balthaſari Coſſæ favet 268. a labe Simoniæ vindicatur. *ibid.*

Bona Eccleſiæ alienari prohibentur 229.

Braccius Tartagliam devincit. 300.

Branca-

Brancatius a Joanne XXIII. Cardinalis renuntiatus 306.
Branda Caſtellionæus Joannis XXIII. Legatus ad Sigismundum Cæſarem 208. Cardinalis creatur. 306.
Braquemontius (Robertus) Benedictum XIII. Papam ex Avenionenſi cuſtodia liberat. 17. 18.
S. Brigittæ Canonizatio 430.
Bucicaldus Papam obſidet, CLXXVII. Conſtantinopoli adverſus Turcas ſuccurrit. CXCII.
Bulla Benedicti contra Gallos 107. 108. 109. 130. latores hujus Bullæ puniti. 135. Alexandri V. in favorem FF. Mendicantium 244. a Papa Joanne *XXIII.* revocata. 275. contra Ladislaum 248. Alia pro ſacra expeditione in Turcas 250. Altera adverſus Huſſitas. *ibid.* Gregorii XII. contra Hæreticos Cajetæ fulminata 291. contra Ladislaum in Bohemia promulgata 313. Aliæ contra Wiclefiſtas, & Huſſitas in Concilio Romano. 330. Bulla Joannis XXIII. in favorem Univerſitatis Pariſienſis 332. Alia ejusdem Pontificis pro convocatione Concilii Conſtantienſis 357.
Burgundiæ Dux moritur inops 45. ejusdem Liberi. *ibid.* diſſidia inter ejus Filium & Aureliæ Ducem 58. 316. Eum occidi jubet 115. In Flandriam fugit 116. Crimen ſuum fatetur. 116. Lutetiam Pariſiorum

siorum venit. 117. A Joanne Parvo defenditur 117. A Galliarum Rege veniam obtinet. 120. sed gratia revocatur. 121. Leodienses superat ab Episcopo in auxilium vocatus 170. Aurelianenses vincit 318. a Galliarum Rege bello petitur 415. reconciliari petit 416. 417. in Regis gratiam redit. 417.

C.

Cajetanus Cardinalis Clementis V. electionem promovet. LXIII.

Cardinales ab Urbano VI. creati. LXXVII. Quinam electioni Innocentii VII. interfuerint 37. Juramentum ab eis præstitum 38. Ab Innocentio creati. 50. Quinam pro eligendo Gregorio XII. conclave ingressi sint 81. Eorum diversæ opiniones 82. Electionis conditiones 83. A Gregorio creatos agnoscere renuunt 125. Ac propterea a Gregorio deficiunt, 26. Ad Concilium appellant, quo prætextu. 127. infamem libellum edunt 129. Eorum epistolæ ad Concilium 153. An Cardinales sese obedientiæ Pontificis subtrahere valeant 190. An sine Papa Synodum convocare queant. *ibid.* Scribunt ad Carolum Franciæ Regem, ad Duces Brunsvicensem, & Luneburgensem, 153. necnon ad Gregorium XII. 154. sibi facultatem convocandi Concilium arrogant. *ibid.* Benedictum

nedictum XIII. & Prælatos ad illud vocant 156. 159. Pisani ad comitia Francofordiensia Legatos mittunt. 174. se Synodum continuaturos jurant, si quis eorum in Papam eligeretur 210. Conclave ingrediuntur 37. 81. 214. Alexandrum V. eligunt. 215. Joannem XXIII. ad Synodum venire rogant 389. a Joanne XXIII. electi 306. Ad Joannem XXIII. deputati 452. Eorum relatio 458. Congregatio desuper habita 459. Cæsari munus Procuratoris pro Papa deferunt 460. Novi Cardinales creari a Constantiensi Synodo prohibentur 469. Alios Articulos Cardinales proponunt 470.

Carolus VI. Galliarum Rex datis literis duos Carthusianos Avenione captos liberari, a Clemente VII petit CXXXV. In phrænesin incidit, sed sanatur. CXXXVII. Quatuor Carthusianos Romam ad Bonifacium mittit. CXXXVIII. Ejus literæ ad Cardinales Avenionenses pro electione Pontificis post mortem Clementis VII. CLI. Concordata cum Benedicto XIII. erigit 23. de restituenda obedientia cum eo pacisci tur. 26. Edicto electiones tempore subtractæ obedientiæ factas confirmat 31. Innocentii VII. Cardinales rogat, ut electionem differrent 80. Edicto confirmat Ecclesiæ Gallicanæ decretum de subtrahenda obedientia 89. Illius executionem suspendit 90. Fidelibus unionis media pro-

proponit. 91. ad Benedictum & Gregorium Legatos mittit. 92. 94. Legatio Gregorii ad Regem. 98. Ipsius epistola ad Gregorium. *ibid.* Benedicto subtractionem obedientiæ comminatur. 107. Burgundiæ Duci veniam concedit. 120. sed eandem revocat. 121. Pax illius cum Burgundo. 121. utrique Papæ obedientiam subtrahere statuit. 122. 136. Bulla Benedicti a Senatu perlecta ac dilacerata. 132. & seq, Ad eum utriusque obedientiæ Cardinales scribunt. 153. sententiam adversus Joannis Parvi propositiones confirmat. 373. Oratores Sigismundi excipit. 374. ejus responsum. 375. ejus victoriæ adversus Burgundum. 418. Pax cum illo. *ibid.* subsidium Joanni XXIII. concedit. 359. Papæ ausus reprimit. 360. Bellum movet in Burgundum. 415. eidem reconciliationem offert. 416. sententia de auctoritate Concilii supra Papam. 453. modificata. 463.

Carmelitæ Alexandri V. Bullæ renunciant. 246.

Carolus Dyrrachinus. Vide *Dyrrachinus.*

Carthusiani duo Bonifacium Papam ad pacem Ecclesiæ reddendam sollicitant. CXXXIII. Rex Galliæ alios duos ad eundem mittit. CXXXIX.

Castellæ regnum Benedictum XIII. agnoscit, eique adhæret. 29.

Caſtromorandus (Joannes) Legatus Franciæ ad Benedictum pro urgenda ceſſione. 107.

S. Catharina Senenſis Urbani VI. Papæ electioni favet. LXXVII. ad ejus obedientiam Reges ac Principes datis literis ſollicitat. C. ejus obitus. *ibid.*

Cenſura errorum Joannis Monteſoni. CVI.

Ceſſio, ad hanc ſe jurato obſtringunt Cardinales ante electionem Papæ. 38. Ceſſioni faventes a Benedicto XIII. excommunicantur. 107. ſententia Univerſitatis Pariſienſis circa ceſſionem, & unionem. CXL.

Chalanto Cardinalis Legatus in Franciam a Benedicto XIII. miſſus. 61. *Inſulſa* ejus oratio. 62. a Joanne Parvo confutata nomine Univerſitatis. 63. ad Sigismundum Imp. Legatus. 346.

Chevenon (Bernardus) Orator Regis Galliæ ad Synodum Romanam. 327. Eccleſiæ Gallicanæ commoda negligit. 328.

Clemangius de fide ſuſpectus narrat caſum de Bubone. 329.

Clemens VII. Fundis Papa electus. LXXV. a Galliæ, Navarræ, & Arragoniæ Regibus agnitus. LXXIX. Avenionem ſe recipit. LXXX. Ludovicum Andegavenſem Neapolis Regem proclamat. XCIX. Multi Principes ſeſe ejus obedientiæ devovent. XCIX. ſimulatum ejus ſtudium pro pace Eccleſiæ reddenda. CI. ejus exactio-

exactiones in Galliis impediuntur. CXXX. Extinquendi ſchiſmatis media a Pariſienſi Univerſitate propoſita rejicit. CXXXII. CXLIII. Acerba Univerſitatis Epiſtola ad eundem. CXLVIII. ejus obitus. CL.

Colocenſis Archiepiſcopus a Joanne XXIII. Conſtantiam miſſus. 390.

Columna (Joannes) Romam ingreſſus Palatium occupat. 54. Inde a Romanis depulſus unacum Ladislai fautoribus. 55. Columnenſes excommunicati. 60.

Comitia Pariſienſia pro ſubtractionis ſententia. 66. Bulla Benedicti XIII. dilacerata. 135. Cleri Gallicani contra Curiæ Romanæ exactiones. 360. item contra Joannis Parvi apologiam. 364.

Comitia Francofordienſia. 173. Gregorius & Cardinales Piſani ad ea ſuos Oratores mittunt. 174.

Concilium. An Cardinales, & qua auctoritate tempore ſchismatis absque Pontifice Synodum convocare valeant? 156. a Benedicto Perpiniani celebratum 138. 161. a Gregorio XII. Aquileæ. 140. 165. & a Cardinalibus Piſis indictum. 141. 154. Nationale Pariſiis coactum. CLVII. CLXIX. aliud Pariſiis habitum. 142. ejus decreta. 142. reprobata. 147. Dubia Piſani Concilii auctoritas. 156. Gregorius XII. illud reprobat, alii approbant. 410. 158.

Concilii Piſani initium. 178. Quinam interfuerint. 179. 186. 196. 211. Seſſio I. 180.

Quo ordine Patres ſederint. 181. Seſſionis II. ſolemnia 182. Seſſio III. 184. Seſſio IV. Ruperti Oratores auditi. 188. Reſpondet Ruperti Oratorum dubiis. 190. Seſſio V. Ad objecta Pontificibus examinanda Commiſſarii nominati. 196. Oratores mittuntur ad Ladislaum Regem. 200. Seſſio VIII. obedientia ſubtrahenda decernitur. 201. ſententia fertur. 202. promulgatur. 205. Seſſio IX. 202. Seſſio X. objecta crimina referuntur. 203. 204. Seſſio XII. 205. Seſſio XVI. decernitur reformatio Eccleſiæ. 210. Seſſio XVII. Decretum de unione Cardinalium. 211. Seſſio XVIII. ſolemnis ſupplicatio. 213. Seſſio XIX. Alexandri V. electio legitima declaratur. 220. Seſſio XX. Florentini & Senenſes Legati auditi. 224. Seſſio XXI. electiones canonice factæ confirmantur. 226. Seſſio ultima, bona Eccleſiarum alienari prohibentur. 229. A quibusdam rejicitur hæc Synodus. 230. Cur legitima cenſeatur. 232. in Concilio Conſtantienſi confirmari petitur. 398. Ruperti Imperatoris Legati ſua dubia proponunt. 189. Inſalutato recedunt. 193. Regum Galliæ & Angliæ Legati adveniunt. 196. Benedicti XIII. Oratores auditi. 214. Deputati ad Ladislaum miſſi. 200. Hujus Synodi auſus, Benedictum XIII. 156. 184. Gregorium quoque ad illam vocant. 184.

Concilium

Concilium Conſtantienſe, pro illo urbs Contienſis ab Imperatore ſelecta 350. Ejus initium. 394. 395. Accurrunt Cardinales. *ibid.* De Synodi libertate agitur. 398. Piſanum Concilium confirmari petitur. 398. Seſſio I. 400. Præliminaria. 401. Congregatio de unionis negotio. 411. Præſulum concurſus. 409. An Piſanum a Conſtantienſi dependeat. 411. Galliæ Legatorum 413. Sigismundi Cæſaris. *ibid.* Deputatorum Univerſitatis Pariſienſis, 435. Benedicti XIII. & Gregorii XII. 422. Electoris Palatini adventus. 423. Colloquium Deputatorum cum Cæſare. 418. Bohemorum Procerum epiſtola ad Patres in favorem Joannis Huſſi. 411. Legati Gregorii XII. auditi. 424. Eorum libellus ſupplex a Joanne XXIII. confutatus. 425. ſæcularibus ſuffragium deliberativum adſtruitur. 426. In ſeſſionibus publicis per Nationes ſuffragia feruntur. 426. Formulæ ceſſionis Pontifici oblatæ. 432. & ſeq. de iisdem agitur. 435. Seſſio II. 439. Novi Papæ electio proponitur. 442. Joannem XXIII. cuſtodiæ dandum, Angli proponunt, Galli oblu&tantur. 445. Joannes XXIII. Papatui cedit. 340. Diſſidia Cæſarem inter & Nationem Gallicam. 446. Joannis XXIII. fugæ præcavetur. 444. Conſtantia Scaphuſiam fugit. 450. reditum Cardinales a Synodo miſſi ſollicitant. 452. Papæ reſponſum Patribus referunt.

455. 458. Seſſio III. Congregatio hac de re habita. 459. Synodi continuatio, etiam abſente Papa decernitur. 457. Seſſio IV. diſſidia circa ultima decreti verba. 464. 465. Articuli hujus Decreti. 467. quædam Decreti verba in Actis Concilii deſiderantur. 465. De membris Synodi nil immutari decernitur. 468. Novi Cardinales creari prohibentur. 469. Alii articuli a Cardinalibus propoſiti. 470. Congregatio de Joannis fuga. 472. Seſſio V. 474. Ejus decreta approbantur. 475. Articuli ibidem propoſiti. *ibid.* & 476. Eccleſiæ Gallicanæ judicium de decreto hujus Seſſionis. 479. Hæc *decreta non* ſunt ab univerſa Eccleſia approbata. 480. & ſeq. ſententia de auctoritate Synodi ſupra Papam. 453. fuit modificata. 463. Conſtantienſis Magiſtratus Joanni XXIII. de ſecuritate cavet. 390.

Concilium Romæ a Joanne XXIII. indictum, celebratum & diſſolutum. 321. 327. 323.

Concilium Utini a Gregorio celebratum. 238.

Conclave pro electione Innocentii VII. 37. pro electione Gregorii. 81. conditiones hujus electionis. 83. 38. pro electione Alexandri V. p. 215.

Condulmerius (Gabriel) Cardinalis creatus. 237.

Conradus Archiepiſcopus Pragenſis. 313.

Coſmas de Melioratis Papa eligitur. 39.

Coſſa vid. *Balthaſar.*

Cramau-

Cramaudus (Simon) Patriarcha Alexandrinus Nationalis Synodi in Galliis Præses. CLXX. fruſtrata Germaniæ Legatione a Francia expellitur. 2. Neutri Pontifici adhærendum cenſet. 70. Ad utrumque Papam Franciæ Legatus. 93. in Regis gratiam redit. 92. 327. Piſas venit. 196. Decretum legit de unione utriusque obedientiæ Cardinalium. 211.

Cruciata Joannis XXIII. adverſus Mauros. 320. Alia adverſus Ladislaum. 309.

Curtacoxæ Oratio in Regis Galliæ ſenatu contra Benedicti XIII. Bullam. 133,

Cuſſinetus Advocatus contra Burgundiæ Ducem declamat. 121.

D.

Decampis (Ægidii) oratio ad Benedictum XIII. recens electum CLIX. Ejus conſtantia in perorando. *ibidem.* Piſano Concilio aſſiſtit. 196. a Joanne XXIII. Cardinalis creatus. 307.

FF. Dominicani Feſtum Conceptionis B. V. celebrare adſtringuntur. CXIV. Viginti quinque annis a Facultate Theologica Pariſienſi excluduntur. *ibidem.* eidem denuo aſſociantur. 29. ejus juſſis obtemperant. 246. CXV.

Dyrrachinus (Carolus) ab Urbano VI. inveſtituram Regni Neapolitani accipit. LXXXI. bellum inter ipſum & Ludovicum Ande-

gaventem. LXXXII. Averſæ Papam comprehendi & Neapolim abduci jubet. LXXXV. Hujus Papæ Nepotem Capuæ Principem creat. LXXXVI. Nuceriæ Papam obſidet. XCI. Hungariæ Regem ſe proclamat. XCVII. ab Eliſabetha Regina occidi juſſus. XCVIII. Dyrrachini Duciſſa Ladislaum filium ſuum decennem Neapolis Regem declarat. XCIX. Ejus filius a Bonifacio IX. Hungariæ Rex ſalutatus. CXXV.

E.

Equites Teutonici a Polonis cæſi. 290. Pax inter eos. 319.

Eremita fictus Urbano VI. Papatum deponere ſuadet. CI.

Euchariſtiam comitantibus indulgentiæ ab Urbano VI. conceſſæ. CXIX. Pontificum conſuetudo eam ſecum in itineribus deferendi. 19.

F.

Ferdinandus Arragoniæ Rex declaratus. 282. ejus modeſtia. *ibid.* Rex ſalutatus. 333. Inveſtituram quarumdam Inſularum a Papa recipit. *ibid.*

Flagellantium ſecta in Miſnia. 384.

Fliſco Cardinalis ad reconciliandam urbem Bononiam miſſus. 295.

Franciſcani Academiæ Pariſienſi parere recuſant,

cuſant, & prædicare prohibentur. 246. & 247. Duo Franciſcani Martyres. 274
Fridericus Auſtriæ Dux cum Joanne XXIII. paciſcitur. 391. eundem tueri pollicetur. 391. 393. ejus fugam promovet. 450. a Synodo citatur. 453.

G.

Gabrinus Comes Papæ & Cæſari mortem machinatur. 354.
Galeatius Mediolani Dux, ejus obitus. 15.
Galeatius (Joannes) alius Mediolani Dux, funeſta illius mors. 289.
Gallia, de reſtituenda Benedicto obedientia Gallorum diſſenſio. 25. Clerus Benedicto XIII. decimas concedit. 48. Comitia. 66. ſubtractionis decretum edunt. 89. eorum Legati ad Benedictum 94. & ad Gregorium. 104. conditiones ceſſionis Gregorio XII. proponunt. 101. Senatum Romanum ad unionem Eccleſiæ incitant. 103. Gregorio ſecuritatem promittunt. 110. Inteſtina eorum bella. 288. Galliarum Legati Conſtantiam veniunt. 413. in Synodo cum Cæſare litem habent. 446. Gallicanæ Eccleſiæ ſententia de decretis Concilii Conſtantienſis. 479.
Garzias Archiepiſcopus Cæſar-auguſtanus ab Antonio de Luna proditorie occiſus. 292.
Genevenſis Cardinalis, vid. *Clemens VII.*
Gerardus de Monte-Acuto Epiſcopus Pariſienſis

siensis Joannis Parvi propositiones discuti jubet. 364.
Gerſonius (Joannes) ad Benedictum XIII. & Gregorium XII. Franciæ Legatus. 93. In Concilio Pisano adversus eos, qui cessionis viam reprobant, declamat. 187. Anglos adventantes oratione salutat. 176. Coram Pontifice perorat. 217. Concilium absque Papa convocari posse tuetur. 187. Ejus oratio de auctoritate Pisanæ Synodi. 218. refutatur. *ibid.* Pisanam Synodum rejicientes confutat. 231. Mendicantium Bullam impugnat. 247. ejus oratio coram Rege nomine Cleri Gallicani. 363. ab Universitate Parisiensi Constantiam missus. 435. Synodum esse supra Papam defendit. 453. displicet ejus oratio. 454.. sententia hæc moderata. 463.
Gibellinorum factio a Columnensibus Romæ suffulta. 40. 287. Dissensio Gibellinos inter & Guelfos. 40. Varia in Papam moliuntur. 51. Eorum Judices, qui *Prudentes* vocabantur, a Meliorato occisi. 53.
Giffon (Leonardus) Ord. FF. Minorum Cardinalis creatus. CXXIV.
Gregorius XI. Avenione discedit, Romæ sedet, ibique moritur. LXI. subrogatur Urbanus VI, ex cujus electione schisma in Ecclesia nascitur. LXII.
Gregorius XII. mortuo Innocentio VII. Papa electus. 85. Electionis suæ pacta. 83. ejus desiderium schisma tollendi. 86. ejus mores.

res. *ibid.* Encyclicæ ejusdem epiſtolæ. 87. Galli eum agnoſcere recuſant. 87. celebris ad eum Legatio Caroli VI. Galliarum Regis. 92. Legatos ſuos in Galliam mittit. 97. per eos ſe ceſſurum offert. 97. a Carolo VI. literas hortatorias accipit. 98. Savonam proficiſci renuit. 99. & 105. Conditiones a Legatis ei propoſitæ. 101. Timoris argumenta diſſipata. 101. 110. Senis Papatui cedere ſpondet, & ſub quibus conditionibus. 112. Luccam pergit. 112. falſo colluſionis cum Ladislao arguitur. 123. quemdam Carmelitam liberius declamantem carceri mancipat. 124. Conciones absque approbatione edi prohibet. 124. Cardinales creat. 125. 141. 151. 237. Cardinales ab eo appellant. 127. eorum appellationem confutat. 129. eos excommunicat. *ibid.* Infamis Cardinalium libellus adverſus eum. 129. Benedictus eum ſchisma fovere arguit. 139. hanc calumniam diluit. 140. Senas revertitur. 141. Concilium in Aquilejenſi Provincia convocat. 140. a ſuis Cardinalibus objurgatur. 154. ab illis derelinquitur. 158. Piſanum Concilium reprobat. 158. Nuncium Francofordiam mittit. 174. Legationem ab Imperatore excipit. 175. a Piſana Synodo citatur. 184. 185. 203. eidem dies dicitur. 184. Obedientia ſubtrahenda decernitur. 201. 202. Utini Concilium celebrat. 238. ſubtracta obedientia promulgatur. 205.

Papa-

Papatum ſub certis conditionibus dimittere promittit. 239. Quosnam pro legitimis aut ſpuriis Pontificibus habuerit. 238. Utino perſonatus auffugit. 241. ejus cubicularius capitur, & male habetur. 242. ejus ſtatuæ & imagines a furioſo populo dejiciuntur. 278. Cajetæ moratur. 244. Ibi ſibi adverſantes excommunicat unacum hæreticis. 291. ad eum Huſſus appellat. 254. Archiepiſcopum Pragenſem Romam citat. 254. Ariminum fugit. 326. a Cæſare ad Synodum Conſtantienſem invitatur. 356. ejus inſignia Conſtantiæ dejecta. 402. ejus Legati in Synodo Conſtantienſi. 422. 424.

Guelforum factio Romæ contra Gibellinos. 40. 287.

Guido de Roye Remenſis Archiepiſcopus miſere trucidatus. 177.

Guilielmus Philaſterius, vid. *Philaſterius.*

Gulanus Carmelita a Clemente VII. ad impediendam ceſſionem adhibitus. CXLIV.

H.

Henricus IV. Angliæ Rex. 5. ſeditio adverſus eum mota. 337. ejus obitus. *ibid.*

Henricus Parweiſius Leodienſis ſchiſmatis fautor. 168. a Burgundo cæſus. 170.

Hieronymus a S. Fide contra Judæos ſcribit. 334. impugnatur. 335.

Hieronymi Pragenſis initia. 285.

Huſſus, vide *Joannes.*

Huſſitæ,

Huſſitæ, eorum progreſſus. 283. eorum diſputatio. 314. illorum ſeditio adverſus Indulgentiarum Præcones. 315. quidam capite plexi. 316.

I.

Jacobus Borbonius Joannæ Neapolitanæ Maritus habitum S. Franciſci induit. 388.
Jagello, vid. *Ladislaus*.
Innocentius VII. mortuo Bonifacio IX. Papa eligitur. 39. illius elogium. 39. & vitia. 40. Pacta concordiæ cum populo Romano erigit. 41. Ladislao regnum Neapolis aſſerit. 42. Electionem ſuam Principibus, 44. & Pariſienſi Academiæ cogendam eſſe Synodum ſignificat. 46. Impactam ſibi a Benedicti XIII. oratoribus calumniam diluit. 46. & 47. Colloquium cum Benedicto reſpuit. 47. pro unionis negotio Concilium indicit. 49. ſed illud celebrare differt. 57. undecim Cardinales creat. 50. a Romanis honorifice exceptus. 59. Benedicto publicas ſecuritatis literas dare recuſat. 56. Ladislaum, Columnenſes, eorumque aſſeclas excommunicat. 60. ejus obitus. 80.
Joanna Neapolis Regina libidinoſa. 387.
Joannes XXIII. mortuo Alexandro V. eligitur Papa. 263. Quibus artibus. 264. de libertate electionis ſuæ dubitatur. 265. ejus indoles. 267. ab omnibus ferme agnoſcitur ut Papa. 272. quædam Mendicantium privilegia revocat. 247. 275. ejus Legatio

in

in Hiſpaniam. 273. a Clero Gallicano decimas poſtulat. 276. ejus Legati Pariſiis non auditi. 277. Joannis Huſſi cauſſam ad ſe devolvit. 285. a Romanis pro Papa habetur. 278. Ladislaum expellere nititur. 294. Romam venit, urbemque ſolemniter ingreditur. 294. 296. Bononienſes compeſcit. 295. in aciem procedit. 297. pugna & victoria contra Ladislaum 298. 301. 302. Cardinales creat. 306. Ladislaum Neapolis Regem excommunicat. 308. Huſſum ſacro fulmine percellit. 310. bellum ſacrum contra Mauros decernit. 320. Concilium indicit. 321. Romæ celebrat. 327. diſſolvit. 328. Pacem a Ladislao auro *redimit.* 323. Pacis articuli 324. a Ladislao agnitus. 325. a Bubone territus. 329. Bulla ejus adverſus Huſſitas. 330. Romanis exoſus ob exactiones. 331. Univerſitati Pariſienſi privilegia concedit. 332. a Ladislao cinctus Roma Bononiam profugit. 343. 346. Poteſtas Legatis data pro nominando Concilii loco. 348. Conſtantia a Cæſare nominata eidem minus probatur. 352. ejus colloquium Laudæ cum Cæſare. 353. Periculo vitæ expoſitus. 354. Concilium Conſtantienſe convocat. 357. ſubſidium charitativum a Gallis obtinet. 359. Variæ ejus epiſtolæ contra Huſſum, quem citat. 381. 404. Dubius de Concilii celebratione. 388. a Cardinalibus Conſtantiam venire rogatus. 389. Bononiam proficiſcitur. 385.

contra

contra Ladislaum se tuetur. 386. ante suum discessum quædam provide disponit. 390. a Constantiensi Magistratu sibi de sua libertate caveri postulat. 390. Fœdus cum Friderico Austriaco. 391. Cardinalem Vivariensem Constantiam vocat. 391. Ipsus Constantiam venit. 392. 393. Pisanum Concilium confirmari petit, & quare? 399. Gregorii insignia ante ejus Legati ædes deponi jubet. 402. ejus anxietas. 426. Legatorum Gregorii XII. libellum confutat. 425. sæcularibus in Synodo votum deliberativum frustra abnegat. 427. Nec per Nationes suffragia ferenda esse censet. 429. Accusationes contra illum suppressæ. 431. Cessionis formula illi præscribitur. 432. ejus formula rejicitur. 433. 434. aliam Imperator offert. 435. Aliam Parisiensis Universitatis Deputati. 437. Cessionis formulam a Synodo oblatam acceptat. 437. Papatum abdicare promittit. 340. Cessionis suæ Bullam condere renuit. 340. Tandem illam conficit. 441. De fuga suspectus. 443. Fugam serio molitur. 448. Eum Angli custodiendum esse volunt. 445. Per se ipsum Papatui cedere exoptat. 444. Aerem sibi nocivum obtendit. 448. 449. Constantia clam Scaphusiam auffugit. 450. Scaphusia ad Cæsarem scribit. 451. redire sollicitatur. 452. a Rhemensi Archiepiscopo ejus fuga excusatur. 456. Conqueritur de oratione Gersonii super auctoritatem Concilii Pontifice

Pontifice ſuperiorem. 454. cedere pollicetur. 456. Scaphuſia Lautterburgum fugit. 461, fugam ſuam Synodo ſignificat. 477.

Joannes Bavarus Epiſcopus Leodienſis S. Ordines ſuſcipere recuſat. 168. Trajectum fugit, ibique obſidetur. 169. a Burgundo liberatur. 170.

Joannes Clumæus Huſſi comes. 404. Ejus fautor. 414.

Joannes Columna Gibellinorum Princeps. 51. Romam occupat. 54.

Joannes Curtacoxa contra Benedicti Bullam declamat. 133.

Joannes Dominici Cardinalis Gregorii inſignia affigit. 402. Ejus ingreſſus in Conſtantienſem Urbem. 424.

Joannes Galeatius Mediolani Dux moritur. 15. ejus ſucceſſor occiditur. 286.

Joannes Huſſus, ejus initia. 10. indoles. *ibid.* Reginæ Bohemæ a confeſſionibus. 11. Parochus in Eccleſia Bethleem Pragæ. 12. contra indulgentias libere declamat. *ibid.* ab Archiepiſcopo Pragenſi damnatur. 251. in Papam & Clericos tumultuatur, 251. 252. 331. Nationem Germanicam ſuis privilegiis in Univerſitate Pragenſi ſpoliat. 254. a ſententia Archiepiſcopi ad Gregorium XII. appellat. 254. Alexandri V. Bullam ſpernit. 256. a Joanne XXIII. Romam citatur & non

non comparet. 283. 376. ſui loco alios mittit. 284. ejus cauſſa ad Papam devolvitur. 285. a Papæ & Sbinconis ſententia appellat. 310. 311. A Joanne Papa excommunicatur. 311. Ejus libri comburi jubentur. 330. injurioſus in Clericos. 331. 377. 379. 380. Ejus ſcripta & libri. 380. Conſtantiam venit. 395. Citatur coram Papa & Cardinalibus. 404. Apud PP. Dominicanos carceri datus. 405. Intrepide Praga diſcedit. 403. A Cæſare liberari juſſus. 405. Accuſationum capita adverſus eum. 407. Teſtes excepti. 408. Ejus fautores apud Cæſarem pro eo deprecantur. 420. A FF. Prædicatoribus ad Franciſcanos transfertur. 420. Dubium de illius fuga. 421. Commiſſarii ad cognoſcendam Huſſi cauſſam dati. 476.

Joannes Melioratus Innocentii VII. Nepos Cardinalis. 50. Vide *Melioratus.*

Joannes Oldcaſtellius Lollardorum Princeps capitur, auffugit. 338.

Joannes Parvus, Ord. FF. Minorum, orationem Cardinalis de Chalanto adverſus Innocentium confutat. 63. Benedicto obedientiam eſſe ſubtrahendam docet. 64. Burgundiæ Ducem ob Aurelianenſis cædem defendit. 117. 119. Ejus propoſitiones juſſu Galliarum Regis diſcuſſæ. 364. 365. Ex illius apologia extractæ. 365. Earum judicium. 369.

ad rogum damnatæ. 372. Sententia de illis lata a Rege firmata. 373.
Joannes Urſinus Advocatus Generalis, ejus oratio in Comitiis generalibus Franciæ. 77.
Jubilæum Romæ ad annum 1400. celebratum. CXC.
Juramentum Cardinalium in Conclavi ante electionem Papæ. 84.

L.

Ladislaus Rex coronam Neapolitani Regni Cajetæ a Bonifacio recipit. CXXV. Hungariæ Rex Jaderæ coronatur. 4. Ejusdem Regni Neapolitani inveſtituram ab Innocentio obtinet. 42. *Ab eodem* Papa excommunicatur. 60. Eidem reconciliatur. *ibidem.* S. R. E. vexilifer creatur. 61. Romam occupat. 123. Senas abire a Piſanis legatis rogatur. 200. Renuit, & quare. 200. Aretium obſidet, inde pulſus. 201. Gregorium XII. fugientem adjuvat. 241. Ab Alexandro V. exauctoratus. 248. Ejus clades. 249. 278. 300. 302. Ejus copiæ ac Duces. 298. In aciem procedit. 299. a Joanne XXIII. anathemate percuſſus. 308. Bullæ contra ipſum in Bohemia promulgantur. 313. Fœdus illius cum Joanne XXIII. 322. Ejus articuli. 324. Joanni palam obedientiam profitetur. 325. Romam capit. 341. Devaſtat. 344. Joanni metum incutit.

386. Moritur. 386. Joanna ejus ſoror illi ſuccedit. 387.

Ladislaus Jagello, Poloniæ Rex cum Cæſare fœdus init. 336. Regni inſignia a Cæſare accipit. 336. Samogitas ad Chriſti fidem convertit. 382. Ejus bella cum Equitibus Teutonicis. Vid. *Equites.*

Lanionum Pariſienſium crudelitas. 317.

Laudæ colloquium Joannis XXIII. cum Sigismundo Cæſare. 353.

Leodienſes, ſchiſma particulare in hoc epiſcopatu, bellum exinde ortum. 167. Eorum Epiſcopus S. Ordinibus initiari renuit. 168. Trajectum obſidetur. 169. Leodienſium clades. 171.

Lollardi, eorum hæreſis. 6. Errores proſcripti. 7. 9. Henrici IV. decretum adverſus illos. 8. bellum parant. 318. Eorum Coriphæus captus auffugit. 338.

Lucemburgus, (Petrus) Cardinalis. Ejus ſanctitas ac obitus. CIV.

Ludovicus Andegavenſis cum Carolo Dyrrachino de Neapolis Regno bello decertat. LXXXII.

Ludovicus II. Andegaviæ Dux a Clemente VII. Neapolis Rex coronatur. CXXV. Ejusdem Regni inveſtituram ab Alexandro V. recipit. 226. Ladislao profligato Romam ingreditur. 249. Balthaſarem Coſſa ad Papatum commendatitiis promovet. 263. A Joanne XXIII. S. R. E. Vexilifer declaratur. 296. Copias in aciem educit. 297. Ladislaum

dislaum aggreditur. 301. Cædit. 302 Ob prædæ aviditatem victoriæ fructum amittit. 304. Inglorius in Gallias redit. 305. Anglos evocat. 339.
Ludovicus Bavarus in Synodo Constantiensi. 423. Cessionis viam urget. 425.
Luna, Petrus, Legatus in Franciam. CXLV. eligitur Papa. Vid. *Benedictus.*
Luna, Petrus Benedicti XIII. Papæ Nepos, Toletanus Archiepiscopus renuntiatur. 29.
Luna (Antonius) Archiepiscopum Cæsar-Augustanum proditorie occidit. 292.

M.

Malatesta (Carolus) nomine *Gregorii XII.* Pisas venit. 194. frustra operam suam huic Papæ impendit. 195. Synodum Pisanam alio transferri postulat. 194. Gregorio concordiam suadet. 195. Eundem Papam excipit. 326.
Manuel Palæologus Græcorum Imperator in Gallias venit. CXCII.
Martinus V. Arragoniæ Rex moritur. 280. succedit Ferdinandus. 282.
Mauri duos Franciscanos Martyrio afficiunt. 274. Bellum sacrum adversus eos a Joanne XXIII. decretum. 320.
Melioratus Bononiæ Episcopus purpura decoratur. CXXIII.
Melioratus (Cosmas) Papa creatur. Vid. *Innocentius VII.*
Melioratus (Joannes) ejus Nepos Cardinalis. 50.

Melioratus (Ludovicus) undecim Romanos Judices propria manu occidit. 53.
FF. Mendicantes, eorum privilegia circa Administrationem Sacramentorum ab Alexandro V. concessa. 244. Revocata. 247. 275.
Minutulus (Henricus) Cardinalium collegio adscriptus. CXXIII. Bononiæ & Romandiolæ administratio eidem a Joanne XXIII. concredita. 295.
Monte-acuto (Simon) Parisiensis Episcopus eligitur. 222. Archiepiscopus Senonensis Parisiis in Concilio Nationali Præses. 143.
Monte-acuto (Joannes) capite plexus. 223.
Montisonus (Joannes) Dominicanus a Facultate Parisiensi damnatus. CVI. Ab hac sententia ad Clementem VII. provocat, sed ab eodem damnatus. CX. Avenionem profugus, excommunicatus declaratur. CXI. Decretum Universitatis Parisiensis contra illum. CXII. Dominicani sese huic Decreto submittunt. CXIV.

N.

Neapolis Regni investitura a Bonifacio. CXXV. ab Innocentio. 42. ab Alexandro V. conceditur. 226.
Neutralitas in Galliis promulgata. 136. Adversus eam Guido de Roye Archiepiscopus Rhemensis obluctatur. 147.
Nicasienſis Abbas ad exigendas pecunias a Clemente VII. in Gallias missus. CXXX. eidem Galli sese opponunt. CXXXI.

O.

Odelcaſtellius Lollardorum Princeps. 6.
Olearius Florentiæ Epiſcopus, Cardinalis creatus CXXIII.
Orgelitanus Comes a Ferdinando profligatus. 321.

P.

Pampelonenſis Cardinalis in Francia non recipitur. CLXVIII.
Papa, Romani Natione Gallum eligi nolunt. LXVI. hac de re ſeditio Romæ. LXVII, *& ſeq.*
Pariſienſe Concilium nationale pro unione Eccleſiæ. Vid. *Univerſitas.*
Patriarchæ a Benedicto XIII. duo creati. 161.
Paulus Georgii XII. Cubicularius ejus loco captus male habetur. 242.
Paulus Urſinus Ladislaum profligat. 279. Vexillifer populi Romani creatur. 296. 297.
Pavillus Carmelita, apud eum Univerſitas conventum agit. 362.
Pax Polonorum. 319. Antiſiodorenſis. 341. Galliarum Regis cum Burgundo. 417. pro pace Eccleſiæ preces, ſupplicationes a Clemente VII. decretæ. CXLIV.
Perpinianum, Benedictus XIII. ibi Concilium celebrat. 161.
Petrus Alliacenſis Cardinalis & Epiſcopus Cameracenſis, ejus libellus de ſchiſmate. CXLI. a Papæ Clementis VII. Legato ſollicitatur. CXLVI. Romam miſſus, ut Bonifacium ad

ad ceſſionem inclinet. 17. Eandem ob cauſſam Avenionem ad Benedictum mittitur. 17. pro Benedicto perorat. 72. Schiſma tollere adlaborat. 410. Ceſſionis viam urget. 412.

Petrus ad Boves, obſoleta ejus dictio. 67.

Petrus Hanibaldus Legatus in Pontificis exercitu. 297.

Petrus Dresdenſis erroris de Communione ſub duplici ſpecie Auctor. 378.

Petrus de Luna. Vide *Benedictus XIII.*

Petrus Plautus ejus ſententia de poteſtate Papæ & Regis. 75. ejus oratio in Synodo Piſana. 206.

Petrus Regis Abbas montis S. Michaelis pro Benedicto loquitur. 74.

Philargus. Vid. *Alexander V.*

Philippus pulcher, quas pro obtinendo papatu Burdegalenſi Archiepiſcopo conditiones propoſuerit. LXIV. Ut pro arbitrio ſuo Papas vexare poſſet, ſedem in Gallias transferri poſtulat. *ibid.*

Philaſtrius obedientiam Benedicto haud ſubtrahendam cenſet. 72. retractare cogitur. *ibid.* refutat Petri Regis, & Plauti ſententiam de poteſtate Papæ & Regis. 76. Cardinalis creatur. 306. Trium Pontificum ceſſionem urget. 427. Etiam ſæcularibus jus ſuffragandi adſtruit. 428.

Philippus Viletus Abbas S. Dionyſii electus, ejus electio a Benedicto improbata. 30.

Philippus Burgundiæ Dux moritur. 44.

Pileus Marinus Archiepiscopus Genuensis, ejus oratio & tractatus de reformatione. 176. Ejus causſa discutitur. 228. in solitudinem se recipit. *ibid.*

Pisis Concilium ab utriusque obedientiæ Cardinalibus convocatum. Vide *Concilium.*

Poloni Equites Teutonicos cædunt. 290. Pax inter eos restituta. 319.

Posnanienſis Episcopus quosdam articulos in Constantiensi Synodo proponit. 476.

Praga dissensio in Universitate Germanos inter & Bohemos. 11. Dissidia in eadem. 252.

Prato (Nicolaus) Dominicanus Cardinalis, ejus consilia cum Cardinale Cajetano pro electione Pontificis. LXIII.

Pregnanus Urbani IV. Nepos, ejus vitia. LXXXVI. Obitus. CXX.

Prudentes Judices pro gubernanda urbe Romana constituti. 51. undecim eorum trucidati. 52.

R.

Rauletus Normannus Aureliæ Ducem proditorie occidit. 115.

Regis Petrus ejus oratio contra Benedictum XIII. 75.

Religiosi Mendicantes eorum privilegia. 244. ea Universitas Parisiensis impugnat. 245. Religiosi sua capitula celebrare jubentur. 229.

Rhodior

Rhodiorum Magiſter Conſtantienſi Synodo intereſt. 396.
Richardus II. Angliæ Rex regno exutus ac ad perpetuum carcerem damnatus. 4. Eum Henricus occupato ſolio ſtrangulari jubet. 5.
Robertus Braquemontius Benedictum XIII. liberat. 17.
Roma Concilium a Papa ibidem indictum. 321. Ad aliud tempus remiſſum. 322. Romanorum ſeditio adverſus Innocentium VII. 53. Columnenſes a Romanis expulſi. 54. Innocentium revocant. 59.
Roye Archiepiſcopus Rhemenſis Neutralitati obluctatur. 145. miſere trucidatur. 177.
Rupertus Imperator electus. CXCVI. Legatos ſuos ad Bonifacium mittit. CXCVII. Bonifacio adhæret. 3. Legatum Gregorii XII. protegit ac Piſas tuto conduci jubet. 175. Ad Gregorium Legatos decernit. 176. Ejus legati audiuntur. 188. Eorum dubia. 189. confutata. 199. Synodi reſponſa. 190. Petunt locum pro congreſſu. 192. Piſis abeunt. 193. Ad futurum Concilium a Piſano appellant. 193. Alexandro V. adverſatur. 235. Moritur. 272.

S.

Salon (Martinus) Epiſcopus Pampelonenſis Cardinalis creatus. CXXIV.

Samogittæ a Poloniæ Rege ad fidem Christi revocati. 382.
Saresberiensis Episcopus, ejus oratio ad Pisanos Patres. 198.
Sanchesius Lopez lator Bullæ Benedicti adversus Franciam. 131. ejus castigatio. 148.
Savona pro colloquio inter Benedictum & Gregorium selecta. 110.
Sbinco Pragensis Archiepiscopus Imperatoris opem adversus Hussum implorat. 311. Hussum damnat. 251. Adversus ejus sententiam Hussus Romam appellat. 254. A Gregorio XII. citatur. *ibid.* Ad Alexandrum V. recurrit. 254. Wiclefi *errores* proscribit. 258. qua morte mortuus. 311.
Schelstratus ejus opinio de auctoritate Decretorum IV. & V. Sessionis Concilii Constantiensis. 184. propugnatur. *ibid.*
Schisma in Ecclesia, ejus initium. LXI. Ad illius extinctionem media a Parisiensi Universitate proposita. CXL.
Scotus, ejus opinio de Conceptione B. V. CXVI.
Sententiæ latæ contra Papas dubios in Pisano Concilio. 184. 207.
Sigismundus Hungariæ Rex ejus clades. 250. Mortuo Ruperto eligitur Romanorum Rex. 273. Legatos mittit ad Joannem XXIII. 279. Fœdus init cum Poloniæ Rege. 336. De vita periclitatur. *ibid.* Laudæ colloquium cum Joanne XXIII. habet. 353. Ejus

Ejus auxilium adversus Ladislaum imploratur. 346. 347. Constantiam pro Synodi loco seligit. 350. Cremonam usque Papam comitatur, ibique vitæ periculum subit. 354. Synodum convocat. 355. Gregorium & Benedictum ad eandem invitat. 356. Etiam Galliarum Regem. 357. pro Constantiensi Synodo ad Gallum Oratores mittit. 374. fidem Hussо datam non violavit. 403. Aquisgrani coronatus. 406. Constantiam venit. 413. Ejus conatus pro tollendo schismate. 415. Libertatem & commodum Concilio procurat. 418. Cessionis formulam Joanni XXIII. offert. 435. Alium Papam eligi vult. 443. Ejus dissidium cum Gallis. 446. Papam a fuga deterrere conatur. 449. Pontificis nomine Papatum abdicare. 460. Papamque revocare rogatur. 477. A Papa post ejus fugam literas accipit. 451.

Simon Cramaudus. Vid. *Cramaudus.*

Subsidium Joanni XXIII. a Carolo VI. in Galliis concessum. 359.

Subtractio obedientiæ, dissidium inde in Francia exortum. 13. in Nationali Concilio decreta. CLXX. fit generalis. CLXXII. a pluribus damnatur. CLXXXIII. In generalibus comitiis Parisiis promulgata. 65. 66. a Rege confirmata. 89. In Pisano Concilio sancita. 201.

Tala-

T.

Talaru (Joannes) a Clemente VII. Cardinalibus adscriptus. CXXIV.
Talvenda (Ursinus) ejus oratio de pace. 362.
Tamerlanes Bajazethem bello premit. 15. CXCIII.
Tartaglia a Braccione devictus. 299.
Teutonici. Vid. *Equites.*
Theodoricus Morsa Archiepiscopus Coloniensis a Papa confirmatus. 406.
Theodoricus Niem injuriosus Pontificibus, acerbam Epistolam ad Gregorium scribit, ei abdicationem suasurus. 113. In Alexandrum V. & Joannem XXIII. maledicus. 259. 266.
Thureius Cardinalis in Galliis male exceptus. 262.
Tomacellus electus Papa sub nomine Bonifacii IX. CXXI.
Tolosanæ Universitatis epistola rejecta. 63. 64.
Trialogus Wiclefi. 7.
Turcæ, bellum sacrum ab Alexandro V. contra eos indictum. 250.

V.

Villetus. Vid. *Philippus.*
S. Vincentius Ferrerius successionis Arragonicæ arbiter. 281. pro Ferdinando sententiam fert. 282. 333. Judæos convertit. 334.

Visitatio B. V. festum ejus ab Urbano VI. restauratum, & a Bonifacio IX. confirmatum. CXVIII.
Vivariensis Cardinalis Constantiæ. 391.
Unio illius media ab Universitate Parisiensi proposita. CXLVII. unionis negotium mutatur Ruperti electione. 1. S. R. I. Electores cessionis viam rejiciunt. 2.
Universitas Pragensis ejus dissidia inter Nationes. 252. studiosi Germani ab ea discedunt. 253.
Universitas Parisiensis pacem Ecclesiæ reddere satagit. CXXXI. Ejus studium pro unione. CXLVII. Innocentii VII. epistola ad illam hac ex causa. 46. Synodum cogi edocetur. 46. Ejus decretum contra Benedictum XIII. 65. Ægre fert Petri Alliacensis orationem. 74. Ad tollendum schisma Synodum esse cogendam proponit. 79. Ad Pisanam Synodum scribit. 209. Contra Bullam Mendicantibus concessam insurgit. 245. 277. a suo Corpore Franciscanos, & Augustinianos segregat. 246. eisque prædicationis officium interdicit. 247. Joannis oratoribus decimas denegat. 277, Privilegia eidem Joannes XXIII. concedit. 333. Contra Papæ subsidium frustra reclamat. 359. De tollendis Gallorum dissidiis deliberat. 361. Ejus Deputati Constantiæ. 435. Ejus elogium. 436. Cessionis formulam præscribit. 436. Carolum VI. propositis rationibus

bus ad extinquendum ſchiſma adhortatur. CXXXI. a ſententia Benedicti XIII. ad Papam ab univerſa Eccleſia agnitum appellat. CLXVII. Conventus agit pro extinctione ſchiſmatis CXL. tria unionis media Galliarum Regi exponit. CXLI. Clemens ea recuſat. CXLIII. CXLIX. Literæ ejus vehementes ad hunc Papam. CXLVIII.

Univerſitas Toloſana, ejus epiſtola rejecta. 63. 64. & 65.

Urbanus VI. invitis Cardinalibus quibusdam electus, atque ab iis derelictus. LXX. plurimorum, præcipue Brunſwicenſis Ducis odium incurrit. LXXII. *viginti novem* Cardinales creat. LXXVII. S. Catharina Senenſis ejus electionem validam declarat, ac Papæ adhæret. LXXVII. C. Alia etiam Regna eum colunt. LXXIX. A Carolo Dyrrachino captus, Neapolin ducitur. LXXXV. Sex Cardinales captos male habet. LXXXIX. A Dyrrachino Nuceriæ obſidetur. XCI. Septendecim Cardinales creat. XCIV. Romam revertitur. CXVII. Moritur. CXIX. ex ejus obitu ſchiſmatis extinctio ſperatur. CXX.

Urſinus (Paulus) Ladislaum Neapolis Regem profligat. 279. Vexilifer populi Romani declaratur. 296. 297.

Wences-

W.

Wenceslaus Imperator, exauctoratur. CXCV. ejus vitia. CXCVI.

Wenceslaus Bohemiæ Rex Germanos jure ſuffragii in Pragenſi Univerſitate ſpoliat. 11. 253. Huſſo condeſcendit. 12. 253.

Wicleſus, Joannes Huſſus ejus diſcipulus illius errores ſpargit. 10. 11. damnantur a Pragenſi Archiepiſcopo. 255.

Wicleſiſtæ. Lollardi eorum ſequaces. 6.

Z.

Zabarella Florentiæ Epiſcopus Cardinalis creatur. 307. Ad Sigismundnm Cæſarem cum Cardinale de Chalanto pro eligendo Synodi loco mittitur. 347. In decreto Seſſionis IV. aliqua verba omittit. 464. Lis de hac re. 471.

ERRATA.

Sic corrige:

106.	contigeret - - -	contingeret.
110.	nona Auguſti - -	ſecunda Auguſti
224.	ac Senenſium &c. -	*prima linea deleatur integra*
232.	Joannem XXII. -	Joannem XXIII.
297.	plurimosque - -	plurimasque
452.	præſcripſit - - -	perſcripſit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTI
TOM XXV

Th
5178

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN